Ivrea, — Piedmont

Sanctae Eporediensis Ecclesiae

ac totius Dioecesis Proprium

Illustrissimi ac Reverendissimi D.D.

Matthaei Filipello

e Taurinensi Theologorum Collegio

Dei et Apostolicæ Sedis gratia

Episcopi Eporediensis

cura recognitum et editum.

Pars Hiemalis.

ROMÆ — TORNACI.

Typis Societatis S. Joannis Evangel.

Desclée, Lefebvre et Soc.

S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPH.

MCMI.

Matthaeus Filipello

E TAURINENSI THEOLOGORUM COLLEGIO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS EPOREDIENSIS ET COMES

Venerabili et Universo Clero Diœcesis Salutem in Domino.

CUM Nobis sit compertum Proprii Diœcesis novam impressionem a Vobis desiderari, vestris annuentes votis, exaratum a Prædecessore Nostro Aloysio Moreno felicis recordationis, complures requirens emendationes quoad aliqua Officia a S. Sede reformata, recognovimus. Pariter, ad majorem Sacerdotum commoditatem, quæ officia jamdudum in omnibus Breviariorum editionibus impressa inveniuntur curavimus expungenda, adiungenda autem, tamquam nostræ Diœceseos propria, a duobus proximis Nostris Prædecessoribus, quorum memoria in benedictione est, rite introducta.

Et Nos Ipsi maxima animi lætitia gaudentes alte fixam esse in populo, Nostræ curæ commisso, devotionem erga B. M. V. Dei, nostrique Matrem, et erga Sacratissimum Cor Jesu Christi D. N., a Sacra Rituum Congregatione obtinere studuimus tum Officium proprium, sive B. M. V. titulo Consolationis Matris, jam pridem Archidiœcesi Taurinensi concessum, cum illud B. Margaritæ Mariæ Alacoque, devotionis erga SS Cor Jesu almæ propagatricis. Item, quum, sive in Civitate, sive in Diœcesi multæ sint Ecclesiæ Sanctæ Marthæ Virgini dicatæ, votis complurium Curatorum animarum annuentes, obtinuimus ut festum hujus Sanctæ Virginis ad ritum duplicem eveheretur.

Quibus rite ordinatis, mandamus Kalendaria annua, seu directoria divinarum precum deinceps ad tramites hujus editionis omnino confici : universis vero et singulis tam Civitatis quam Diœcesis Ecclesiasticis viris, et Sacrarum laudum lege devinctis, id quoque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut hæc divina Officia pie suscipiant, istumque sibi comparantes libellum ea continentem, publice ac privatim recitent. Vos tandem rogamus, Carissimi et obsecramus in Domino Jesu, ut quorum laudes persolvitis, et præconium facitis, virtutes quoque æmulemini, exempla sequamini, constantiam et robur induamini; ita eveniet, ut divina jugiter officia digne, attente ac devote recitantes, quorum gloriamur triumphis ac præsidiis fruimur, consortium et habere possimus in cœlis.

Eporediæ, e palatio Nostro Episcopali, Nonis Martiis a Sancto Thoma Aquinate solemnibus.

Matthaeus EPISCOPUS.

Kalendarium Ecclesiae et Dioecesis Eporediensis

(APPROBAT. A. S. R. CONGREG. DECRET. 22 SEPTEMB. 1859.)

Asteriscus denotat Festa quæ in hoc PROPRIO *continentur.*

Novembris.

27. * Manifestationis B. M.V. Immaculatae a Sacro Numismate, *duplex majus*. 7
28. S. Felicis Valesii C. (*20. hujus*) *duplex*.
29. * S. Leonardi a Portu Mauritio C. *duplex* (*26.hujus*) *Vigilia*. Com. S. Saturnini M. 7
30. S. Andreae Ap. *duplex 2. classis*.

Decembris.

1. * S. Bessi Theban, M. Compatr. Civit Epored., *duplex majus* 9
2. S. Bibianae Virg. et M. *sem*.
3. S. Francisci Xaverii C. *duplex*.
4. * S. Barbarae Virg. et M. *duplex*. 11
5. * S. Dalmatii Ep. M. *duplex*. Com. S. Sabbae Abb. . . 13
6. S. Nicolai Barens. Ep. C. *duplex*.
7. S. Ambrosii Ep. Mediol. D. *duplex*. *Vigilia*.
8. Immaculata Conceptio B. M. V. *duplex 1. classis cum Oct.*
9. * S. Syri Ep. Papiens C. *duplex*. Com. Oct. 16
10. Translatio Almae Domus Lauretanae, *duplex majus*. Com. S. Melchiadis Pp. M.
11. S. Damasi Ep. C. *duplex* Com. Oct.
12. * S. Evasii Ep. Astens et M. (*1. hujus*) *duplex*. Com. Oct. . 18
13. S. Luciae V. et M. *duplex*. Com. Oct.
14. S. Eligii Ep. C. (*1. hujus*) *sem*. Com. Oct. 21
15. * Octava Immacul. Concept. B. M. V. *duplex*
16. Ordinatio S. Eusebii Ep. Vercell. et M. *sem*.
17. S. Petri Chrysologi Ep. D. (*4. hujus*) *duplex*.
18. Exspectatio Partus B. M. V. *duplex majus*.
19. * B. Margarita a Sab. Vid. (*27. Novemb.*) *duplex*. . . . 22
20. *Vigilia*.
21. S. Thomae Ap. *duplex 2. classis*
22.
23.
24. *Vigilia* Nativ. D. N. J. C.
25. Nativitas D. N. J. C. *duplex 1. classis cum Oct. privil.* Com. S. Anastasiæ M.
26. S. Stephani Protomartyris et Com. Omn. Sanctor. Mart. *duplex 2. classis cum Oct.* Com. Oct. Nativ.
27. S. Joannis Ap. et Evang. *duplex 2. classis cum Oct.* Com. Octavar.
28. SS. Mm. Innocentium, *duplex 2. classis cum Oct.* Com. Octavar.
29. S. Thomae Cantur Ep. M. *duplex*. Com. Octavar.
30. De Dominica inf. Oct. *sem*. Com. Octavar.
31. S. Silvestri Ep. C. *duplex*. Com. Octavar.

Januarii.

1. Circumcisio D. N. J. C. et Oct. Nativ. ejusdem. *duplex 2. classis.*
2. Octava S. Stephani Protom. *duplex.*
3. Octava S. Joannis Ap. et Ev. *duplex.*
4. Octava SS. Mm. Innocentium. *duplex.*
5. *Vig. privil. Epiphaniæ, semiduplex.* Comm. S Telesphori Pp. M.
6. Epiphania D. N. J. C. *duplex 1. classis cum Oct. privil.*
7. De 2 die inf. oct. *sem.*
8. De 3 die inf. oct. *sem.*
9. De 4 die inf. oct. *sem.*
10. De 5 die inf. oct. *sem.*
11. De 6 die infr. oct. *sem.* Com. S. Hygini Pp. M.
12. Dom. inf. Oct. Epiph. *sem.*
13. Octava Epiphaniae D. N. J. C. *duplex.*
14. S. Hilarii Ep. D. *duplex.* Com. S. Felicis M.
15. * Translatio S. Mauritii M. Patroni princip. Ditionis. *duplex. 1. classis cum Oct.* 26
16. S. Marcelli Pp. M. *duplex* Com. Oct.
17. S. Antonii Abb. M. *duplex.* Com. Oct.
18. Cathedra S. Petri Ap. Romae. *duplex majus.* Com. S. Pauli Ap., Oct. et S. Priscae V. et M.
19. S. Pauli I. Eremit. Conf. *duplex.* (*ex 15. hujus*) Com. Oct. et Ss. Mm. Marii etc.
20. SS. Fabiani et Sebastiani Mm. *duplex.* Com. Oct.
21. S. Agnetis V. et M. *duplex.* Com. Oct.
22. * S. Gaudentii Epored. et I. Novar. Ep. *duplex 2. classis.* Com. diei Oct. S. Mauritii. 28
23. Desponsatio B. M. V. *duplex majus.* Com. S. Joseph et S. Emerentianæ V. M.
24. S. Timothei Ep. et M. *duplex.*
25. Conversio S. Pauli Ap. *duplex majus.* Com. S. Petri Ap.
26. S. Polycarpi Ep. et M. *duplex.*
27. S. Joannis Chrysostomi Ep. D. *duplex.*
28. S. Agnetis *secundo.*
29. S. Francisci Salesii Ep. D. *duplex.*
30. * B. Sebastiani Valfré C. *duplex* . . . . . . : . 30
31. * S. Julii Conf. *sem.* 33

Festa Mobilia.

Dom. II. post Epiph. SS. Nominis Jesu. *duplex 2. classis.* Com. Dom.

* *Dom. III. post Epiph.* Sacra Familia Jesu, Mariae, Joseph, *duplex majus.* Com. Dom. 7

Februarii.

1. S. Ignatii Ep. et M. *duplex.*
2. Purificatio B. M. V. *duplex 2. cl.*
3. * S. Blasii Ep. et M. *duplex.* 36
4. S. Andreae Corsini Ep. C. *duplex.*
5. S. Agathae V. M. *duplex.*
6. S. Titi Ep. C. *duplex.* (*ex 4. Jan.*) Com. S. Dorothae V. M.
7. S. Romualdi Abb. *duplex.*

8. S. Joannis de Matha C. *duplex.*
9. * S. Apolloniae V. et M. *duplex* 36
10. * Inventio SS. Mm. Solutoris, Adventoris et Octavii. *dup.* 36
11. SS. septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V. *duplex.* .
12. S. Petri Nolasci (*31. Jan.*) *duplex.*
13. * S. Julianae Vid. Epored. *duplex.* 40
14. S. Scholasticae V. (*10. hujus.*) *duplex* Com. S. Valentini Presb. M.
15. * SS. Mm. Faustini et Jovitae. *sem.* 42
16. S. Canuti Regis M. *sem. ad lib.* (*19. Jan.*)
17. SS. Mm. Vincentii et Anastasii (*22. Jan.*) *sem.*
18. S. Raymundi de Pennafort (*23. Jan.*) *sem.* Com. S. Simeonis Ep. et M.
19. S. Martinae V. M. (*30. Jan.*) *sem.*
20. SS. Mm. XXVI Japonensium (*5. hujus*) *dup.*
21. S. Cyrilli Alexandr. Ep. D. (*9. hujus*) *dup.*
22. Cathedra S. Petri Antioch. *duplex majus.* Com. S. Pauli Ap.
23. S. Petri Damiani Ep. D. *duplex.* Com. Vigil.
24. S. Matthiae Ap. *duplex 2. classis.*
25.
26. S. Margaritae de Cort. (*23. hujus*) *sem.*
27. * S. Ephisii M. (*15. Jan.*) *dup.* 46
28.

Festa Mobilia.

Feria VI. post cineres : Oration. D. N. J. C. in Monte Oliv. *dup. maj.* Com. fer.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Passionis D. N. J. C. *dup. maj.* Com. Fer.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacrae Spineae Coronae D. N. J. C. *dup. maj.* Com. fer.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Lanceae et Clavorum D. N. J. C. *dup. maj.* Com. fer.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Sacrarum Quinque Vulnerum D. N. J. C. *dup. maj.* Com. fer.

Martii.

1.
2.
3.
4. * B. Humberti a Sab. C. *dup.* Com. S. Lucii Pp. M. . . 53
5. S. Casimiri C. (4 *hujus*) *sem.*
6. * S. Marciani I Ep. Derthon. et M. *duplex.* 55
7. S. Thomae Aquinatis, C. D. Patroni Universit. et Scholar. *duplex.* Com. Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis.
8. S. Joannis de Deo C. Hospital. et Infirmor. Patroni. *dup.*
9. S. Franciscae Romanae Vid. *duplex.*
10. SS. XL Martyrum, *sem.*
11.
12. S. Gregorii Magni Pp. D. *dup.*


Agnus·Dei·qui·tollis·peccata·mundi·miserere·nobis



Sanctæ Eporediensis Ecclesiæ ac totius Diœcesis Proprium.

PARS HIEMALIS.

DOM. III. POST EPIPH.
Sacræ Familiæ, Jesu, Mariæ, Joseph.
Duplex majus.
Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem Dominica.

DIE XXVII. NOVEMB.
Manifestationis Immac. V. Mariæ a Sacro Numismate.
Duplex majus.
Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXIX. NOVEMB.
S. Leonardi a Portu Mauritio *Conf.*
Duplex.
Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

DEus, qui in obstinátis peccatórum córdibus ad pœniténtiam flecténdis beátum Leonárdum Confessórem tuum ópere ac sermóne poténtem effecísti : da, quæsumus; ut per ejus preces et mérita e córdibus nostris contritiónis lácrimas elícere valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

LEonárdus in Portu Maurítio ad ora Ligústica Itáliæ ortus est paréntibus pietáte egrégiis pótius, quam génere

claris; qui púerum ánimam sortítum bonam, divína favénte grátia, in timóre Dómini omni cura instituérunt. Mirándum erat eum in templo vel domi vidére et audíre, sive férvidas ad Deum effúndere preces, sive hortári coætáneos ad religiónis aliarúmque virtútum ópera exercénda. Adoléscens studiórum causa Romam missus ad instar novi síderis in Gregoriáno Collégio tum litterárum ac scientiárum proféctu, tum potíssimum vitæ sanctitáte effúlsit. Jam de virtúte in virtútem quotídie magis progrédiens, ut intímius Deo inservíret ac proximórum utilitáti vacáret, de religióso institúto amplecténdo cogitávit. Et licet pátruus pro víribus niterétur, ut hunc nepótem appríme carum ab hujúsmodi consílio retráheret, ipse tamen, ejúsdem blandítiis minísque posthábitis, fratrum Minórum excalceatórum rigidióris observántiæ consórtio cooptári obtínuit, eórum præsértim modéstia captus, ac extréma paupertáte.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

A Primo tyrocínio, et, quo ad in eo supérfuit vitæ anhélitus, nil hábuit antíquius, quam ut Seráphici Patris exémpla perfectíssime imitarétur, præsértim cum vix ac cléricus efféctus, desidério incénsus fuit migrándi in bárbaras terras, ut sánguinem suum profúnderet ad ínfidélium ánimas Christo lucrándas. Verum divínæ providéntiæ consíliis ánimum compónens suum, disciplínas theológicas sédulo excólere satégit, ut ad omne opus bonum instrúctus foret. Sacris deínde ordínibus initiátus, ac sacerdotáli charactére insignítus, prótinus in cultíssimis étiam Itáliæ úrbibus Evangélii præcónis múnere fungi cœpit. Apostólicam vivéndi formam secútus, única conténtus túnica atque abjéctis cálceis, quamvis

ténui esset corpúsculo, tamen perículis, difficultátibus, asperitátibus laboribúsque haud fractum se unquam sensit. Sic réliquam vitam per annos quátuor supra quadragínta strénue impéndit, cum ingénti ubíque animárum lucro et religiónis increménto.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

IMménsa porro fuit populórum ad eum audiéndum frequéntia, et innumerábiles conversiónes inde subsecútæ. Ipsa enim sáxea ac férrea corda, eo audíto, veheménter scindebántur ad pœniténtiam tum ob miram sermónis efficáciam, ac ardentíssimum loquéntis zelum, tum præsértim ob præcláram ejus vitæ sanctimóniam, quæ suavíssimum Christi odórem ubíque efflábat. Sénio tandem ac innúmeris labóribus consúmptus, cum Summo Pontífici Benedícto décimo quarto fidem dedísset núllibi se nisi Romæ moritúrum, in almam hanc Urbem rédiens e Bononiénsi missióne, morbo tentári cœpit, quo sibi brevi decedéndum esse palam edíxit. Cum ígitur sancti Bonaventuræ cœnóbium ingréssus esset, illico Ecclésiæ sacraméntis muníri vóluit, quibus admirábili fervóre atque inexplébili ánimi gáudio suscéptis, placidíssime in Dómini ósculo quiévit. Leonárdi óbitum plúrima secúta sunt prodígia, quibus rite probátis, a Pio sexto Pontífice máximo idem inter beátos cœlites adnumerátus est. Novis deínde cum coruscáre cœpísset signis, tandem Pius nonus Póntifex Máximus præclaríssimum hunc verbi Dei præcónem sanctórum catálogo accénsuit. ℞. Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia. Dóminus et Salvátor. *de Comm. Evangelistarum, cum* ℞℞. *de Commun. Conf. non Pont.*

DIE I. DECEMBRIS.

S. Bessi

Mart. Epor. Comp.

Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Martyris, præter sequ.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Bessi Mártyris tui patrocínio suffúlti, discámus mundi obtectaménta despícere, ac pótius ómnia pérpeti mala quam ánimæ detriméntum. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres, *de Communi plur. Mart. cum* ℟℟. *de Comm. unius Mart.*

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

BEssus, ceu ab antíquis tempóribus est tráditum, e Thebæórum legióne fuit, quæ felix atque angélica nuncupáta est, et ex qua nullus omníno périit, dum nullus evásit Martyrium. Hanc Maximiánus ab Oriénte adscíverat ad Bagáudos coercéndos, qui ab império descíverant, eáque viris strénuis, et christiána religióne præcípuis. Verum Maximiánus ipse barbarórum ferme óblitus, hos sicut céteros mílites ad dilaniándos Christiános hómines destinávit. Sed Thebæa légio fácinus detestáta in Agaunénsibus angústiis súbstitit. Quod dum rescivísset Maximiánus semel, atque íterum décimum quemque e legióne ipsa gládio feríri jussit, edixítque simul ut ad persequéndos Christi fidéles réliqui omníno adigeréntur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

AT tamen pia légio commilitónum cæde mínime commóta palam proféssa est se ignem, torménta, ferrum subíre parátam. Tunc Maximiánus ira pércitus, omnes simul intérfici jussit. Sed Thebæi mílites neque loci munitióne, neque suo número, neque armis eláti, uti grex dominicárum óvium, laniári se tamquam ab irruéntibus lupis sunt passi. Haud vero omnes ea tempestáte periére; quum nonnúlli incólumes eváserint sive divína ope, sive quod a castris tunc áberant. Hosce Deus ad iterátum fídei certámen

relíquit, quos inter Bessus, uti seniórum traditióne compértum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

Bessus ítaque, sícuti memóriæ próditum est, ad Suanénsium vallem confúgit, quæ Dúriam inter et Orcum jacet in Eporediénsi Diœcési, íbique Christi fidem disseminávit. Demum pro eádem fide Martyrium súbiit in monte Fauténio in fínibus Campíliæ. Primum síquidem, uti fertur, e rupe dejéctus, subínde gládio jugulátus est. Subest in ipso monte specus, in quo exstat sacéllum a priscis tempóribus eídem Mártyri nuncupátum, íbique corpus ejus diu jácuit. Lapis étiam íbidem cérnitur, in quo Bessus sua vestígia impressísse dícitur; et ad ídem sacéllum quotánnis finítimi pópuli religióse concúrrunt. Póstea ejúsdem Mártyris fama per inférius Canapítium diffúsa, Eugéniæ in ejus honórem ædes sacra erécta est, eóque ipsíus delátæ exúviæ ubi duóbus ferme sæculis fuére. Hæ demum ineúnte sæculo undécimo célebri pompa ad majus Eporédiæ templum dedúctæ sunt, ejúsque urbis Compatrónus adléctus est Bressus, et solémni ritu cultus. Hujus Mártyris præséntem opem Eporédia sæpe expérta est.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi unius Mart. j. loco.*

DIE IV. DECEMBR.
S. Barbaræ
Virg. Mart.
Duplex.

Omnia de Communi Virg. præter seq.

Oratio.

Intercéssio, quæsumus, Dómine, beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ ab omni nos adversitáte prótegat; ut per ejus intervéntum gloriosíssimum sacrosáncti córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum ante diem éxitus nostri per veram pœniténtiam, et pu-

ram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum vivit.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Barbara, Virgo Nicomediénsis, Dióscori nóbilis, sed superstitiósi hóminis fília, per ea quæ visibília facta sunt, ad invisibília, divína opitulánte grátia, fácile pervénit. Quaprópter soli Deo, rebúsque divínis vacáre cœpit. Eam pater, útpote forma venustióri ninvestitióri niténtem a quocúmque virórum occúrsu tutári cúpiens, turri inclúsit, ubi pia Virgo meditatiónibus et précibus addícta, soli Deo, quem sibi in sponsum delégerat, placére studébat. Obláta a patre plúries nobílium connúbia fórtiter sprevit; pater vero, per sui abséntiam fíliæ ánimum posse facílius emollíri confídens, jussit primo bálneum éxstrui, ne quid ei deésset ad commoditátem, deínde péregre in ésteras regiónes perféctus est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

Absénte patre jussit Bárbara duábus fenéstris, quæ in turri erant, tértiam addi in honórem divínæ Trinitátis, labiúmque bálnei sacrosánctæ Crucis signo muníri : quod ubi rédiens Dióscorus inspéxit, audíta novitátis causa, ádeo in fíliam excánduit, ut, stricto ense eam áppetens; parum abfúerit, quin eam dire confóderet : sed præsto ádfuit Deus. Nam fugiénti Bárbaræ saxum ingens se patefáciens viam apéruit, per quam montis fastígium pétere, et in specu látere pótuit : sed paulo post, cum a nequíssimo genitóre repérta fuísset, ejus látera pédibus, dorsúmque pugnis immániter percússit, et crínibus per loca áspera, difficiléque vias raptátam Marciáno præsidi puniéndam trádidit. Itaque ab ipso ómnibus modis, sed incássum tentáta, nudam nervis cædi, et inflícta

vúlnera téstulis confricári, deínde in cárcerem trahi præcépit : ubi imménsa luce circúmdatus et Christus appárens, miríﬁce confortátam in passiónum tolerántia confirmávit. Quod animadvértens Juliána matróna, ad fidem convérsa ejúsdem palmæ párticeps effécta est.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

BArbaræ demum férreis únguibus membra laniántur, fácibus látera incendúntur, et malléolis caput contúnditur : quibus in cruciátibus consórtem solabátur, et hortabátur, ut ad finem usque constántercertáret. Præcísis tandem utríque ubéribus, nudæ per loca pública tractæ, cápite plectúntur; filiæque cervícem ipse scelestíssimus pater humanitátis expers própriis mánibus amputávit : cujus fera crudélitas non diu inúlta remánsit: nam statim eo ipso in loco fúlmine percússus intériit. Corpus hujus beatíssimæ Vírginis Justínus imperátor Nicomédia áuferens, Constantinópolim primum transportávit. Illud idem, cum in progréssu témporis ab imperatóribus Constantíno et Basílio impetrássent Venéti, Constantinópoli dedúctum in sancti Marci basílica fuit deínde solémniter collocátum. Postrémo et último, supplicántibus Torcelláno Epíscopo, ejúsque soróre Abbatíssa, ad ecclésiam moniálium sancti Joánnis Evangelístæ Torcellánæ diœcésis anno salútis millésimo nono defértur : ubi, et honoríﬁce cónditum, perpétuo cultu ad præsens usque tempus summópere venerátur.

℟. Afferéntur.

In iij. Noct. Homil. Sæpe vos. *de Communi j. loco.*

DIE V. DECEMBRIS.

S. Dalmatii

Episc. Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui per beátum Dalmátium Mártyrem tuum mirabília operátus es ;

ejus nobis intercessióne concéde, ut quam ille prædicávit fidem, et sánguine adséruit, hanc fírmiter ad mortem usque teneámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Dalmátius, sícuti est tráditum, a nobílibus paréntibus Magúntiæ natus est, ejúsque pater vir consuláris, et eídem Provínciæ præféctus fuísse dícitur. Ab adolescéntia Christi religiónem edóctus, eam sédulo custodívit, atque paréntibus emórtuis, qui idóla venerabántur, bona sua paupéribus distríbuit, et una cum sóciis áliquot ac duóbus presbyteris, Itáliam venit, ut erudíret gentes, et ad christiána sacra dedúceret. Tum per Vénenos pópulos, qui et Auriaténses, in superióres Pedemóntii regiónes descéndit, íbique géntibus Christum prædicáre cœpit. Póstea ad Bagiénses réliquos próperans, iisdem ac Taurínis divínam religiónem edíxit, ac gentes multas ad Christum, convértit, et in fide porténtis confirmávit. Fertur namque cœcis visum, surdis audítum, claudis gressum, ac mutis lóquelam restituísse, et mórtuos resuscitásse.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

Intérea Dalmátius per Statelliénses pópulos, ibi quoque mirífice Christi grátia proficiénte, Albam Pompéiam pétiit, ubi plures christiána doctrína imbútos réperit, et presbyterum Sacraménta eis ministrántem. Quum vero et infidélibus vanitátem idolórum, qui aures habent, et non áudiunt, quadam die prædicáret, magíster mílitum a Ravénna advéniens eum rogábat ut fílium suum únicum gravíssimo morbo in illa urbe laborántem sanáret, cui Dalmátius : in Christum credénti, si modo ad baptísmum accéderet, cuncta possi-

bília esse respóndit; et síngula credénda étiam ex órdine ei apéruit, qui prótinus se baptizári cito velle protestátus est. Quod Dalmátius edíxerat re complétum est. Hic enim mílitum magíster Ravénnam rédiens novit fílium ea plane hora sanum fuísse factum, quam Dei servus innúerat. Exínde Dalmátius Tícinum pétiit, ubi quoque mirabília peregísse véterum traditióne constat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

PRoféctio Dalmátius ádeo Tícini pópulum sibi devínxit ut eum secum detinére curáverint. Immo fertur Tícini Epíscopus fuísse constitútus, et in templo póstea eídem nuncupáto, ipsíus imágo adhuc cérnitur Episcopáli hábitu indúta. Verum Dalmátius Tícino relícto, Mediolánum se cóntulit, in cujus ingréssu, ceu a vetéribus relátum est, júvenem a dæmone tetérrime obséssum, rogátu matris, pópulo inspectánte, liberávit Deínde per Ligúriam regrédiens cunctos invísit pópulos, quibus Christum prædicáverat, et in Gállias usque ad fines Mustilenénsium perréxit ubi plúrimos infidélium ad Christi fidem convértit. Demum ad Auriaténses redíre properávit, quos a Christiánis institútis magi Apóllinis cultóres avértere conabántur. Quum ad eórum castrum appropinquáret, a magórum sectatóribus mactátus est una cum suis, qui omnes simul martyrii palmam sunt adépti. Ejus corpus a Christiánis illic compósitum fuit : et monastérium ad ipsíus honórem ibi póstmodum ædificátum est, antíquitus e Pedóna, dein ínclyti ejúsdem Mártyris nómine nuncupátum. Ejus caput cum réliquis exúviis eo loci, bráchium vero majóri in ecclésia Eporediénsi religiosíssime servátur, et multis claret porténtis.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Dóminus ac Redémptor, *de Communi unius Mart. ij. loco.*

DIE IX. DECEMBRIS.
S. Syri
Episc. Papiens. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Pontíficis Syri glorióso tránsitu præstitísti : concéde propítius, ut cujus protectióne lætámur, ejúsdem intercessióne indulgéntiam misericórditer consequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

SYrus natióne Galilæus a pueritia sectátor Christi Dómini, deinde discípulus Apóstoli Petri, et ab eo ordinátus Episcopus, Ticinúmque ad disseminándum Christi Evangélium missus, primus illic fídei ac religiónis Christiánæ eleménta una cum sancto Juvéntio cómite trádidit, et totam urbem cum vicínia ad veri Dei agnitiónem, Christíque cultum convértit, statúta ibídem sede Episcopáli. Is ergo dum ad injúnctum sibi opus péragrum Veronénsem próperat, Véronæ primus ómnium Missam célebrat, ibidémque adolescéntem mórtuum ad vitam revocávit, fílium únicum matris víduæ, quo facto innúmera cívium multitúdo, tum in primis ipse adoléscens, cum matre et tota família suscépto baptísmate, legem, et doctrínam Evangélii, amplexáti sunt. Quare præcurrénte fama signórum, et advéntus boni Patris, Syrus honorífice, et magna spe præséntis salútis a Ticinénsibus excéptus est, crevítque magnópere novi Præsulis apud eos venerátio, ubi ex solo contáctu vestimentórum ejus visi sunt infírmi sanitáti integérrime restitúti.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim.

Lectio v.

IGitur Syrus offícii sui ministéria aggréssus, incessánter verbum Dei, non solum per Ticinénsem regiónem, sed étiam per Insúbriam totam, et per Ligúriam deferébat, Verbi Incarnáti mystéria, áltaque Divinitátis sacraménta apériens, et univérsos ad legis divínæ observántiam exhórtans. Tráditur étiam Alpes Rhætiórum trascendísse, et Láuricum præcípuum Noricórum óppidum ad Christiánæ fídei lucem excitásse; ejus sane dictis máximum addébant pondus crebro édita signa, et mirácula. Nam inter ália dum prædicándo rura péragrat, viro cum dolo adeúnti Epíscopum, ac proptérea omni lóquela destitúto, fandi facultátem oratióne sua restítuit. Surdo simul et muto lóquelam cum audítu impertívit, adhíbito super os, et aures illíus signo crucis. Laudis Pompéiæ cæco a nativitáte lucis usúram impetrávit. Bríxiæ et álibi sæpius dæmónia de corpóribus obséssis fugávit. Curávit autem in primis ut, sæviénte Medioláni persecutióne in Christi fidéles Mártyrum córpora honésto tutóque loco conderéntur, ne mórtua furóri Gentílium patérent, appóni jubens eórum capítibus libéllum certáminis ad posterórum notítiam, et glóriam ipsórum Mártyrum. Ipse relíquias sanctórum Gervásii et Protásii collocávit in templo a se ad mœnia Tícini exstrúcto, ad cujus aram rite prius sacrátam, quotidiánas preces, sacrifícia conciónes, et órdines sacros solébat cum suis Cléricis perágere : ubi étiam pérfidum Judæum accéptæ Eucharístiæ illúdere moliéntem, sed víndice Deo ígnibus in gútture diríssime excruciátum, rogántibus fidélibus, cleménter a cruciátu liberávit, dígitis reverénter exstrácto Sacraménto, quod neque paláto, neque linguæ adhærébat, sed in ore illíus, quasi in aere suspénsum manébat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

D Enique fundáta, et bene confirmáta fide populórum, necnon Ecclesiástica disciplína in suo Pontificáli honóre, glorióso fine quiévit, octuagenário major, laudabíliter insúmptis annis quinquagínta et ultra in episcopáli magistério. Martyrio non est sublátus, quia ipse pótius benignitáte sua, et elóquio divíno aggressóres infidéles jugo fídei súbdidit. Sepúltus jácuit in basílica sanctórum Gervásii et Protásii a se constrúcta, donec post septingéntos annos per sanctum Deódatum ejúsdem civitátis Antístitem ad ædem Cathedrálem sancti Stéphani solémni pompa fuit translátus, et in inferióri crypta chori repósitus. Successóres hábuit juxta suam prophétiam primo loco Pompéium discípulum, a quo vita sancti Syri conscrípta créditur : secúndo Juvéntium páriter discípulum, itinerísque ac labóris amantíssimum sócium.

℟. Iste est.

In iij. Noct. Homilia. Sancti Evangélii, Fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE XII. DECEMBR.

S. Evasii

Episc. et Mart. Duplex. Omnia de Communi unius Mart. præter seq.

Oratio.

D Eus, qui Sanctis tuis in confessióne tui Nóminis virtútem atque victóriam contulísti : tríbue, quæsumus, ut dum beatíssimi Evásii Mártyris tui atque Pontíficis mérita venerámur, stúdia ejus imitári mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurrente.

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

E Vásius Benevénti Provínciæ Lemovicénsis in Gálliis, ut pérhibent, ortus, ob præcláras ejus virtútes, morúmque innocéntiam, ad dignitátem sacerdotálem evéctus fuit. Sacris ítaque initiátus, et Presbyter factus, incredíbile est, quot verbi Dei prædicatióne, et miráculis ad veram religiónem ab idolórum superstitióne perdúxerit. Sed divíni amóris æstu ad majóra vocátus, cœlésti mónitu una cum

consodáli et compresbytero Natáli Romam pétiit, imperánte Constantíno Magno, íbique a beáto Sylvéstro Summo Pontífice ad aram Príncipis Apostolórum sacrátus, et primus Asténsis Epíscopus constitútus est. Novus ígitur Præsul, nova insignítus dignitáte, statim ab urbe Romæ egrédiens, ad sedem suam cito perveníre cupiébat; quumque ad eam appropinquáret a Presbyteris et ecclésiæ suæ Minístris ac pópulo, qui omnes Epíscopo óbviam occurrérunt, magno cum honóre excéptus fuit. In sede sua episcopáli pósitus nil áliud in votis hábuit, quam Ariános et infidéles ad sanctæ fídei veritátem perdúcere, populúmque sibi commíssum verbo et exémplo in doctrína Christi confirmáre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum íllo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit illi.

Lectio v.

At dum bonus pastor gregem suum per vigínti et octo annos fidéliter, sanctéque regébat, exórta sub Constántio Augústo Arianórum fautóre tempestáte, sede sua pulsus fuit. Sed sanctus vir excússo púlvere, nullis Cæsaris minis perterrefáctus, in silvam, cui nomen Córnea, secéssit, ubi Deus Projéctum levítam ei sociávit. In solitúdine pósitus, Deum lácrymis, flétibus, précibus una cum sóciis eníxe deprecabátur, ut infidéles et Christiános a via veritátis aberrántes ad veri lúminis agnitiónem revocáret, tántaque fuit congruéntia oratiónis sancti Antístitis, ut úndique ad eum confluérent pópuli. Evásius ómnibus ómnia factus, álios exhortatióne, et verbi Dei pábulo in fide Christi confirmábat, álios idolórum cultu, et nefáriis rítibus occupátos ab erróre et impietáte revocábat, ac sacro baptísmate regenerátos Christo lucrifaciébat. Ira et livóre ínfremens avérnus pro tot animábus, quas nóbilis Christi athléta verbis et mirácu-

lis e suis eripiébat fáucibus, majórem quam ántea advérsus eum excitávit persecutiónem. Erat tunc témporis Sédulæ óppidi et dux et gubernátor Attábolus idolórum cultor : is sciens Evásium Christum prædicáre, et multos ab ímpuris erróribus ad christiánam fidem ejus ópera convérti, íllico comprehéndi, et ad se addúci jubet, totísque víribus conténdit, ut fortíssimum Christi Confessórem ad inánium deórum cultum allíciat. Sed cum constántior fíeret, neque Christum líbere confitéri desíneret, caténis onústum in tenebricósum cárcerem inclúdi ímperat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

SEquénti die exhibéri sibi præcépit dux sanctum Epíscopum, et ea spe illúsus, quod posset aliquándo invictíssimum Præsulem ad deórum cultum perdúcere, précibus, propositísque præmiis eúmdem aggréditur; quum autem frustra, et inutíliter verba fúnderet, nec quidquam sperándum ámplius dúceret, eum gládio pércuti mandat. Perdúctus ígitur ad locum supplícii, datis cervícibus illústre Christo Dómino testimónium dedit Kaléndis Decémbris, impiíssimo apóstata Juliáno imperánte; atque cum eo passi sunt levíta Projéctus, aliíque promíscui sexus centum quadragínta quinque. Pretiósam ejus mortem Deus prodígiis, et signis testátam vóluit; íllico enim ira Dei sævíit in eos omnes, qui in beátum Epíscopum insaníerant. Attábolus cæcitáte percússus, álii surdi effécti, plúrimi vero a dæmone vexáti, patráti sacrilégii pœnas luére; sed dolóre cordis tacti intrínsecus ad túmulum sancti Mártyris orántes ejus intercessióne véniam crudelitátis commíssæ a Deo precabántur. Deus autem, cui próprium est miseréri semper et párcere, quique non vult mortem peccatóris, sed ut convertá-

tur et vivat, eos prístinæ restítuit sanitáti; quare dux Attábolus sacrílegum deórum cultum éxsecrans in Deum vivum, et verum crédidit, atque una cum tota família sua aliísque permúltis utriúsque sexus sacro baptísmate regenerátus est; sicque ille qui vivens totis víribus incúbuit, ut gentes superstitióne inféctas ad Christum perdúceret, étiam mórtuus adoratóres veri Núminis adáuxit. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homil. Si considerémus. *de Commun i unius. Mart. j. loco.*

DIE XIV. DECEMBR.

S. Eligii.

Episc. Conf. Semid.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

Oratio. Exáudi.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ELígius Lémovix, aurífaber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et exínde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam étiam cum artem exercébat, subínde in sacros códices óculos intendébat, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis, et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogabat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quæréndi domum Elígii dicerétur : ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque, in ejus cámera, canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minus accéptus Dagobérto quam Clotário patri, et ab illo ad Armoricórum regem, pacis componéndæ causa, missus, reges ambos félici fœdere sociávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

MAria ejus hortátu et impénsis exstrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis ædificávit monastérium vírginum, ad quarum córpora sepeliénda ecclésiam sancti Pauli extra civitátem constrúxit. Instaurávit in eódem monastério basílicam sancti Martiális, quam ejus quoque ditávit Relíquiis. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemnis ornávit sepúlcra Sanctórum; túmulum in primis mártyris Dionysii miro artifício decorávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

DE Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoniácam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, junctis cum Audoéno stúdiis, exstirpávit. Tandem ad Novioménsem sedem assúmptus, Rothómagi una cum Audoéno, die Maii vigésimo primo, Domínica ante Litánias, in Epíscopum est consecrátus. In eo órdine non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabillonénsi sub Clodóveo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis illústris óbiit septuagenárius, desinénte die última novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, hora prima noctis, et Novióme sepúltus est. Cujus funus sancta regína Bathíldis pédibus, nec sine lácrymis, cum líberis et tota família, prosecúta est. ℟. Iste.

In iij. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. Conf. Pont. j. loco.*

DIE XIX. DECEMBR.

B. Margaritæ a Sabaudia. *Viduæ.*

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

DEus, qui beátam Margáritam a sæculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde, ut ejus méritis, et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno.

De Libro Proverbiórum.

Lectio j. *Cap.* xxxj.

AAccínxit fortitúdine lumbos suos et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus. Non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem : non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi; bissus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ.

℟. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Quia.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio ij. *Cap.* iij.

QUÆ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta; verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu; quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iij. *Cap.* v.

Víduas honóra, quæ veræ víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios aut népotes habet, discat primum domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus : hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere vídua est, et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratiónibus, et oratiónibus nocte ac die. Nam quæ in delíciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe ut irreprehensíbiles sint. ℟. Spécie tua.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Beáta Margaríta stirpe régia ducum Sabáudiæ nata, futúræ sanctitátis ab ipsa infántia specímen dedit. Adúlta paréntum jussu Theodóro Montisferráti marchióni nupsit. A sancto Vincéntio Ferrério ad altióris perfectiónis stúdium accénsa, quantum per conjúgii statum lícuit, Deo se totam devóvit : ac demum à lege viri solúta, palam sancti Domínici hábitum, quem soróres de pœniténtia gestáre solent, assúmpsit, votúmque perpétuæ deínceps viduális continéntiæ emísit. Secúndas núptias cum Phílippo Mediolanénsium duce, oblatámque Summi Pontíficis relaxatiónem voti modéste recusávit. Mira in páuperes, et infírmos ardébat caritáte : nam sub Tertiáriæ hábitu foris degens omni facultátum subsídio solabátur egénos, ministrábat ægris, languéntium sordes, úlcera, sániem própriis tergébat mánibus. A sæculi commércio lóngius abésse cúpiens, in Alba Pompéia sibi, ac religiósis Virgínibus monastérium sub cura Fratrum Prædicatórum constrúxit, in quo solémnibus votis réliquum vitæ Altíssimo consecrávit. ℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Novum vitæ genus professa novo ardóre stúdium pietátis, ac religiónis exér-

cuit. Régulæ, ac sacrárum constitutiónum observántiam ita cóluit, ut eárum nec iota, nec mínimum ápicem præteríret. Obediéntiam, et humilitátem ita servávit, ac si ex ínfima plebe ad religiósum statum convolásset. Superiórum ac præsértim Confessárii jussa summa ánimi demissióne excipiébat, abjectíssima quæque cœnóbii ministéria ultro, et alácriter obíbat. Nihil in ejus induméntis, et supelléctili supérfluum reperíre erat. Data sibi aliquándo a Christo Dómino optióne, ex tribus acutíssimis lánceis, nempe calúmnia, ægritúdine, ac persecutióne, quam vellet, eligéndi, omnes simul sustinéndas elégit. Nec feféllit evéntus, sed et ómnia æquanímiter sustínuit, ut Christo crucifíxo pleníssime configurarétur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : *Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

INter orándum sæpíssime rapiebátur in écstasim, ac divínæ uniónis dulcédine toto spíritu colliquescébat. Precum, ac lacrymárum ejus tanta vis fuit, ut quidquid a Deo péteret, impetráret. Neptem Amedéam plane a médicis desperátam integérrimæ valetúdini orándo restítuit. Fruges in agro páuperis densa grándine omníno prostrátas in messem copiósam eréxit. Dæmones Albam Pompéiam fúnditus subvértere moliéntes a cœpto detérruit, ac fugávit. Pro pace universális Ecclésiæ redintegránda máximos labóres ultro, felicitérque suscépit. Demum cœlo matúra, exáctis sub sancti Domínici hábitu annis quadragínta quátuor, ad súperos evolávit anno millésimo quadringentésimo sexagésimo quarto. Multis vivens, ac post óbitum miráculis cláruit, quibus rite ágnitis, ac probátis, Clemens décimus Póntifex máximus ejus festum in univérso Prædicatórum Ordine celebrári concéssit : ac deinde Benedíctus décimus tértius ad totum regis Sardíniæ regnum, et ad omnes ejus dominio subjéctos, nec non ad régiam ecclésiam

nationálem Almæ Urbis exténdit. ℟. Fallax.

DIE XXVI. DECEMB.
Commemoratio Omnium SS. Mart.

In j. Vesp. Aña. Isti sunt Sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam.

℣. Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio.

Deus qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ, ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Ad Laud. Aña. Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant. ℣. Mirábilis Deus in Sanctis suis. ℟. In Sanctis ejus laudáte Deum.

In ij. Vesp. Dico autem vobis amícis meis, ne timeátis ab iis, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

DIE XV. JANUARII.
Translationis S. Mauritii
Martyris.

Duplex. j. classis cum Octava.

Omnia de Communi unius Martyris præter sequentia.

Oratio.

Annue quæsumus omnípotens Deus, ut sancti Mártyris tui Maurítii nos lætíficet festíva solémnitas, ut cujus suffrágiis nítimur ejus Translatióne gloriémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres, Debitóres. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cum Maximiánus imperátor, ducto in Gálliam exércitu, in fínibus Sedunórum sacrifícii causa constitísset, Thebæórum légio, ne se impiórum sacrórum societáte contamináret, a réliquis cópiis discéssit. Quáre imperátor misit ad eos mílites, qui suo nómine nuntiárent, ut, si salvi esse vellent, in castra ad sa-

crifícia redírent. Qui se christiána religióne impedíri respondérunt. Quorum respónsum ille indegníssime ferens, majóri iracúndia, quam ántea exársit. Itaque immíssa parte exércitus in Thebæos, décimum quemque eórum primum occídi jussit : quod mártyrium sua sponte, maximéque hortatóre Mauritio, ferre maluérunt, quam imperáta fácere nefárii imperatóris : ac deínde réliquos omnes constantíssime Christum prædicántes décimo kaléndas octóbris ab univérso exércitu trucidári ímperat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit illi.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio v.

Serm. xliv. *de Sanctis.*

TRiumphális beáti Mártyris Mauritii dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus : quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem : Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

COronáta ítaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malí-

tia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit : et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat : Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cœlis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta : Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XXII. JANUAR.

S. Gaudentii

Civis Epor. et I. Novar. Episc. Duplex ij. classis.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter seq.

Oratio.

PReces nostras, quæsumus Dómine, clementer exáudi, et intercedénte beáto Gaudéntio Confessóre tuo atque Pontífice, contra cuncta nobis adversántia déxteram tuæ defensiónis exténde. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GAudéntius primus Novariénsium Epíscopus, Hiporédia in civitáte ortus, paréntes hábuit nóbiles, sed infidéles: quos, christiánæ pietátis ardóre flagrans, cum liberáre ab erróribus niterétur várie vexátus, non solum cœpta, sed pátriam quoque desérere coáctus fuit. Quare Dei mónitu, velut alter Abraham éxiens de terra et de cognatióne sua, Vercéllas proféctus, beáto Eusébio Epíscopo adhæsit, inter cléricos Ecclésiæ Vercelléensis in órdine Lectórum constitútus. Inde Nováriam pergens, sancto Lauréntio Presbytero et

Mártyri se adjúnxit factus ejus labórum párticeps ad propagándam in ea Civitáte Christi religiónem, illíus virtútum sédulus imitátor. Mediolánum quoque profiscíscens, mansit apud beátum Martínum, póstea Epíscopum Turonénsem, scriptóris múnere fungens, dum ille in monastério vitam ágeret. Et cum beátus Eusébius ob fídei cathólicæ defensiónem in Palæstínam fuísset relegátus, Gaudéntius exsílii male nullátenus formídans Scythópolim ad illum ivit, apud eum áliquot diébus commorátus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

CUM autem cérneret beátus Eusébius, Ecclésiam Vercellénsem præsídio Pastóris denudátam, Gaudéntium ad illam regéndam et custodiéndam remísit. Verum non multo post Eusébio suæ Ecclésiæ restitúto, ipse Gaudéntius Nováriæ íterum resédit; ubi Lauréntio Presbytero jam per martyrium consummáto, Noviénsis pópuli curam sancte sustinébat, doctrína et virtútum exémplis illum pascens, in angústo domicílio jejúniis, vigíliis et omni asperitáte carnem suam crucifígens cum vítiis, et concupiscéntiis. Ad eum vidéndum cum aliquándo beátus Ambrósius Mediolánі Epíscopus Dei mónitu ivísset, et dignum dixísset, qui Civitátis Epíscopus consecrarétur, divína præsentióne admónitus, respóndit, ab álio id fíeri oportére. Nec multo post, ipso Ambrósio vita functo, sanctus Simpliciánus illíus succéssor Gaudéntium Novariénsem Epíscopum ordinávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

FActus Epíscopus ómnibus óptimi pastóris offíciis sic stúduit fidéles ad ópti-

mam vitæ normam, eos vero, qui adhuc idololátriæ superstitiónibus implicáti detinebántur, ad Christi fidem addúcere, ut ipsi quoque Mausolæi cultóres, qui beáto Lauréntio necem attúlerant, Christiánam religiónem amplecteréntur, nullúsque ámplius infidélis in Civitáte remanéret. Multa sunt et magna benefícia, quæ Deus per istum beátum Præsulem Ecclésiæ Novariénsi præstáre dignátus est; sed hoc præcípuum quod vitæ Canónicæ institútum, quod Vercéllis sub sancto Eusébio didícerat, in Ecclésia Novariénsi propagávit. Quamóbrem hi duo primi exstitérunt, per quos Ordo Canonicórum Regulárium in pártibus occidentálibus est dilatátus. Sed et Clerum tum órdine, tum número insígnem constítuit, ecclésias ædificávit, parochias instítuit, multísque miráculis in vita et post mortem cláruit. Et tandem, cum per vigínti annos illam Ecclésiam sanctíssime rexísset, ad cœléste præmium migrávit undécimo Kaléndas Februárii. Cujus corpus sex ménsibus et duódecim diébus insepúltum rémanens, íntegrum, incorrúptum, róseo colóre micans, odorémque suavíssimum rédolens, sepultúræ tráditur tértio Nonas Augústi in Ecclésia extra urbis mœnia ab ipsomet fundáta. ℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

DIE XXX. JANUAR.
B. Sebastiani Valfrè *Confess. Duplex.*

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

DA nobis quæsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére, sicut beátum Sebastiánum Confessórem tuum ad multórum salútem novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SEbastiánus Valfrè in óppido Verdúno Albæ Pompéiæ diœcésis humílibus sed piis paréntibus natus, a pri-

ma ætáte haud dúbia exhíbuit futúræ sanctitátis arguménta. Elúxit quippe in púero præclára quædam bonæ ac religiósæ mentis índoles, quæ eum ad christiánam abstinéntiam ac páuperum misericórdiam mirífice attrahébat. In sortem Dómini vocátus, quum omnes, quæ sibi adversaréntur difficultátes superásset, adhuc adoléscens Ecclésiæ ministériis se addíxit. Majóre mox desidério flagrans totum se Deo et animárum salúti devovéndi, congregatiónem Oratórii Augústæ Tauri-nórum ingréssus est; quam vix incéptam et adhuc male firmam stúdio ac diligéntia plane constítuit. Ad Sacerdótium deínde evéctus, sacræ Theológiæ láuream proméruit et in collégium Doctórum cooptátus est. His adjuméntis instrúctus et sancti Philíppi Nérii præsértim vestígia premens, id unum toto vitæ cursu spectávit, ut omni ope uníus promovéret Dei cultum, et in proximórum utilitátes totus incúmberet. In nosocómiis, in gynæceis, in sanctimoniálium cœnóbiis, in statiónibus mílitum, in carcéribus, in sóntium trirémibus, in officínis, in agris, in platéis, et urbis viis, dénique in ipsa regis aula singulórum juvándis ánimis sédulam ac perpétuam impéndit óperam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Admirábilis vero éxstitit in púeris et plebe erudiénda christiánæ fídei præcéptis, quod onus sustínuit ad ætátem últimam tanta cum alacritáte, quasi tum primum Sacerdótii stádium esset ingréssus. Idem in Judæos præstitit atque hæréticos, quorum multos vel Christo adjúnxit, vel communióni restítuit. Confessárii múneri assíduus, plúrimos a peccáti servitúte solútos ad libertátem filiórum Dei tradúxit, quodcúmque genus hóminum bonitáte et cleméntia allíciens atque

ómnibus ómnia factus, ut omnes Christo lucrifáceret. In opitulándis, qui extrémo supplício afficeréntur, miræ fuit a Deo efficáciæ dono ornátus. Nec minus grátia enítuit ægrótos et morti próximos noctu diúque invísens, cujus exímiam pietátem divína sæpe prodígia prosequúta sunt. Eódem juvándi próximos stúdio, puéllas, quarum pudicítia periclitarétur ob inópiam rei familiáris, in tuto pósuit. Pérditas féminas a quæstu córporis ad continéntiam convértit, eísque ne egestátis prætéxtu íterum prolaberéntur, vitæ subsídia comparávit. Dénique in páuperes et omne miserórum genus ita fuit effúsus, ut prope porténti loco habeátur tantam pecúniæ vim potuísse corrogári, quantam ipse unus in iis sustentántis collocávit. Quæ sane admiránda viri cáritas non Augústæ Taurinórum septa limítibus se contínuit, sed ad síngulas GálliæCisalpínæ et Sabáudiæ províncias pervásit; quo factum est, ut ómnibus his locis commúnis paréntis nómine appellarétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

IN hac tam vária atque inténta apostólicæ vitæ sollicitúdine, stúdium orándi contemplandíque nunquam intermísit; ita ut viderétur, tantis labóribus defatigátus idéntidem in Dei recordatióne, et quasi ampléxu acquiéscere. Sanctíssimam Servatóris nostri Matrem tenérrimo amóris sensu venerabátur, eámque ut álii veneraréntur studióse curábat. Castitátem in omni vita prætulit singulárem, quam abstinéntia et córporis afflictatiónibus sevére custodiébat. Supérnis quoque donis a Deo ditátus, multa partim ábdita apéruit, partim longe a conspéctu remóta monstrávit, partim étiam multo post futúra prædíxit. Talis cum esset, ita de se demísse humilitérque sentiébat, ut ex firma ánimi persuasióne créderet se mortálium ómnium ínfimum

in Oratórii congregatióne retinéri aliórum indulgéntia et caritáte. Archiepiscopátum vero Taurinénsem magna ánimi contentióne a rege sibi delátum rejécit, ejúsque confessárii munus, quod invítus suscéperat, abdicávit : quærebátque modis ómnibus níhili se a quocúmque fíeri, sæpe tarditátem ingénii præferens, et géneris humilitátem plus nímio augéndo ac prope inculcándo. Demum sénio ac labóribus debilitátus, et Ecclésiæ sacraméntis reféctus, mortem, quam ante prædíxerat, Augústæ Taurinórum óbiit tértio Kaléndas Februárii anno millésimo septingentésimo décimo, ætátis suæ annum agens primum supra octogésimum : quem Gregórius décimus sextus Póntifex máximus virtútibus et miráculis conspícuum solémni ritu in Beatórum númerum ascrípsit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homil. Sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

DIE XXXI. JANUAR.

S. Julii

Conf. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

Deus, refúgium páuperum, spes humílium, salúsque miserórum, supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi ; et interveniénte beáto Júlio Confessóre tuo, quos justítia vérberum fecit afflíctos, abundántia remediórum fáciat consolátos. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Julius Présbyter, et Juliánus Diáconus Myrmídones, christiánæ fídei stúdio insígniter accénsi, illud sibi in primis proposuérunt, ut quacúmque possent, idolórum simulácra, aras, lucos, templaque destrúerent, Dómino autem Ecclésias ædificárent, ac dedicárent : cum enim multis adhuc locis in christiánis provínciis deórum cultus vigéret, pio favénte príncipe, servi Dei Epíscopi, aliíque in eam curam studiúmque incubuére, ut impietátem fúnditus tóllere co-

naréntur. Sancti ígitur viri ut divínitus cogitáta perfícerent, pátria rebúsque suis relíctis, ad Theodósium imperatórem profécti sunt a quo lítteras jussaque ad rectóres provinciárum impetrárunt, ut eis auctoritáte sua præsto essent, piúmque conátum adjuvárent. Ac multis et longínquis regiónibus peragrátis, tanto pietátis ardóre contendérunt, ut quamplúrimis evérsis délubris, Ecclésias prope centum ædificárent. Qua in re quos labóres, ac perícula subíerint, conjícere licet ex iis, quæ eádem causa multos ex antíquis Pátribus perpéssos esse, sacræ históriæ tradidérunt. Quam plúrimos étiam ea via ad christiánam religiónem prædicatióne, ac religiosárum virtútum exémplo traduxérunt Quæ facta dœmónibus ejiciéndis languóribus curándis, aliísque mirabíliter per sanctos viros divína virtúte efficiéndis confirmáta et illustráta sunt.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

DEnique in Novariénsem diœcésim cum veníssent, jam sibi subsidéndum divínitus sentiéntes, cum de plúribus locis sibi ad requiescéndum deligéndis cogitássent, ad regiónem ánimum adjunxérunt, quæ circa lacum est a sancto Júlio póstea nominátum, cujus dítio Ecclésiæ Novariénsi addícta est. Gaudiáni primo Ecclésiam ædificándam suscepérunt : quo in ópere, illud miráculi Dóminus osténdere vóluit ad servórum suórum labórem comprobándum. Cum incolárum ópera in ædificatióne Ecclésiæ, præsértim in matéria comportánda, de more uteréntur, rústici quidam eo plaustrum ducéntes a beátis viris rogáti sunt, ut una cum áliis pio lábori óperam dare vellent. Illi vero, ut opus effúgerent, unum ex ipsis, mórtui spécie in plaustro collocárunt, seséque excu-

sárunt, quod cádaver véherent. A beáto Júlio móniti ne mentiréntur, ac nihilóminus in mendácio persisténtes vere illum mórtuum invenérunt luxerúntque. At álio quoque loco sanctus Július póllicem, quem sibi operárius casu præcíderat, précibus statim restítuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et.

Lectio vj.

GAudiáni Ecclésiam quæ nonagésima nona erat, Július fratri Juliáno relinquéndam existimávit, ut eam perfíceret, dum ipse centésimæ ac postrémæ, in qua requiéscerent, locum quæreret. Cúmque ad lacum venísset, insulámque seu scópulum ad id tempus desértum longe in lacu prospexísset aptum ad id quod sibi proposúerat, locum judicávit. Consílium Deus miráculis probávit; primo enim navígio destitútus vir Dei, pro illo veste super aquas explicáta, baculóque usus ad ínsulam venit. Cum autem in ea serpéntes plúrimos vidísset, cruce lígnea in summo saxo defíxa, divína fretus auctoritáte, eos ultra lacum, in montem lácui imminéntem jussu cómpulit, ecclesiámque ad honórem Apostolórum ædificáre cœpit. Cum autem Juliánum fratrem licet juniórem in ecclésia Gaudiáni ædificáta humásset, ad ínsulam revérsus, ecclesiáque perfécta, ibi sepúlcrum sibi et Audéntio patrítio Mediolanénsi parávit, qui cum sancto Júlio máxime déditus esset, tali duce ac magístro, sanctitáte vitæ valde profécit; tum vero, quod ei sanctus Július áliud putánti ante prædíxerat, una cum eo sepúltus est et Sanctórum cultu celebrátus. Ad sepúlcra Sanctórum fratrum præsértim sancti Július, plúrimi frequénter étiam ex remótis regiónibus, ac transalpínis, imo pópuli ipsi ex multis locis post crucem, et sacerdótem suum, religióse certis anni tempóribus, peregrinántur, et sanctum Júlium a dœmónibus vexáti

úndique liberatórem sibi quærunt, ac prædicant.
℟. Iste homo.
In iij. Nocturno, Homil. Grandis fidúcia. *de Communi Abb. j. loco.*

DIE III. FEBRUARII.
S. Blasii
Episc. et Mart. Duplex.
Omnia de Comm. unius Martyris præter seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Blásium Mártyrem tuum atque Pontíficem in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti; concéde propítius, ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.
In j. Nocturno, Lect. de Scriptura occurr.
In ij. Nocturno, Lectiones ut inter Festa pro aliquibus locis ij. loco.
In iij. Nocturno Homilia. Quia Dóminus, ac Redémptor. *de Communi ij. loco.*

DIE IX. FEBRUARII
S. Apolloniæ
Virg. et Mart. Duplex.
Omnia de Communi Virg. et Mart. præt. seq.
Oratio. Deus, qui inter cétera.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.
In Quadragesima Confitébor. *de Communi pro Martyre.*
In ij. Nocturno, Lectio iv. propria ut in Breviario, Lectio v. Nunc nobis; *Lectio vj.* Neque inánis. *de Communi ij. loco.*
In iij. Nocturno, Homil. Sæpe vos, Fratres. *de Communi j. loco.*

DIE X. FEBRUARII.
Invent. *SS. Martyrum* Solutoris, Adventoris, *et* Octavii.
Duplex.
Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter sequentia :

Oratio.

Deus, qui nos gloriósa sanctórum Mártyrum tuórum Solutóris, Adventóris, et Octávii Inventióne lætíficas, concéde, quæsumus, ut quorum gloriámur triúmphis, intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.
In Quadrag. Fratres, Debitóres.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Máximi Epíscopi.

Lectio iv.

CUM ómnium sanctórum Mártyrum, fratres, devotíssime natálem celebráre debémus, tum præcípue eórum solémnitas tota nobis veneratióne curánda est, qui in nostris domicíliis próprium sánguinem profudérunt. Nam, licet univérsi Sancti ubíque sint, et ómnibus prosint, speciáliter illi tamen pro nobis intervéniunt, qui et supplícia pertulére pro nobis. Martyr enim cum pátitur, non sibi tantum pátitur, sed et pro cívibus. Sibi enim pátitur ad præmium, cívibus ad exémplum. Sibi pátitur ad réquiem, cívibus ad salútem. Exémplo enim eórum didícimus Christo crédere; didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra appáruit.

Lectio v.

BEáti ígitur Mártyres nec sibi vixérunt, nec sibi sunt mórtui. Exémplum enim nobis reliquérunt bene vivéndo conversatiónis, tolerándo fórtiter passiónis. Nam ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati Mártyres vóluit, ut tamquam idónei testes nos præsénti quodam fídei exémplo suæ confessiónis urgérent ut humána fragílitas, quæ prædicatiónis Domínicæ áditu longióre vix credit, vel præsénti oculórum testimónio martyrio créderet Beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíssime percoléndi sunt, sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum relíquias possidémus. Illi enim nos oratiónibus ádjuvant, isti étiam ádjuvant passióne: cum his autem nobis familiáritas est; semper enim nobíscum moránturr, hoc est, et in córpore nos vivéntes custó-

diunt, et de córpore recedéntes excípiunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

CErnimus ab iis frequénter obséssos immundíssimis dæmónibus hómines liberári, ita ut cœlésti medicína et captíva ánima de diáboli láqueis eruátur, et ipse diábolus vínculis ígneis alligátus perducátur de sua captivitáte captívus, ut qui prædam paulo ante corporat, ipse subdatur in prædam. Hæc et ália potióra mirabília per Sanctos fíeri ómnibus notum est. Et ídeo fratres, venerémur eos in sæculo, quos defensóres habére póssumus in futúro. Et sicut eis óssibus paréntum nostrórum júngimur, ita et eis fídei imitatióne jungámur; in nullo enim ab ipsis separári potérimus, si sociémur illis tam religióne, quam córpore.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore dixit Jesus discípulis suis : cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Epíscopi.

IN lege præcéptum erat, ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud Verbum Patris, quod Moysi ántea locútum fúerat rursus hoc præcéptum dedit : cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit, cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consisténtem in loco sancto (qui legit, intélligat), tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes, et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua, et qui in agro est,

non revertátur tóllere túnicam suam.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

HÆC cum scirent Sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in Sanctis; et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum propter nos homo factum non indígnum putávit, cum quærerétur, quemádmodum et nos, abscóndere se, et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre. Cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro se ipsum trádidit insidiántibus.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

AT vero sancti hómines, cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent (ab ipso enim et ántea, et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres, ut legítime certárent, fugiébant, et ab ipsis quæsíti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere : sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre et vivificáre, pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis, et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus, cum

eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset.

Te Deum laudámus.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Julianæ

Epored. Viduæ.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia,

Oratio.

Fortitúdo nostra, omnípotens Deus, qui per beátam Juliánam mirabília operátus es, ejus nobis intercessióne concéde, ut tuæ virtúti confísi in viam mandatórum tuórum júgiter currámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Mulíerem fortem. *de Communi.*

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

Eporediénsis matróna Juliána strénuæ virtútis Subalpínis pópulis exémpla relíquit. Hæc enim, uti seniórum traditióne compértum est, quum Eporédiam prope Thebánus miles Solútor pro Christi fide cápite plexus esset, noctu corpus ejus sublátum vehículo suo Augústam Taurinórum duxit, ubi ejúsdem mártyris sócii Adventor et Octávius pro eádem fide interfécti fúerant. Fertur autem prodígia multa in hoc itínere contigísse : nam et flúminum divísas aquas, et ipsíus Juliánæ vestígia lápidi fuísse impréssa perhibétur. Ea vero Adventóris, et Octávii exúvias repértas, Solutóris junxit córpori, et sacra hæc pígnora, Dei sane nutu, ad urbis álteram duxit partem, ibíque compósuit, ac oratóriam céllulam eo loci construxit, neque non túmulum, ubi ipsa pro véterum Christiánorum more, post mortem disponerétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Vita functa Juliána, cœlitum honóres est assecúta, ceu vétera monuménta te-

stántur. Quinto autem Ecclésiæ sæculo oratória céllula ab ipsa Juliána exstrúcta, et ubi exúviæ ejus expósitæ fúerant, in decóram Basílicam convérsa est, ac subínde eo loci monastérium institútum sancti Solutóris nómine. Verum anno millésimo quingentésimo trigésimo sexto quum hostes Augústæ Taurinórum potíti essent, ac subúrdia subvérterent, sancti Solutóris díruto monastério, sanctæ Juliánæ ossa una cum exúviis Mártyrum ibídem sitis in urbem transláta sunt, atque in sancti Andreæ priorátu in sacéllo Deíparæ, cui a Consolatióne nomen est, tantísper depósita, donec Deo in honórem ipsórum Mártyrum ac sanctæ Juliánæ, templum álterum exstruerétur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

ANno millésimo quingentésimo octogésimo quinto, quum Augústæ Taurinórum sacéllum esset cónditum sanctæ Juliánæ, et iísdem sanctis Martyribus nuncupátum, neque non attribúta prædia, quibus eo loci templum construerétur, Gregórii décimi tértii vénia sanctæ Matrónæ atque ipsórum Mártyrum exúviæ illuc delátæ sunt. Sanctæ Juliánæ caput in pyrámide collocátum, réliqua ossa in núcea arca intus ære opérta sunt pósita. In arcæ fácie miro ópere confécta, quæ Solutóris, Adventóris, et Octávii ossa continébat, étiam Juliánæ imágo sculpta est. Subínde exstrúcto nóbili templo Martyribus nuncupáto, sanctæ Juliánæ exúviæ in ara príncipe ad latus sinístrum sive Epístolæ, in urna áffabre elaboráta sunt cónditæ, ac prope lapis pósitus, in quo Juliána sua vestígia impressísse fertur. Ejus ope porténta multa contigísse non semel est tráditum.

℟. Fallax grátia.

In iij. Noct. Homilia. Cœlórum regnum. *de Communi.*

DIE XV. FEBRUARII.

SS. Faustini et Jovitæ *Martyrum.*

Semiduplex.

Omnia de Comm. plur. Martyrum præter sequ.

Oratio.

SAnctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ nos, quæsumus Dómine, lætíficet festíva solémnitas : ut quorum gloriámur triúmphis, eórum protegámur auxíliis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

InQuadrag. Fratres, Debitóres.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FAustínus et Jovíta fratres Brixiáni nóbiles, gentílibus paréntibus nati, Christi Dómini fidem máximo ánimi ardóre suscepérunt, eodémque Bríxiæ eam disseminántes, plúrimos ad Jesu Christi cultum perduxérunt. In multis deínde Itáliæ úrbibus, quo vincti sæviénte Trajáni persecutióne ducebántur, acerbíssima supplícia perpéssi, fortes in fídei confessióne perstitérunt. Nam Bríxiæ, quo témpore Itálicus comes urbem illam, et Rhetiárum pópulos cæsaris nómine regébat, diu vínculis constrícti, feris étiam objécti, in ignémque injécti, et a béstiis et a flamma íntegri et incólumes serváti sunt. Quibus miráculis permóti complúres Christo credidérunt. In illis Aphra Itálici uxor, et Calócerus dux mílitum, qui póstea váriis cruciátibus affécti, ac tandem gládio percússi, ad cœléstem martyrii corónam advolárunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

QUare tyránnus majóri iracúndia furens jussit, ut eis crudéliter pellis detraherétur. Sed, ita Deo volénte, factum est, ut, quod ille præcéperat, éxsequi minístri non possent. Inde vero iísdem caténis

colligáti Mediolánum venérunt : ubi étiam várie et crudéliter cruciáti sunt. Primum enim liquefáctum igne plumbum in eórum ora infúnditur : sed divína virtúte incólumes servántur. Iísdem póstea óculi eruúntur; sed Jesu Christi benignitáte sequénti die restituúntur. Plúrimis postrémo áliis et exquisitíssimis torméntis fides eórum tentáta, tamquam igne aurum, in cruciátibus magis enítuit. Póstea Romam missi ab Evarísto Pontífice confirmáti, ibi quoque crudelíssime torquéntur. Dénique perdúcti Neápolim, in ea étiam urbe várie cruciáti, vinctis mánibus pedibúsque, in mare demergúntur, unde per Angelos mirabíliter erépti sunt. Quare multos, et constántia in torméntis, et miraculórum virtúte ad Christi fidem convertérunt. Postrémo redúcti Bríxiam, inítio suscépti ab Adriáno impérii, secúri percússi illústrem Martyrii corónam accepérunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

HOrum Sanctórum patrocínium Brixiána cívitas expérta præsértim est, quo témpore eámdem dira obsidióne prémeret Nicoláus Picíninus, suprémus Mediolanénsium copiárum imperátor. Síquidem eam urbem ab hóstili vi repénte liberátam fuísse, postquam sanctíssimi illi Patróni sese conspiciéndos super ejúsdem mœnia in armis áureis instrúctos Picinino præbuíssent, certo cértius testántur Ludóvici Fuscaréni, qui senátus Véneti nómine quatuórdecim tantum annis post solútam illam obsidiónem, Brixiánæ provínciæ cum império præerat, lítteræ binæ ad sanctum Lauréntium Justiniánum jam Venetiárum Patriárcham conscríptæ. In iis enim primum narrátur qua ratióne Brixiánum pópulum pius incénderit furor advérsus religiósos Canónicos sancti Geórgii in Alga, in suspiciónem vocátos íniti consílii de as-

portándis Bríxia Venétias eorúmdem Sanctórum corpóribus; deínde vero furóris illíus causa hisce verbis expónitur : « Mémores sunt, cum circumvalláti, inclúsi fame laborárent, última experiréntur perícula, visos ab hóstibus Tutóres sanctíssimos áureis armis Bríxiam tuéri, quo miráculo attónitus Nicoláus Picíninus dux fortíssimus, potiúndæ urbis spem pérdidit, supplícii peténdi, aurúmque habéndi aviditátem remísit. Quas ob res difficílius his corpóribus carérent. » Quo indúbio documénto harum litterárum exstántium in vetústo manuscrípto códice tercéntas et ámplius ejúsdem Ludóvici Fuscaréni epístolas complecténte, permótus Benedíctus décimus quartus, qui illud ipsum laudándi occasiónem céperat in ópere de servórum Dei beatificatióne, et beatórum canonizatióne Patávii recúso, benígne indúlsit, ut binis superióribus lectiónibus tértia hæc recens pro Brixiána Ecclésia adderétur; idque ad pias enixásque preces Cardinális Angeli Maríæ Quírini Epíscopi ejúsdem urbis, cujus ópera et stúdio binæ epístolæ illæ invéntæ, et pública étiam luce donátæ fuérunt.

℞. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* vj. 2.

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ.

PRædicánte, dilectíssimi, Dómino nostro Jesu Christo Evangélium regni, et divérsos per totam Galilæam curánte languóres, in omnem se Syriam virtútum ejus fama diffúderat, et multæ ex univérsa Judæa turbæ ad cœléstem médicum confluébant. Quia enim tarda est humánæ ignorántiæ fides ad credénda quæ non videt, ad speránda quæ nescit, oportébat divína eruditióne firmándos cor-

póreis benefíciis, et visibílibus miráculis incitári, ut cujus tam benígnam experiebántur poténtiam, non ambígerent salutárem esse doctrínam. Qui ergo locútus fúerat Moysi, locútus est et Apóstolis; et in córdibus discipulórum velox scribens Verbi manus novi testaménti decréta condébat, nulla ut quondam circumfúsa núbium crassitúdine, neque per terríbiles sonos atque fúlgures pópulo ab accéssu montis abstérrito, sed paténte ad aures circumstántium tranquillitáte collóquii, ut per grátiæ lenitátem removerétur legis aspéritas, et spíritus adoptiónis auférret formídinem servitútis.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

BEáti páuperes, beáta illa paupértas, quæ rerum temporálium amóre non cápitur, nec mundi ópibus augéri áppetit; sed cœléstibus bonis ditéscere concupíscit. Hujus nobis magnánimæ paupertátis exémplum primi post Dóminum Apóstoli præbuérunt : quia ómnia sua sine differéntia relinquéntes ad vocem cœléstis Magístri, e captúra píscium in piscatóres hóminum álacri conversióne mutáti sunt : et multos sui símiles fídei suæ imitatióne fecérunt : quando illis primitívis Ecclésiæ tempóribus unum cor ómnium, et ánima una erat credéntium, qui univérsis suis rebus, possessionibúsque distráctis, per devotíssimam paupertátem bonis ditabántur ætérnis, et ex Apostólica prædicatióne gaudébant nihil habére de mundo, et ómnia possidére cum Christo.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Contemnéntes. Glória. Contemnéntes.

Lectio ix.

BEáti qui nunc flétis. Luctus hic, dilectíssimi, cui consolátio ætérna promíttitur, non est cum mundi hujus affectióne commúnis, nec beátum quemque fáciunt ista laménta quæ totíus humáni géneris deploratióne fundúntur. Alia rátio est Sanctórum gemítuum, ália beatárum causa lacrymárum. Religiósa tristítia aut aliénum peccátum luget, aut próprium. Nec de hoc dolet, quod divína justítia ágitur; sed de eo mœret, quod humána iniquitáte commíttitur : ubi magis plangéndus est fáciens malígna, quam pátiens : quia injústum malítia sua mergit ad pœnam, justum autem tolerántia ducit ad glóriam.

Te Deum laudámus.

DIE XXVII. FEBR.

S. Ephysii

Martyris.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequ.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui per crucem et passiónem tuam mundum vicísti, eodémque signo mirábili beátum Ephysium Mártyrem tuum fídei præcónem deléctum ad converténdas infidélium gentes cœlitus vocáre dignátus es; præsta quæsumus, ut quem fídei propagatórem habúimus in terris, intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis. Qui vivis.

In I. Nocturno.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap.* j.

FRatres, verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est : iis autem, qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens ? Ubi scriba ? Ubi conquisítor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem

prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia et sanctificátio, et redémptio : ut quemádmodum scriptum est : qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. — Fundátus.

Lectio ij. *Cap.* ij.

ET ego cum venísssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos : et sermo meus, et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos : sapiéntiam vero non hujus sæculi, neque príncipum hujus sæculi, qui destruúntur : sed lóquimur Dei sapiéntiam, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum hujus sæculi cognóvit : si enim

cognovíssent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Sed sicut scriptum est : quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis, qui díligunt illum : nobis autem revelávit Deus per spíritum suum. Spíritus enim ómnia scrutátur étiam profúnda Dei. Quis enim hóminum scit, quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi spíritus Dei. Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum, qui ex Deo est, ut sciámus, quæ a Deo donáta sunt nobis, quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína spíritus, spirituálibus spirituália comparántes.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Lectio iij. *Cap.* iij.

ET ego, fratres, non pótui vobis loqui quasi spirituálibus, sed quasi carnálibus. Tamquam párvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poterátis : sed nec nunc quidem potéstis : adhuc enim carnáles estis. Cum enim sit inter vos zelus, et conténtio : nonne carnáles estis, et secúndum hóminem ambulátis? Cum enim quis dicat : ego quidem sum Pauli; álius autem : ego Apóllo : nonne hómines estis? Quid ígitur est Apóllo? Quid vero Paulus? Minístri ejus, cui credidístis, et unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit ; sed Deus increméntum dedit. Itaque neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat : sed, qui increméntum dat Deus. Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet secúndum suum labórem. Dei enim sumus adjutóres : Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui : álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat, quómodo

superædíficet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere, præter id, quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : Christus autem Dei.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EPhysius Æliæ ortus, ac Diocletiáno ápprime carus ab eódem in Itáliam advérsus Christiános proficiscéndi potestátem accépit. Verum in itínere crucis in áëre emicántis apparitióne, et mira voce próprio eum nómine vocánte, commótus, ad fidem convérsus fuísse créditur. Sacro baptísmate regenerátus, religiónis zelo, et fídei dilatándæ desidério fervére cœpit; nihílque magis in votis hábuit, quam sacrílegum deórum cultum ubíque géntium profligáre. Hinccum efferátos quosdam pópulos Sardíniæ ínsulam Itáliæ adjacéntem pravis móribus, et religióne infestáre comperísset, Deo inspiránte, expeditiónem statim parávit, atque ad eam partem classem applícuit, ut gentes adhuc superstitióne inféctas ad christiánam fidem perdúceret. Hóstibus ítaque in Arborénsi província non tam armis, quam oratióne fusis, cum innúmeros ex dispérsis Christo lucrátus esset, Cálarim, quæ totíus ínsulæ caput et metrópolis erat, festínus perréxit : ut quos forte idolórum profáno cultu, et nefáriis rítibus occupátos vidéret, ab erróre, et impietáte revocáret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

HUic tam pio, ac exímio óperi cum veheménter incúmberet, de rebus ab eódem gestis mónitus per lítteras Diocletiánus ira prótinus excánduit : utque Ephysium a propósito detérreat, Július quemdam præsidem in Sardíniam mittit, qui for-

tíssimum athlétam profúsa liberalitáte ad prístinum deórum cultum allíciat; secus, si invícto prorsus ánimo obsisténtem fléctere néqueat, omni suppliciórum acerbitáte a senténtia dimóveat. His ómnibus nullátenus extérritus Ephysius, quod neque précibus et pollicitatiónibus, neque júdicis severitáte et minácibus verbis addúci posset, ut christiánam religiónem deséreret, in tenebricósum cárcerem omni prorsus humáno auxílio destitútus inclúditur, ærúmnis, et diutúrna inédia conficiéndus. Sed cum constántior in dies eváderet, neque Christum líbere confitéri desísteret, fústibus crudelíssime cæsus pene exánimis in cárcerem íterum detrúditur, ut loci horróre, et vúlnerum acerbitáte vexátus ánimam effláret. Dei autem virtúte repénte convaléscens ad Appóllinis templum addúci postulávit, quod núntium lætus excípiens iníquus præses, quod fractæ constántiæ indícium créderet, précibus ánnuit libénter. Non longe autem a loco, fusa ad Deum supplicatióne, idóla subvérsa sunt; et íllico templum córruit. Quo miráculo ádeo extérritus est Július, ut delegáta Flaviáno potestáte, statim e líttore sólverit, iracúndia simul et timóre corréptus.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

FLaviánus ítaque ea spe illúsus, quod posset aliquándo sanctíssimum Confessórem ad deórum cultum revocáre, précibus primum, propositísque præmiis eúmdem aggréditur : cum autem frustra et inutíliter verba fúnderet, nec quidquam sperándum ámplius dúceret, eúmdem gládio pércuti jubet. Novo ínterim prodígio Dei virtus enítuit : nam cum cárnifex ictum libráret, gládium manu forte excidísse fertur, quem dénuo erígere frustra sæpius tentáverit.

Ira ítaque magis excandéscens Flaviánus, qui miráculi novitáte mitéscere debúerat, jubet corpus Mártyris óleo, résina, pice inúngi, acetóque respérsum admótis flammis adúri et lente torquéri; quod immáne supplícium cum hymnos Deo canens fórtiter superásset, in ardéntem fornácem injícitur. Sed quod inde, cunctis stupéntibus, illæsus exiísset, véritus iníquus judex, ne tot tantísque prodígiis pópulus impérium detrectáret, et Christi fidem amplecterétur, extra urbem Noras perdúctum cápite plecti ímperat. Ad locum ítaque supplícii dedúctus, lætus et hílari vultu collum carnífici submísit, ac seípsum et Calaritánam civitátem Deo comméndans, ánimam placidíssime exhalávit décimo octávo Kaléndas Februárii. Exstat Cálari ad partem urbis occíduam alte defóssa subterránea crypta, quam Mártyris cárcerem perantíqua traditióne íncolæ appéllant, ad quam, ut et ad ejus nómine Deo sacrum próximum templum, magna frequéntia pópuli confluéntes, Mártyris memóriam summa religióne venerántur, ejúsdem opem in hóstium incursiónibus aliísque públicis calamitátibus præsentíssimam semper expérti. Quocírca Pius Papa sextus ejúsdem festum cum Offício et Missa in univérsa Sardíniæ regis ditióne ab ómnibus, qui ad horas canónicas tenéntur, celebrári benígne indúlsit. ℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo tempóre dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia vénerim pacem míttere in terram; non veni pacem míttere, sed gládium. Et relíqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

QUÆ ista dívísio est? Inter prima enim legis præcépta accépimus : Honóra patrem tuum, et matrem tuam; et ipse Dóminus ait : pacem meam do vobis, pacem relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre,

et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus nimíci? Igitur exínde pública auctóritas impietáti proferétur : ubíque ódia, ubíque bella, et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desæviens? Gládius telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in Prophétis auctóritas est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

DEI ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio, qui gládius missus in terram est; idest prædicátio ejus hóminum corpóribus infúsa. Fitque gravis in domo una disséńsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca, quia ille per verbum Dei divísus ab illis manére et intérior et extérior, idest et corpus et ánima in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas.

Lectio ix.

PErgit deínde eódem præceptórum et intelligéntiæ decúrsu. Nam posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit : qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; quia qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis et concupiscéntiis. Et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc Sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.

Te Deum laudámus.

DIE IV. MARTII.

B. Humberti III.

Sab. Com. Conf.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et crucis mortificatiónem amplécti docuísti : da nobis quæsumus, ejus intercessióne et exémplo terréna despícere atque ætérna sectári. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Humbértus tértius Sabáudiæ comes ex Amedéo tértio et Mathílde apud Aveliánam Pedemóntii anno Christi millésimo centésimo trigésimo sexto ortus, a téneris annis paréntum stúdio ad pietátem informátur. Defúncto patre, sub disciplína beáti Amedéi Epíscopi Lausanénsis ádeo profécit, ut regni splendórem ac divitiárum illécebras despíciens cœlésti tantum contemplatióne fruerétur. Oratióni ac meditatióni sédulo vacáre, severióris ac jugis pœniténtiæ ópera exercére in delíciis hábuit : quæ ut facílius, ac libérius præstáret in Altæcúmbæ Cisterciénsium cœnóbio sese ábdidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Ut súbditos ab hóstium incursiónibus liberáret ab erémo égredi cógitur, iísque fugátis, cunctísque ditiónis suæ rebus compósitis, dénuo solitúdinem pétiit perfectióni christiánæ únice inténtus. Verum cum reipúblicæ necéssitas urgéret, optimátum totiúsque gentis suæ instántibus votis, et prælatórum præcépto íterum claustra deséruit, et uxórem duxit, ex qua fílium principátus herédem obtínuit. Cónjuge autem annuénte statim ac per regni negótia ei

lícuit ad septa cœnóbii revértitur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Solútus temporálibus curis sédulo virtútum ómnium exercítio, maceratióni carnis, rerúmque divinárum contemplatióni se totus addíxit. Multis a Deo charismátibus ditátus, die et hora, qua prædíxerat, sacraméntis ardénti caritáte suscéptis, placidíssime obdormívit in Dómino anno Christi millésimo centésimo octuagésimo octávo ætátis quinquagésimo secúndo, et honoríifice in ædis claustro depósitus est. Sanctitátem ejus Deus miráculis illustrávit, idcírco et in tábulis Menológii órdinis Cisterciénsis et sancti Benedícti aliísque cœléstium indícibus nomen inscríptum, ac beáti título et públici cultus honóribus decorátus fuit, quem rite probátum Summus Póntifex Gregórius décimus sextus anno millésimo octingentésimo trigésimo octávo confirmávit, benignéque indúlsit, ut illíus festum ab utróque clero tam sæculári, quam regulári in univérsa Sardíniæ regis ditióne, Missa, Officióque próprio celebrarétur. ℟. Iste.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xj.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. viij. *in Luc.*

Bonus ordo, ut vocatúrus gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur : nihil déderat pópulo Judæórum, unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? non mediócris ista est mna, quam supra múlier evan-

gélica, quia non ínvenit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

DEnique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque; fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus. Ille duplícia, id est, mystica legis et morália probitátis. Unde et Matthæus quinque talénta et duo talénta pósuit : in quinque taléntis ut sint morália, in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória. Et.

Lectio ix.

ST hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est, legis doctrínam, quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt, non útique æris, sed dispensatiónis usúris; ália est enim pecúniæ fœnebris, ália doctrínæ cœléstis usúra.

Te Deum.

DIE VI MARTII.

S. Marciani Derth.

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequ.

Oratio. Deus qui nos.

In j. Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArciánus primus Derthonénsis Ecclésiæ Epíscopus, sanctimóniæ laude, et marty-

rii coróna apud omnem posteritátem cláruit. Hic cum divíni verbi prædicatióne gentíles in Ligúria ad Christum convérteret, Derthonénsium, qui jam christiánam religiónem recéperant, factus Epíscopus, deláti múneris partes esse intélligens, ut pópulum sibi commíssum partim in Christi fide confirmáret, et partim ab impietáte atque a falsa superstitióne avérteret, id Evangélica prædicatióne præstitit, multósque ad Christi fidem perdúxit, atque ex servis peccáti líberos fecit justítiæ.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

INtérea fervénte adhuc sub Adriáno cæsare persecutióne Trajáni, Saprícius præféctus spirans minárum et cædis in christiános, Medioláno Derthónam tendébat, secum in comitátu beátum Secúndum équitem Asténsem adhuc cathecúmenum ducens. Huic cum Marciánus occúrreret, eúmque ad perseverándum in Christi fide hortarétur, accusántibus gentílibus, præses, ut áliis timor incuterétur, in arctíssima custódia inclúdi sanctum Epíscopum mandat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

TEntávit præféctus blandítiis ac minis Marciánum abdúcere a christiána religióne; verum nihil profíciens, eo quod unum se, verúmque Deum cólere constantíssime affirmáret, ignítas láminas ejus péctori admovéri jussit, sed ab igne illæsus, imo miram odóris suavitátem spirans, váriis torméntis cruciátus, tandem extra urbem cápite pléctitur. Ejus corpus a beáto Secúndo sepúltum, cum diu latuísset, mirabíliter ab Innocéntio ejúsdem urbis

sanctissimo Epíscopo invéntum, in basílica ejus nómini dicáta cónditum est. ℞. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Communi unius Mart. j. loco.*

SUFFRAGIA SANCTORUM.

De Ss. Sabino, Besso et Thegulo, *Mart.*

Ad Vesp. Aña. Mártyres Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delectántur in lætítia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres Sabínum, Bessum et Thégulum fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Ad Laud. Aña. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

℣. Exsúltent. *ut supra.*

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per horum sanctórum Mártyrum tuórum Sabíni, Bessi et Théguli, qui in præsénti requiéscunt ecclésia, mérita gloriósa, ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper muniámur advérsis.

De omnibus Sanctis.

Ad Vesp. Aña. Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte Justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Vel ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Vel ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio.

DEus, qui nos concédis ómnium Sanctórum tuórum memóriam ágere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Aña et ℣. *ut ad Vesp.*

Oratio.

INfirmitátem et fragilitátem nostram, quæsumus, Dómine, propítius réspice, et mala ómnia, quæ juste merémur, ómnium Sanctórum tuórum intercessióne, avérte.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 2 Aprilis 1901.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.

Sanctae Eporediensis Ecclesiae ac totius Dioecesis Proprium

Illustrissimi ac Reverendissimi D.D.

—✢— Matthaei Filipello —✢—

e Taurinensi Theologorum Collegio

Dei et Apostolicæ Sedis gratia

Episcopi Eporediensis

cura recognitum et editum.

Pars Verna.

ROMÆ — TORNACI.

Typis Societatis S. Joannis Evangel.

Desclée, Lefebvre et Soc.

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congreg. Typograph.

MCMI.

Matthaeus Filipello

E TAURINENSI THEOLOGORUM COLLEGIO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS EPOREDIENSIS ET COMES

Venerabili et Universo Clero Diœcesis Salutem in Domino.

CUM Nobis sit compertum Proprii Diœcesis novam impressionem a Vobis desiderari, vestris annuentes votis, exaratum a Prædecessore Nostro Aloysio Moreno felicis recordationis, complures requirens emendationes quoad aliqua Officia a S. Sede reformata, recognovimus. Pariter, ad majorem Sacerdotum commoditatem, quæ officia jamdudum in omnibus Breviariorum editionibus impressa inveniuntur curavimus expungenda, adjungenda autem, tamquam nostræ Diœceseos propria, a duobus proximis Nostris Prædecessoribus, quorum memoria in benedictione est, rite introducta.

Et Nos Ipsi maxima animi lætitia gaudentes alte fixam esse in populo, Nostræ curæ commisso, devotionem erga B. M. V. Dei, nostrique Matrem, et erga Sacratissimum Cor Jesu Christi D. N., a Sacra Rituum Congregatione obtinere studuimus tum Officium proprium, sive B. M. V. titulo Consolationis Matris, jam pridem Archidiœcesi Taurinensi concessum, cum illud B. Margaritæ Mariæ Alacoque, devotionis erga SS Cor Jesu almæ propagatricis. Item, quum, sive in Civitate, sive in Diœcesi multæ sint Ecclesiæ Sanctæ Marthæ Virgini dicatæ, votis complurium Curatorum animarum annuentes, obtinuimus ut festum hujus Sanctæ Virginis ad ritum duplicem eveheretur.

Quibus rite ordinatis, mandamus Kalendaria annua. seu directoria divinarum precum deinceps ad tramites hujus editionis omnino confici : universis vero et singulis tam Civitatis quam Diœcesis Ecclesiasticis viris, et Sacrarum laudum lege devinctis, id quoque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut hæc divina Officia pie suscipiant, istumque sibi comparantes libellum ea continentem, publice ac privatim recitent. Vos tandem rogamus, Carissimi et obsecramus in Domino Jesu, ut quorum laudes persolvitis, et præconium facitis, virtutes quoque æmulemini, exempla sequamini, constantiam et robur induamini; ita eveniet, ut divina jugiter officia digne, attente ac devote recitantes, quorum gloriamur triumphis ac præsidiis fruimur, consortium et habere possimus in cœlis.

Eporediæ, e palatio Nostro Episcopali, Nonis Martiis a Sancto Thoma Aquinate solemnibus.

Matthaeus EPISCOPUS.

Kalendarium Ecclesiae et Dioecesis Eporediensis

(APPROBAT. A. S. R. CONGREG. DECRET. 22 SEPTEMB. 1859.)

Asteriscus denotat Festa quæ in hoc PROPRIO *continentur.*

Februarii.

8. S. Joannis de Matha C. *dup.*
9.* S. Apolloniae V. et M. *duplex.* 14
10.* Inventio SS. Mm. Solutoris, Adventoris et Octavii. *duplex.* 14
11. SS. septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V. *duplex.*
12.* S. Petri Nolasci (*31. Jan.*) *dup.* 18
13.* S. Julianae Vid Epored. *duplex.* 20
14. S. Scholasticae V. (*19. hujus*) *duplex.* Com. S. Valentini Presb. M.
15.* SS. Mm. Faustini et Jovitae. *sem.* 21
16.* S. Canuti Regis M. *sem. ad lib.* (*19. Jan.*) . . . 26
17.* SS. Mm. Vincentii et Anastasii (*22. Jan.*) *sem.* . . . 27
18.* S. Raymundi de Pennafort (*23. Jan.*) *sem.* Com. S. Simeonis Ep. et M. 30
19.* S. Martinae V. M. (*30. jan.*) *sem.* 32
20. SS. Mm. XXVI Japonensium (*5. hujus*) *duplex*
21. S. Cyrilli Alexandr. Ep. D. (*9. hujus*) *dup.*
22. Cathedra S. Petri Antioch. *duplex majus.* Com. S. Pauli Ap.
23. S. Petri Damiani Ep. D. *duplex.* Com. Vigil.
24. S. Matthiae Ap. *duplex 2. classis.*
25.
26. S. Margaritae de Cort. (*23. hujus*) *sem.*
27.* S. Ephisii M. (*15. Jan.*) *dup.* 35
28.

Festa Mobilia.

Feria VI. post cineres : Oration. D. N. J. C. in Monte Oliv. *duplex majus.* Com. fer.
Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Passionis D. N. J. C. *duplex majus.* Com. Fer.
Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacrae Spineae Coronae D. N. J. C. *duplex majus.* Com. fer.
Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Lanceae et Clavorum D. N. J. C. *duplex majus.* Com. fer.
Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Sacrarum Quinque Vulnerum D. N. J. C. *duplex majus.* Com. fer.

Martii.

1.
2.
3.
4.* B. Humberti a Sab. C. *duplex.* Com. S. Lucii Pp. M. . 42
5. S. Casimiri C. (*4 hujus*) *sem.*
6.* S. Marciani I Ep. Derthon. et M. *duplex.* 44
7. S. Thomae Aquinatis, C. D. Patroni Universit. et Scholar. *dup.* Com. Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis
8. S. Joannis de Deo C. Hospital et Infirmor. Patroni. *dup.*
9. S. Franciscae Romanae Vid. *duplex.*

10. SS. XL Martyrum, *sem.*
11.
12. S. Gregorii Magni Pp. D. *duplex.*
13.
14.
15.
16.
17. S. Patritii Ep. C. *duplex.*
18. S. Gabrielis Archang. *duplex majus.*
19. S. Joseph Sponsi B. M. V. Cathol. Eccl. Patroni. *duplex 1. classis.*
20.* B. M. V. de Misericordia (*18. hujus*) *dup. maj.* 46
21. S. Benedicti Abb. *duplex majus.*
22. S. Catharinae Fliscae Adurnae, Vid. *duplex.*
23. S. Cyrilli Hyerosol. Ep. D. (*18. hujus*) *dup.*
24.
25. Annuntiatio B. M. V. *duplex 1. classis.*
26.
27. S. Joannis Damasceni E. D. *duplex.*
28. S. Joannis a Capistrano C. *sem.*
29.* S. Secundi Astensis M. *duplex.* 55
30.* B. Amedei a Sab. C. *duplex.* 57
31.

Festa Mobilia.

Feria VI. post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. M. V. *duplex majus.* Com. fer.

Aprilis.

1.
2. S. Francisci a Paulo C. *dup.*
3.
4. S. Isidori Ep. D. *dup.*
5. S. Vincentii Ferrerii C. *dup.*
6.
7.
8.
9.
10.
11. S. Leonis Magni Pp. D. *dup.*
12.* B. Angeli a Clavaxio C. *dup.* 60
13. S. Hermenegildi M. *sem.*
14. S. Justini Philosophi M. *dup.* Com. Ss. Mm. Tiburtii, Valeriani et Maximi.
15.
16.
17. S. Aniceti Pp. M.
18.* S. Caloceri M. *sem.* 62
19.
20.
21. S. Anselmi August. Ep. D. *dup.*
22. SS. Mm. Soteris et Caii Pp. *sem.*
23.* S. Georgii M. *sem.* 64
24. S. Fidelis a Sigmaringa M. *dup.*
25. S. Marci Evang. *dup. 2. cl.*
26. SS. Cleti et Marcelliani Pp. M. *sem.*

27.* S. Zitae Virg. *sem.* 66
28. S. Pauli a Cruce C. *dup.* Com. S. Vitalis M.
29. S. Petri M. *dup.*
30. S. Catharina Senensis Virg. *dup.*

Festa Mobilia.

* *Dom. II. post Pascha :* SS. Reliquiarum quoe in Cathedr. aliisq. Eccl. Epored. Dioec. asservant. *dup. maj.* Com. Dom. 7

Dom. III. post Pascha : Patrocinium S. Joseph. *dup. 2. cl.* Com. Dom.

* *Dom. a Pascha ad Pent. non impedita festo altioris ritus vel aequalis.* B. M. V. de Bono Consilio. *dup. maj.* Com. Dom. 14

Maius.

1. SS. Apost. Philippi et Jacobi. *dup. 2. cl.*
2. S. Athanasii Ep. D. *dup.*
3. Inventio S. Crucis. *dup. 2. cl.* Com. Ss. Mm. Alexandri, etc.
4.* SS. Sindonis. *dup. 1. cl. cum Octava.* 69
5. S. Pii V Pp. C. *dup.* Com. Oct.
6. S. Joannis ante Port. Lat. *dup. maj.* Com. Oct.
7. S. Stanislai Ep. et M. *dup.* Com. Oct.
8. Apparit. S. Michaëlis Arch. *dup. maj.* Com. Oct.
9. S. Gregorii Naz. Ep. D. *dup.* Com. Oct.
10. S. Antonini Ep. C. *dup.* Com. Ss. Mm. Gordiani etc. et *Oct.*
11.* Octava Ss. Sindonis. *dup.* 70
12. SS. Mm. Nerei, Achillei, etc. *sem.*
13. S. Monicae Vid. (*4 hujus*) *dup.*
14.* B. Alexandri Sauli Ep. C. (*23. April.*) *dup.* Com. S. Bonifacii M. 75
15.* S. Isidori Agricolae C. *dup.* 75
16. S. Joannis Nepomuc. M. *dup.*
17. S. Paschalis Baylon C. Coetuum Eucharistic. Patroni. *dup.*
18. S. Venantii M. *dup.*
19. S. Petri Coelestini Pp. C. *dup.* Com. S. Pudentianae V.
20. S. Bernardini Senensis C. *sem.*
21. S. Felicis a Cantalic. C. *sem.*
22. S. Ubaldi Ep. C. (*16. hujus*) *dup.*
23.
24. B. M. V. Auxilium Christianor. *dup. maj.*
25. S. Gregorii VII Pp. C. *dup.* Com. S. Urbani Pp. M.
26. S. Philippi Nerii C. *dup.* Com. S. Eleutherii Pp. M.
27. S. Mariae Magdalenae de Pazzis Virg. *dup.* Com. S. Joannis Pp. M.
28. S. Augustini Ep. C. *dup.*
29.
30. S. Felicis Pp. M.
31. S. Angelae Merici Virg. *dup.* Com. S. Petronillae Virg.

Festa Mobilia.

* *Dom. Maii vel Junii non impedita Festo. altioris ritus :* B. M. V. Titulo Divini Pastoris Matris. *dup. maj.* Com. Dom. 14

* *Dom. a Pent. ad Advent. non impedita Festo dupl.* B. M. V. De Succursu. *dup. maj.* Com. Dom.

Junius.

1.
2.* S. Theobaldi C. *duplex*. Com. Ss. Mm. Marcellini atque Erasmi 75
3.
4. S. Francisci Caracciolo C. *dup.*
5. S. Bonifacii Ep. M. *dup.*
6*. Insigne Miracul. SS. Sacramenti Taurini patrat. anno 1453. *dup. maj.* 77
7. S. Noberti Ep. C. (6. *hujus*) *dup.*
8.
9. SS. Mm. Primi et Feliciani.
10. S. Margaritae Scot. Reg. Vid. *sem.*
11. S. Barnabae Ap. *dup. maj.*
12. S. Joannis a S. Facundo C. *dup.* Com. Ss. Mm. Basilidis etc.
13. S. Antonii de Padua C. *dup.*
14. S. Basilii Ep. D. *dup.*
15.* S. Bernardi Menthonensis C. *dup.* Com. SS. Mm. Viti etc. 85



Sanctæ Eporediensis Ecclesiæ ac totius Diœcesis Proprium.

PARS VERNA.

DOM. II. POST PASCHA. Commemorationis SS. Reliquiarum

QUÆ IN CATHEDRALI ALIISQUE ECCLESIIS ASSERVANTUR.

Duplex majus.

Omnia de Communi Martyrum Tempore Paschali præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. *Rom.* viij.

Si spíritus ejus, qui suscitávit Jesum a mórtuis, hábitat in vobis: qui suscitávit Jesum Christum a mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra propter inhabitántem spíritum ejus in vobis.

Hymnus.

Adéste Sancti, plúrimo
Dum thure, vestra dum piis
Colúntur ossa rítibus,
Votis favére súpplicum.

Non illa quanquam trístibus,
Imo redácta in púlverem,
Dudum sepúlcris squálleant,
Divína virtus déserit.

Sed sancta præsénti fovet,
Implétque templa Númine.
Sed, et futúræ Spíritus
Post secla servat glóriæ.

Hinc ille, qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,

Torquet, fugátque dæmones.
Sit summa, Christe, laus tibi
Ventúre Judex sæculi,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum, allelúia. ℟. Unum ex his non conterétur, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invit. Deum vivum, in quem cor, et caro Sanctórum exsúltant : * Veníte adorémus, allelúia.

Hymn. Adéste. *ut supra.*

In I. Nocturno.

Añæ et Psalmi de Comm. Martyrum temp. Pasch.

℣. Dórmiunt in terræ púlvere, allelúia. ℟. Evigilábunt in vitam ætérnam, allelúia.

Lectiones. Fratres. *de Communi plur. Mart.*

In II. Nocturno.

℣. Justi quasi virens fólium germinábunt, allelúia. ℟. Non commovébitur radix eórum, allel.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

QUamquam, dilectíssimi, honórum nostrórum Sancti non egent, ne quidquam eis nostra devotióne præstátur; plane quod eórum memóriam venerámur, nostra ínterest, non ipsórum. Vultis scire quantum ínterest nostra ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári, et desidérium tríplex. Primum desidérium quod in nobis Sanctórum memória vel éxcitat, vel íncitat magis, hoc est, ut eórum tam optábili societáte fruámur, et mereámur concíves, et contubernáles esse Spirítuum beatórum, et collætári communióne Sanctórum. Singulórum vero recordatiónes quasi scintíllæ síngulæ, imo quasi ardentíssimæ faces devótos accéndunt ánimos, ut eórum et conspéctum sítiant, et compléxum, ádeo ut plerúmque étiam inter eos esse se réputent, modo ad omnes simul, modo ad hos, vel ad illos tota aviditáte, et veheméntia corda vibrántes. Non tantúmmodo socíetas, sed étiam felícitas nobis est optánda Sanctórum, glóriam quoque ferventíssimo stúdio ambiámus.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine,

* Et ætérnitas témporum, allelúia, allel. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum, gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et.

Lectio v.

HOC ergo secúndum desidérium, quod ex Sanctórum commemoratióne flagrat in nobis, ut sicut illis, sic nobis étiam Christus appáreat vita nostra, et nos quoque cum ipso appareámus in glória. Sane ut eam glóriam nobis sperá-re líceat, et ad tantam beatitúdinem aspiráre, summópere desideránda sunt suffrágia quoque Sanctórum, ut quod possibílitas nostra non óbtinet, eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini mei, miserémini mei saltem vos, amíci mei. Nostis ipsi periculum nostrum, nostis figméntum, nostis ignorántiam nostram, et dolos adversariórum, nostis eórum ímpetus, et nostram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eádem tentatióne fuístis, qui eósdem superástis conflíctus, eósdem láqueos evasístis, qui didicístis ex his, quæ passi estis, compassiónem.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

AMplióri fidúcia ad vos confúgio, vos hábeo in ipsa humanitáte consórtes, ut opórteat vos familiárius, et speciálius miseréri ossi de óssibus vestris, et carni de carne vestra. Dénique transeúntes ex hoc mundo ad Patrem sancta nobis pignóra reliquérunt. Apud nos síquidem córpora eórum in pace sepúlta sunt, quorum nómina vivent in sæculum, idest, quorum nunquam glória sepelítur. Absit a vobis, ánimæ sanctæ, ægyptia illa crudélitas pincérnæ Pharaónis, qui in gradum prístinum restitútus statim oblítus est Joseph sancti, qui in cárcere tenebátur : non enim erant uníus cápitis membra, nec áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla socíetas Israëlítæ ad Ægyptium, non plusquam luci ad ténebras. Interpretátur enim Ægyptus ténebræ, Israël autem videns Deum : atque ídeo ubicúmque Israël erat, lux

erat. Hæc vero nostra, et Sanctórum cohæréntia est, ut nos congratulémur eis, ipsi compatiántur nobis : nos devóta meditatióne regnémus in eis, ipsi nobis, et pro nobis mílitent pia interventióne.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno.

℣. Cum Christus apparúerit vita vestra, allelúia.
℟. Tunc et vos apparébitis cum ipso in glória, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

IN illo témpore : videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

EOdem órdine, quo præcéssit culpa, subsecúta est étiam culpæ medicína. Primum peccátum est factum in Cœlo per supérbiam prævaricatóris Angeli, qui in se ipso túmuit, et de sorte beatórum Spiríttuum ejéctus, Cœlórum regnum amísit. Contra hoc peccátum dictum est : beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Secúndum peccátum commíssum est per inobediéntiam mulieris in paradíso. Ex hoc peccáto facta est caro rebéllis spirítui : ut quóniam spíritus ejus non fuit subjéctus Creatóri, nec caro sit subjécta spirítui. Contra hoc est dictum : beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram. Horum duórum peccatórum comprehéndit Dóminus medicínam, dicens : díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. Tértium peccátum fuit, quod ipsa múlier virum quoque secum traxit in culpam. Débuit quidem illa peccátum suum deflére, nec áddere peccátum peccáto, sed in hoc se putávit habére consolatiónem, si virum fáceret peccáti sui partícipem : quodámmodo enim naturále est unumquémque velle sive in vítiis, sive in virtútibus sibi associáre consórtem, Contra hoc peccátum est istud remédium : beáti, qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum,

allelúia, allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. — Qui.

Lectio viii.

QUartum peccátum commísit Adam, qui consénsit. Adam enim, sicut ait Apóstolus, non est sedúctus, múlier autem sedúcta in prævaricatióne fuit. Illa per ignorántiam, iste peccávit per infirmitátem. Contra hoc quartum peccátum adhíbitum est remédium : beáti qui esúriunt, et sítiunt justítiam, quóniam ipsi saturabúntur. Quintum æque peccátum commísit Adam, qui própriam culpam retórsit in uxórem. Primo quidem crudélis in se, qui peccátum suum excusávit, secúndo in uxórem, quam accusávit. Et útique satis sumpta est digna de peccáto vindícta, quando eam accusávit, cujus amóre peccávit. Contra hoc peccátum dictum est : beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. — Et sicut. Glória. Et sicut.

Lectio ix.

SExtum peccátum fecit Eva, quæ cum increparétur a Dómino, cur hoc fecísset, respóndit ei : serpens decépit me, et comédi. Sic declinávit et ipsa in verba malítiæ ad excusándas excusatiónes in peccátis, refúndens culpam in serpéntem, quasi immúnis a crímine : cum nihil obfuísset suggéstio serpéntis, si illa negásset asséensum própriæ voluntátis : et forte præcéssit in ea áliquis motus supérbiæ, unde sedúci méruit a serpénte. Contra quod dictum est : beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. Séptimum peccátum factum est extra paradísum, quando Cain consurréxit advérsus Abel fratrem suum, et interfécit eum. Ex eo jam témpore inveterátum est, ut mali insúrgant in bonos, et ópprimant eos. Hujus peccáti remédium est illud : beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur. Quod si ab infe-

statióne cessáre nolúerint iníqui, patiénter tólerent eos justi audiéntes consolatiónem, quæ séquitur, et dicit : beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Ecce quam necessárius fuit advéntus Christi qui carnem subjíceret spirítui, hóminem pacificáret sibi, Deum reconciliáret hómini.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Capitulum. *Rom.* viij.

SI spíritus ejus, qui suscitávit Jesum a mórtuis, hábitat in vobis : qui suscitávit Jesum Christum a mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra propter inhabitántem spíritum ejus in vobis.

Hymnus.

O Vos unánimes Christiádum Chori
Sanctórum túmulos, et cíneres patrum,
Caras exúvias, pígnora cœlítum
Lætis dícite cántibus.
Cœlo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis, débita rédditur
Hic laus, et decus óssibus.
Passim sparsa Deus, pollíciti memor.
Custos, ne páreant, pignóra cólligit :
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.
Quin et relíquias, et túmulos, sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus
Hoc secum simul ímmolat.
Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis,
Si vos nostra movent, subsídium boni,
Vestris ferte cliéntibus.
Ut cum nostra novis, spléndida dótibus
Surget juncta choris spírituum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Sit memória justórum in benedictióne, allelúia. ℟. Et ossa eórum púllulent de loco suo, allelúia.

Ad Bened. Aña. Exhi-

beámus córpora nostra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem : semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris, allelúia.

Oratio.

DEus, qui hanc sacrosánctam Ecclésiam tot voluísti Sanctórum decorári relíquiis, auge in nobis resurrectiónis fidem, et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum ciréribus pignóra venerámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum. *Philip.* iij.

NOstra conversátio in cœlis est; unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

℟. *br.* Sancti, et justi in Dómino gaudéte : * Allelúia, allelúia. Sancti. ℣. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Sancti.

℣. Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli, allelúia. ℟. Et laudes eórum núntiet Ecclésia, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum.

SI exprobrámini in nómine Christi, Beáti éritis : quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútum Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscet.

℟. *br.* Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine : * Allelúia, allelúia. Lux perpétua. ℣. Et ætérnitas témporum. Allelúia. Glória Patri. Lux perpétua.

℣. Non derelínquet Dóminus sanctos suos, allelúia. ℟. In ætérnum conservabúntur, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum.

QUis est, qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? sed et si quid patímini propter justítiam, beáti.

℟. *br.* Lætítia sempitérna super cápita eórum : * Allelúia, allelúia. Lætítia sempitérna. ℣. Gáudium, et exsultatiónem obtinébunt. Allelúia, allelúia. Glória. Lætítia.

℣. Gloriósus Deus in Sanctis suis, allelúia. ℟. Mirábilis in majestáte, fáciens prodígia, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Capitulum et Hymnus ut in j. Vesperis.

℣. Consolábor vos, et gaudébit cor vestrum, allelúia. ℟. Et ossa vestra, quasi herba germinábunt, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Sancti, et justi in Dómino gaudéte, allelúia : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

DOMINICA A PASCHA AD PENTEC.

Non impedita Festo altioris vel æqualis ritus.

B. Mariæ V. de Bono Consilio.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xxxj. Aprilis.

DOM. MAII VEL JUNII.

Non impedita Festo altioris vel æqualis ritus.

B. Mariæ V. divini Pastoris Matris.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica I. Maii.

DIE IX. FEBRUAR.

S. Apolloniæ *Virg. et Mart. Duplex.*

Omnia de Comm. Virg. Mart. præter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadragesima. Confitébor. *de Communi pro Martyre.*

In ij. Nocturno, Lectio iv. propria ut in Breviario, Lectio v. Nunc nobis; *Lectio vj.* Neque inánis. *de Communi ij. loco.*

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos fratres. *de Communi j. loco.*

DIE X. FEBRUAR.

Invent. Ss. Martyrum Solutoris, Adventoris et Octavii. *Duplex.*

Omnia de Communi plurimor. Martyr. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos gloriósa sanctórum Mártyrum tuórum Solutóris, Adventóris, et Octávii Inventióne lætíficas, concéde, quæsumus, ut quorum gloriámur triúmphis, intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lect. de Scriptura occurr. —

In Quadrag. Fratres Debitóres.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Lectio iv.

CUM ómnium sanctórum Mártyrum, fratres, devotíssime Natálem celebráre debémus, tum præcípue eórum solémnitas tota nobis veneratióne curánda est, qui in nostris domicíliis próprium sánguinem profudérunt. Nam, licet univérsi Sancti ubíque sint, et ómnibus prosint, speciáliter illi tamen pro nobis intervéniunt, qui et supplícia pertulére pro nobis. Martyr enim cum pátitur, non sibi tantum pátitur, sed et pro cívibus. Sibi enim pátitur ad præmium, cívibus ad exémplum. Sibi pátitur ad réquiem, cívibus ad salútem. Exémplo enim eórum didícimus Christo crédere; didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

BEáti ígitur Mártyres nec sibi vixérunt, nec sibi sunt mórtui. Exémplum enim nobis reliquérunt bene vivéndo conversatiónis, tolerándo fórtiter passiónis. Nam ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati Mártyres vóluit, ut tamquam idónei testes nos præsénti quodam fídei exémplo suæ confessiónis urgérent ut humána fragílitas, quæ prædicatiónis Domínicæ áditu longióre vix credit, vel præsénti oculórum testimónio martyrio créderet Beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíssime percoléndi sunt, sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum relíquias possidémus. Illi enim nos oratiónibus ádjuvant, isti étiam ádjuvant passióne: cum his autem nobis familiáritas est; semper enim nobíscum moréntur, hoc est, et in córpo-

re nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt.

℟. Vérbera carníficum non timuéruntsancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

CErnímus ab iis frequénter obséssos immundíssimis dæmónibus hómines liberári, ita ut cœlésti medicína et captíva ánima de diáboli láqueis eruátur, et ipse diábolus vínculis ígneis alligátus perducátur de sua captivitáte captívus, ut qui prædam paulo ante cœperat, ipse subdátur in prædam. Hæc et ália potióra mirabília per Sanctos fíeri ómnibus notum est. Et ídeo fratres, venerémur eos in sæculo, quos defensóres habére póssumus in futúro. Et sicut eis óssibus paréntum nostrórum júngimur, ita et eis fídei imitatióne jungámur; in nullo enim ab ipsis separári potérimus, si sociémur illis tam religióne, quam córpore.

℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Epíscopi.

IN lege præcéptum erat, ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud Verbum Patris, quod Moysi ántea locútum fúerat rursus hoc præcéptum dedit : cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consisténtem in loco sancto (qui legit, intélligat), tunc qui in Judea sunt, fúgiant ad montes, et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua, et qui in agro

est, non revertátur tóllere túnicam suam.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei persstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

HÆC cum scirent Sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in Sanctis; et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum propter nos homo factum non indígnum putávit, cum quærerétur, quemádmodum et nos, abscóndere se, et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre. Cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro se ipsum trádidit insidiántibus.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

AT vero sancti hómines, cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent (ab ipso enim et ántea, et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres, ut legítime certárent, fugiébant, et ab ipsis quæsíti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere tradére : sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre et vivificáre, pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis, et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus

ipsum definíerat Deus, cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset.

Te Deum laudámus.

DIE XII. FEBRUAR.

(D. f. e xxxj. Jan.)

S. Petri Nolasci

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fecundáre divínitus docuísti : ipsíus nobis intercessióne concéde, a peccáti servitúte solútis, in cœlésti pátria perpétua libertáte gaudére. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadr. de j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus Noláscus, Recáudi prope Carcasónam in Gállia nóbili génere natus, singulári erga próximum caritáte excélluit. Cujus virtútis præságium fuit; quod, cum adhuc in cunábulis vagíret infans, exámen apum ad eum convolávit, et favum mellis in ejus déxtera constrúxit. Adoléscens paréntibus orbátus, Albigénsium hæresim, quæ tunc in Gállia grassabátur, éxsecrans, divéndito património, in Hispániam secéssit; et apud beátam Vírginem Montis Serráti votum, quo pridem se obstrínxerat, exsólvit. Tum Barcinónam pergens, cum Christi fidélibus ab hóstium servitúte rediméndis omnem pecúniam consumpsísset, seípsum pro iis liberándis venum ire, aut in illórum víncula súfficí cúpere dictitábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

QUam gratum Deo fúerit hoc sancti viri desidérium, subsequens declarávit evéntus: nam noctu orán-

ti, et de Christianórum in captivitáte degéntium subsídio multa ánimo volvénti, beáta Virgo appárens, Fílio suo sibíque acceptíssimum fore suggéssit, si ad sui honórem religiosórum ordo instituerétur, quibus præcípue esset cura captívos ab infidélium tyránnide liberáre. Huic cœlésti mónito íllico obtémperans, una cum sancto Raymúndo de Pénnafort, et Jacóbo primo, rege Aragóniæ, de eádem re a Dei Genitríce ipsa nocte præmónitis, religiónem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum instítuit : sodálibus suis quarto voto obstríctis, manéndi in pignus sub paganórum potestáte, si pro Christianórum liberatióne opus fúerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Edito virginitátis voto, illibátam perpétuo castitátem servávit. Patiéntia, humilitáte, abstinéntia, ceterísque virtútibus mirabíliter enítuit. Prophetíæ dono illústris, futúra prædíxit : inter quæ máxime celebrátur, quod Jacóbus rex Valéntiam a Mauris occupátam expugnáverit, accépta prius ab eo obtinéndæ victóriæ securitáte. Angeli Custódis, ac Deíparæ Vírginis, frequénti apparitióne recreabátur. Sénio tandem conféctus, de imminénti morte cértior factus, in morbum íncidit, sanctísque reféctus sacraméntis, fratres suos ad caritátem erga captívos cohortátus, et Psalmum, Confitébor tibi Dómine in toto corde meo, devotíssime récitans, ad illa verba, Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, spíritum Deo réddidit, média nocte Vigíliæ Nativitátis Dómini, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo sexto. Cujus festivitátem Alexánder séptimus die trigésima prima Januárii celebrári præcépit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE XIII. FEBRUAR.

S. Julianæ

Epored. Vid.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Oratio.

Fortitúdo nostra, omnípotens Deus, qui per beátam Juliánam mirabília operátus es, ejus nobis intercessióne concéde, ut tuæ virtúti confísi in viam mandatórum tuórum júgiter currámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Mulíerem fortem. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eporediénsis matróna Juliána strénuæ virtútis Subalpínis pópulis exémpla relíquit. Hæc enim, uti seniórum traditióne compértum est, quum Eporédiam prope Thebánus miles Solútor pro Christi fide cápite plexus esset, noctu corpus ejus sublátum vehículo suo Augústam Taurinórum duxit, ubi ejúsdem mártyris sócii Advéntor et Octávius pro eádem fide interfécti fúerant. Fertur autem prodígia multa in hoc itínere contigísse : nam et flúminum divísas aquas, et ipsíus Juliánæ vestígia lápidi fuísse impréssa perhibétur. Ea vero Adventóris, et Octávii exúvias repértas, Solutóris junxit córpori, et sacra hæc pígnora, Dei sane nutu, ad urbis álteram duxit partem, ibíque compósuit, ac oratóriam céllulam eo loci constrúxit, neque non túmulum, ubi ipsa pro véterum Christianórum more, post mortem disponerétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Vita functa Juliána, cœlitum honóres est assecúta, ceu vétera monuménta testántur. Quinto autem Ecclésiæ sæculo oratória céllula ab ipsa Juliána exstrúcta, et ubi exúviæ ejus expósitæ fúerant, in decóram Basílicam con-

vérsa est, ac subínde eo loci monastérium institútum sancti Solutóris nómine. Verum anno millésimo quingentésimo trigésimo sexto quum hostes Augústæ Taurinórum potíti essent, ac subúrbia subvérterent, sancti Solutóris díruto monastério, sanctæ Juliánæ ossa una cum exúviis Mártyrum ibídem sitis in urbem transláta sunt, atque in sancti Andreæ priorátu in sacéllo Deíparæ, cui a Consolatióne nomen est, tantísper depósita, donec Deo in honórem ipsórum Mártyrum ac sanctæ Juliánæ, templum álterum exstruerétur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : *Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Anno millésimo quingentésimo octogésimo quinto, quum Augústæ Taurinórum sacéllum esset cónditum sanctæ Juliánæ, et iísdem sanctis Martyribus nuncupátum, neque non attribúta prædia, quibus eo loci templum construerétur, Gregórii décimi tértii vénia sanctæ Matrónæ atque ipsórum Mártyrum exúviæ illuc delátæ sunt. Sanctæ Juliánæ caput in pyrámide collocátum, réliqua ossa in núcea arca intus ære opérta sunt pósita. In arcæ fácie miro ópere confécta, quæ Solutóris, Adventóris, et Octávii ossa continébat, étiam Juliánæ imágo sculpta est. Subínde exstrúcto nóbili templo Martyribus nuncupáto, sanctæ Juliánæ exúviæ in ara príncipe ad latus sinistrum sive Epístolæ, in urna áffabre elaboráta sunt cónditæ, ac prope lapis pósitus, in quo Juliána sua vestígia impresísse fertur. Ejus ope porténta multa contigísse non semel est tráditum.

℟. Fallax grátia.

In iij. Nocturno, Homilia. Cœlórum regnum. *de Communi.*

DIE XV. FEBRUAR.

SS. Faustini et Jovitæ *Martyrum.*

Semiduplex.

Omnia de Comm. plur. Martyrum præter sequ.

Oratio.

SAnctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ nos, quæsumus Dómine, lætíficet festíva solémnitas : ut quorum gloriámur triúmphis, eórum protegámur auxíliis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fratres, Debitóres.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FAustínus et Jovíta fratres Brixiáni nóbiles, gentílibus paréntibus nati, Christi Dómini fidem máximo ánimi ardóre suscepérunt, eodémque Bríxiæ eam disseminántes, plúrimos ad Jesu Christi cultum perduxérunt. In multis deínde Itáliæ úrbibus, quo vincti sæviénte Trajáni persecutióne ducebántur, acerbíssima supplícia perpéssi, fortes in fídei confessióne perstitérunt. Nam Bríxiæ, quo témpore Itálicus comes urbem illam, et Rhetiárum pópulos cæsaris nómine regébat, diu vínculis constrícti, feris étiam objécti, in ignémque injécti, et a béstiis et a flamma íntegri et incólumes serváti sunt. Quibus miráculis permóti complúres Christo credidérunt. In illis Aphra Itálici uxor, et Calócerus dux mílitum, qui póstea váriis cruciátibus affécti, ac tandem gládio percússi, ad cœléstem Martyrii corónam advolárunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra appáruit.

Lectio v.

QUare tyránnus majóri iracúndia furens jussit, ut eis crudéliter pellis detraherétur. Sed, ita Deo voléntе, factum est, ut, quod ille præcéperat, éxsequi minístri non possent. Inde vero iísdem caténis colligáti Mediolánum venérunt : ubi étiam várie et crudéliter cruciáti sunt. Primum enim liquefá-

ctum igne plumbum in eórum ora infúnditur: sed divína virtúte incólumes servántur. Iísdem póstea óculi eruúntur; sed Jesu Christi benignitáte sequénti die restituúntur. Plúrimis postrémo áliis et exquisitíssimis torméntis fides eórum tentáta, tamquam igne aurum, in cruciátibus magis enítuit. Póstea Romam missi ab Evarísto Pontífice confirmáti, ibi quoque crudelíssime torquéntur. Dénique perdúcti Neápolim, in ea étiam urbe várie cruciáti, vinctis mánibus pedibúsque, in mare demergúntur, unde per Angelos mirabíliter erépti sunt. Quare multos, et constántia in torméntis, et miraculórum virtúte ad Christi fidem convertérunt. Postrémo redúcti Bríxiam, inítio suscépti ab Adriáno impérii, secúri percússi illústrem Martyrii corónam accepérunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

Eorum Sanctórum patrocínium Brixiána cívitas expérta præsértim est, quo témpore eámdem dira obsidióne prémeret Nicoláus Picinínus, suprémus Mediolanénsium copiárum imperátor. Síquidem eam urbem ab hostíli vi repénte liberátam fuísse, postquam sanctíssimi illi Patróni sese conspiciéndos super ejúsdem mœnia in armis áureis instrúctos Piciníno præbuíssent, certo cértius testántur Ludovíci Fuscaréni, qui senátus Véneti nómine quatuórdecim tantum annis post solútam illam obsidiónem, Brixiánæ provínciæ cum império præerat, lítteræ binæ ad Sanctum Lauréntium Justiniánum jam Venetiárum Patriárcham conscríptæ. In iis enim primum narrátur qua ratióne Brixiánum pópulum pius incénderit furor advérsus religiósos Canónicos sancti Geórgii in Alga, in suspiciónem vocátos íniti consílii de asportándis Bríxia Venétias eorúmdem Sanctórum corpóribus; deínde vero furóris illíus causa hisce verbis

expónitur : « Mémores sunt, cum circumvalláti, inclúsi fame laborárent, última experiréntur perícula, visos ab hóstibus Tutóres sanctíssimos áureis armis Bríxiam tuéri, quo miráculo attónitus Nicoláus Picinínus dux fortíssimus, potiúndæ urbis spem pérdidit, supplícii peténdi, aurúmque habéndi aviditátem remísit. Quas ob res difficílius his corpóribus carérent. » Quo indúbio documénto harum litterárum extántium in vetústo manuscrípto códice tercéntas et ámplius ejúsdem Ludóvici Fuscaréni epístolas compleccténte, permótus Benedíctus décimus quartus, qui illud ipsum laudándi occasiónem céperat in ópere de servórum Dei beatificatióne, et beatórum canonizatióne Patávii recúso, benígne indúlsit, ut binis superióribus lectiónibus tértia hæc recens pro Brixiána Ecclésia adderétur; idque ad pias enixásque preces Cardinális Angeli Maríæ Quírini Epíscopi ejúsdem urbis, cujus ópera et stúdio binæ epístolæ illæ invéntæ, et pública étiam luce donátæ fuérunt. ℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* vj.

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ.

PRædicánte, dilectíssimi, Dómino nostro Jesu Christo Evangélium regni, et divérsos per totam Galilæam curánte languóres, in omnem se Syriam virtútum ejus fama diffúderat, et multæ ex univérsa Judæa turbæ ad cœléstem médicum confluébant. Quia enim tarda est humánæ ignorántiæ fides ad credénda quæ non videt, ad speránda quæ nescit, oportébat divína eruditióne firmándos corpóreis benefíciis, et visibílibus miráculis incitári, ut cujus tam benígnam experiebántur poténtiam, non ambígerent salutárem esse doctrínam. Qui ergo locútus fúerat Moysi,

locútus est et Apóstolis; et in córdibus discipulórum velox scribens Verbi manus novi testaménti decréta condébat, nulla ut quondam circumfúsa núbium crassitúdine, neque per terríbiles sonos atque fúlgures pópulo ab accéssu montis abstérrito, sed paténte ad aures circumstántium tranquillitáte collóquii, ut per grátiæ lænitátem removerétur legis aspéritas, et spíritus adoptiónis auférret formídinem servitútis.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

Beáti páuperes, beáta illa paupértas, quæ rerum temporálium amóre non cápitur, nec mundi ópibus augéri áppetit; sed cœléstibus bonis ditéscere concupíscit. Hujus nobis magnánimæ paupertátis exémplum primi post Dóminum Apóstoli præbuérunt : quia ómnia sua sine differéntia relinquéntes ad vocem cœléstis Magístri, e captúra píscium in piscatóres hóminum álacri conversióne mutáti sunt : et multos sui símiles fídei suæ imitatióne fecérunt : quando illis primitívis Ecclésiæ tempóribus unum cor ómnium, et ánima una erat credéntium, qui univérsis suis rebus, possessionibúsque distráctis, per devotíssimam paupertátem bonis ditabántur ætérnis, et ex Apostólica prædicatióne gaudébant nihil habére de mundo, et ómnia possidére cum Christo.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix.

Beáti qui nunc fletis. Luctus hic, dilectíssimi, cui consolátio ætérna promíttitur, non est cum mundi

hujus affectióne commúnis, nec beátum quemque fáciunt ista laménta, quæ totíus humáni géneris deploratióne fundúntur. Alia rátio est Sanctórum gemítuum, ália beatárum causa lacrymárum. Religiósa tristítia aut aliénum peccátum luget, aut próprium. Nec de hoc dolet, quod divína justítia ágitur; sed de eo mœret, quod humána iniquitáte commíttitur : ubi magis plangéndus est fáciens malígna, quam pátiens : quia injústum malítia sua mergit ad pœnam, justum autem tolerántia ducit ad glóriam.

Te Deum.

DIE XVI. FEBRUAR.

(*D. f. e xix. Jan.*)

S. Canuti

Regis et Martyris.

Semiduplex ad libitum.

Si venerit in Dominica vel in die infra aliquam Octavam, omittitur.

Omnia de Communi unius Martyris præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam, beátum Canútum regem martyrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es : concéde propítius, ut sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. de Comm. j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

CAnútus quartus, Suenónis Esthrítii Danórum regis fílius, fide, pietáte et morum honestáte conspícuus, exímiæ sanctitátis a téneris annis spécimen dedit. Patérnum sceptrum summa ómnium acclamatióne adéptus, religióni promovéndæ sédulo incúmbere, ecclésias redítibus augére, et pretiósa supelléctili ornáre cœpit. Tum zelo propagándæ fídei succénsus, bárbara regna justo certámine aggréssus, devíctas subditásque natiónes christiánæ legi subjugávit. Victóriis autem plúrimis gloriósus, et

divítiis auctus, regále diadéma ad Christi crucifíxi pedes abjécit, se et regnum illi subjíciens, qui Rex regum est, et Dóminus dominántium. Corpus suum jejúniis, cilíciis et flagéllis castigávit. In oratióne et contemplatióne assíduus, erga páuperes profúsus, erga omnes benéficus semper fuit : nec unquam a justítiæ divinæque legis sémita defléxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

HIS aliísque virtútibus imbútus, ad suprémum perfectiónis ápicem sanctus rex properábat. Accidit autem ut Angliæ regnum a Wilhélmo Normannórum duce, formidábili exércitu invaderétur, Anglis vero, Danórum opem implorántibus, cum succúrrere rex decrevísset, belli expeditiónem Oláo fratri commísit. Qui regnándi cupiditáte illéctus, arma vertit in regis perníciem, milítibus et pópulo contra illum concitátis. Nec defuérunt rebellióni foménta : cum enim rex, éditis légibus, décimas Ecclésiis solvi, Dei et Ecclésiæ præcépta servári, trangressóres puníri sanxísset, pleríque pervérsi ac sceleráti hómines exacerbáti, primum quidem tumultuári, tum plebem commovére, ac tandem sanctíssimo regi necem molíri cœpérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

SCiens ígitur rex, futurórum præscius, mortem sibi propter justítiam imminére; ea prænuntiáta, ad ecclésiam sancti Albani Mártyris Othóniæ, tamquam ad locum certáminis, proféctus est: et sacraméntis munítus, agónem suum Dómino commendábat. Mox ibi advéniens conjuratórum multitúdo,

ecclésiæ ignem admovére, fores confríngere et in eam irrúmpere tentárunt. Quod cum perfícere non possent, ad fenéstras accedéntes, saxa et sagíttas in sanctum regem, flexis génibus pro inimícis orántem, magno ímpetu jaculári non cessárunt : donec lápidum et telórum íctibus, ac tandem láncea confóssus, glorióso martyrio, ante altáre exténsis bráchiis procúmbens, coronátus est, sedénte in apostólico throno Gregório séptimo. Multis póstea miráculis Mártyrem suum illustrávit Deus. Nam gravi penúria et divérsis calamitátibus oppréssa Dánia, patráti sacrilégii pœnas luit. Plures étiam váriis languóribus afflícti, ad ejus túmulum remédium et incolumitátem consecúti sunt. Cumque regína sacrum ejus corpus noctu clam surrípere, et álio transférre conarétur, emísso cœlitus ingénti splendóre pertérrita, a propósito cessávit.

℞. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Comm. j. loco.*

DIE XVII. FEBRUAR.

(*D. f. e xxij. Januar.*)

SS. Vincentii et Anastasii

Martyrum. Semiduplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beatórum Mártyrum tuórum Vincéntii et Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

In j. Noct., Lect. de Script. occ. In Quadrag. de Comm. j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Vincéntius, Oscæ in Hispánia citerióre natus, a prima ætáte stúdiis déditus, sacras lítteras a Valério Cæsaraugustáno Epíscopo dídicit: cujus étiam partes suscépit prædicándi Evangélium, quod Epíscopus, propter linguæ impediméntum, prædicatiónis offício fungi non póterat. Ea re ad Daciánum, provínciæ a Diocletiáno et Maximiáno præpósitum, deláta, Vincéntius Cæsar-

augústæ comprehénditur, et vinctus ad Daciánum Valéntiam addúcitur. Ubi verbéribus et equúleo tortus, multis præséntibus, cum nulla aut tormentórum vi, aut acerbitáte, vel lenitáte verbórum a propósito deterréri posset; in cratícula impósitus, prunis ardéntibus suppósitis, ac férreis únguibus excarnificátus, candentibúsque láminis exústus, íterum dúcitur in cárcerem strátum testáceis fragméntis, ut ejus nudum corpus, somno oppréssum a subjéctis étiam testárum acúleis torquerétur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. - Terra.

Lectio v.

VErum, illo in tenebricósa inclúso custódia, claríssimus splendor obórtus totum cárcerem illustrávit: quæ lux cum summa admiratióne omnes, qui áderant, affecísset; res a custóde cárceris ad Daciánum defértur. Qui edúctum in molli cúlcitra cóllocat : et quem cruciátibus in suam senténtiam tráhere non póterat, delíciis perdúcere conátur. Sed invíctus Vincéntii ánimus Jesu Christi fide speque munítus vicit ómnia : et ignis, ferri, tortórum immanitáte superáta, victor ad cœléstem martyrii corónam advolávit, undécimo Kaléndas Februárii. Cujus corpus, cum projéctum esset inhumátum, corvus et a volúcribus et a lupo únguibus, rostro, alis mirabíliter defféndit. Qua re cógnita, Daciánus illud in altum mare demérgi jubet : sed inde étiam divínitus ejéctum ad littus, Christiáni sepéliunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

ANastásius Persa, mónachus, Heraclío imperatóre, cum sanctam Jerosoly-

mórum terram visitásset, ad Cæsaréam Palæstínæ pro Christi religióne víncula et vérbera constánter perpéssus est. Mox a Persis ob eámdem causam váriis cruciátibus afféctus, a rege Chósroa una cum septuagínta áliis Christiánis, secúri percútitur. Cujus relíquiæ primum Jerosólymam ad monastérium, in quo monásticam vitam proféssus erat, deínde Romam delátæ, collocátæ sunt in monastério ad Aquas Sálvias.

℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. *de Communi ij. loco.*

DIE XVIII. FEBR.

(D. f. e xxiij. Jan.)

S. Raymundi de Pennafort,

Conf. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde, ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. de Comm. j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Beátus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejús-

dem Ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem, et cultum semper pro víribus auxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Annum círciter quintum supra quadragésimum agens, in órdine fratrum Prædicatórum solémni emíssa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo Aragóniæ regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur ordo religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt : cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas: quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem órdinis magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Ab eódem Gregório Romam accersítus, et capellláni, ac pœnitentiárii, et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu

Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generále magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Aragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto. Quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangélii. *de eodem Communi.*

DIE XIX. FEBRUAR.

(D. f. e xxx. Jan.)

S. Martinæ

Virg. et Mart. Semid.

Omnia de Communi Virginum præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius, ut qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In j. vel ij. Vesp., quando dicendæ sunt, dicitur Hymn. Martínæ célebri *usque ad* Quærit præmia. *et in fine* A nobis ábigas; *ad Matutinum autem incipitur Hymnus a* Non illam *usque in finem.*

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus. *Ps.* Venite. 2.

Hymnus.

MArtínæ célebri pláudite nómini
Cives Romúlei, pláudite glóriæ :
Insígnem méritis dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Hæc dum conspícuis orta paréntibus
Inter delícias, inter amábiles
Luxus illécebras dítibus áffluit
Faustæ munéribus domus.

Vitæ despíciens cómmoda, dédicat
Se rerum Dómino, et munífica manu
Christi paupéribus distríbuens opes,
Quærit præmia Cœlitum.

NON illam crúcians úngula, non feræ,
Non virgæ horríbili vúlnere cómmovent;
Hinc lapsi e Súperum sédibus Angeli
Cœlésti dape récreant.

Quin et depósita sævítie leo
Se rictu plácido prójicit ad pedes :
Te Martína tamen dans gládius neci
Cœli cœtibus ínserit.

Te, thuris rédolens ara vapóribus
Quæ fumat, précibus júgiter ínvocat,
Et falsum périmens auspícium, tui
Delet nóminis ómine.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Confitébor. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArtína virgo Romána, patre consulári, illústri génere nata, téneris adhuc annis orbáta paréntibus, christiánæ pietátis ardóre succénsa, divítias, quibus affluébat, mira in páuperes liberalitáte distríbuit. Sub Alexándro príncipe, cum deos inánes cólere juberétur, immáne fácinus summa libertáte detestátur. Quaprópter íterum atque íterum afthe fécta verbéribus, uncis, úngulis férreis, testárum fragméntis lacerráta, acutíssimis gládiis membrátim concísa, ádipe fervénti perúncta, demum in amphitheátro

damnátur ad béstias : a quibus illæsa divínitus evádens, in ardéntem rogum injécta, incólumis pari benefício servátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

EX ejus tortóribus nonnúlli, mirácu li novitáte corrépti, Dei aspiránte grátia, Christi fidem ampléxi, post cruciátus gloriósam martyrii palmam cápitis abscissióne promeruére. Ad ejúsdem preces nunc terræ mótibus exórtis, nunc ígnibus e cœlo tonánte delápsis, deórum templa prostráta sunt, et simulácra consúmpta. Intérdum ex vulnéribus lac cum sánguine erúpit, splendórque nitidíssimus, ac suavíssimus odor e córpore emanávit : intérdum sublímis régia in sede divínis láudibus una cum Cœlítibus interésse visa est.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea unxit.

Lectio vj.

HIsce prodígiis, ejúsque in primis constántia, ácriter permótus judex, caput vírgini amputári præcépit; qua perémpta, auditáque de cœlo voce, qua ad Súperos evocabátur, urbs tota contrémuit ac multi idolórum cultóres ad Christi fidem convérsi sunt. Sacrum Martínæ corpus, sedénte sancto Urbáno primo, martyrio affectum, Urbáno octávo Pontífice máximo, in pervetústa ejúsdem ecclésia, ad Mamertínum cárcerem, in Capitolíni clivi radícibus, cum sanctórum Mártyrum Concórdii, Epipháni et sociórum corpóribus repértum, eódem loco in meliórem formam redácto, atque decéntius ornáto, magno pópuli concúrsu, totíus Urbis lætítia, solémni ritu ac pompa repósitum est.

℟. Afferéntur.

In iij. Noct. Homilia. Sæpe vos, fratres. *de eodem Communi.*

AD LAUDES.

Hymnus.

TU natále solum prótege, tu bonæ
Da pacis réquiem Christíadum plagis;
Armórum strépitus, et fera prœlia
In fine age Thrácios.

Et regum sócians ágmina sub crucis
Vexíllo, Sólymas néxibus éxime,
Vindéxque innócui sánguinis hósticum
Robur fúnditus érue.

Tu nostrum cólumen, tu decus ínclytum,
Nostrárum obséquium réspice méntium;
Romæ vota libens éxcipe, quæ pio
Te ritu canit, et colit.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

℣. Diffúsa est.

Ad Bened. *Aña.* Símile est regnum cœlórum * hómini negotiatóri quæréntì bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

DIE XXVII. FEBR.

S. Ephysii

Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui per crucem et passiónem tuam mundum vicísti, eodémque signo mirábili beátum Ephysium Mártyrem tuum fídei præcónem deléctum ad converténdas infidélium gentes cœlitus vocáre dignátus es; præsta quæsumus, ut quem fídei propagatórem habúimus in terris, intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis. Qui vivis.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap.* j.

FRatres, verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est : iis autem, qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? Ubi scriba? Ubi conquisítor hujus sæculi? Nonne stultam fecit

Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia et sanctificátio, et redémptio : ut quemádmodum scriptum est : qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit :*Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna.—Fundátus.

Lectio ij. *Cap.* ij.

ET ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos : et sermo meus, et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis : ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos : sapiéntiam vero non hujus sæculi, neque príncipum

hujus sæculi, qui destruúntur : sed lóquimur Dei sapiéntiam, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum hujus sæculi cognóvit : si enim cognovíssent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixíssent Sed sicut scriptum est : quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis, qui díligunt illum : nobis autem revelávit Deus per spíritum suum. Spíritus enim ómnia scrutátur étiam profúnda Dei. Quis enim hóminum scit, quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi spíritus Dei. Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum, qui ex Deo est, ut sciámus, quæ a Deo donáta sunt nobis, quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína spíritus, spirituálibus spirituália comparántes.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iij. *Cap.* iij.

ET ego, fratres, non pótui vobis loqui quasi spirituálibus, sed quasi carnálibus. Tamquam párvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poterátis : sed nec nunc quidem potéstis adhuc enim carnáles estis. Cum enim sit inter vos zelus, et conténtio : nonne carnáles estis, et secúndum hóminem ambulátis? Cum enim quis dicat : ego quidem sum Pauli; álius autem : ego Apóllo : nonne hómines estis? Quid ígitur est Apóllo? Quid vero Paulus? Minístri ejus, cui credidístis, et unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit : sed Deus increméntum dedit. Itaque neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat : sed, qui increméntum dat Deus. Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet secúndum suum labórem. Dei enim sumus adjutóres : Dei

agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui : álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat, quómodo superædíficet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere, præter id, quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : Christus autem Dei.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EPhysius Æliæ ortus, ac Diocletiáno ápprime carus ab eódem in Itáliam advérsus Christiános proficiscéndi potestátem accépit. Verum in itínere crucis in aëre emicántis apparitióne, et mira voce próprio eum nómine vocánte, commótus, ad fidem convérsus fuísse créditur. Sacro baptísmate regenerátus, religiónis zelo, et fídei dilatándæ desidério fervére cœpit; nihílque magis in votis hábuit, quam sacrílegum deórum cultum ubíque géntium profligáre. Hinc cum efferátos quosdam pópulos Sardíniæ ínsulam Itáliæ adjacéntem pravis móribus, et religióne infestáre comperísset, Deo inspiránte, expeditiónem statim parávit, atque ad eam partem classem applícuit, ut gentes adhuc superstitióne inféctas ad christiánam fidem perdúceret. Hóstibus ítaque in Arborénsi província non tam armis, quam oratióne fusis, cum innúmeros ex dispérsis Christo lucrátus esset, Cálarim, quæ totíus ínsulæ caput et metrópolis erat, festínus perréxit : ut quos forte idolórum profáno cultu, et nefáriis rítibus occupátos vidéret, ab erróre et impietáte revocáret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

HUic tam pio, ac exímio óperi cum vehementer incúmberet, de rebus ab

eódem gestis mónitus per litteras Diocletiánus ira prótinus excánduit : utque Ephysium a propósito detérreat, Júlium quemdam præsidem in Sardíniam mittit, qui fortíssimum athlétam profúsa liberalitáte ad prístinum deórum cultum allíciat; secus, si invícto prorsus ánimo obsisténtem fléctere nequeat, omni suppliciórum acerbitáte a senténtia dimóveat. His ómnibus nullátenus extérritus Ephysius, quod neque précibus et pollicitatiónibus, neque júdicis severitáte, et minácibus verbis addúci posset, ut christiánam religiónem deséreret, in tenebricósum cárcerem omni prorsus humáno auxílio destitútus inclúditur, ærúmnis, et diutúrna inédia conficiéndus. Sed cum constántior in dies eváderet, neque Christum líbere confitéri desísteret, fústibus crudelíssime cæsus pene exánimis in cárcerem íterum detrúditur, ut loci horróre, et vúlnerum acerbitáte vexátus ánimam effláret. Dei autem virtúte repénte convaléscens ad Apóllinis templum addúci postulávit, quod núntium lætus excípiens iníquus præses, quod fractæ constántiæ indícium créderet, précibus ánnuit libénter. Non longe autem a loco, fusa ad Deum supplicatióne, idóla subvérsa sunt; et íllico templum córruit. Quo miráculo ádeo extérritus est Július, ut delegáta Flaviáno potestáte, statim e líttore sólverit, iracúndia simul et timóre corréptus.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

FLaviánus ítaque ea spe illúsus, quod posset aliquándo sanctíssimum Confessórem ad deórum cultum revocáre, précibus primum, propositísque præmiis eúmdem aggréditur : cum autem frustra et inutíliter verba fúnderet, nec quidquam sperándum ámplius dúceret, eúmdem gládio pércuti jubet. Novo ínterim pro-

dígio Dei virtus enítuit : nam cum cárnifex ictum libráret, gládium manu forte excidísse fertur, quem dénuo erígere frustra sæpius tentáverit. Ira ítaque magis excandéscens Flaviánus, qui miráculi novitáte mitéscere debúerat, jubet corpus Mártyris óleo, résina, pice inúngi, acetóque respérsum admótis flammis adúri et lente torquéri; quod immáne supplícium cum hymnos Deo canens fórtiter superásset, in ardéntem fornácem injícitur. Sed quod inde, cunctis stupéntibus, illæsus exiísset, véritus íniquus judex, ne tot tantísque prodígiis pópulus impérium detrectáret, et Christi fidem amplecterétur, extra urbem Noras perdúctum cápite plecti ímperat. Ad locum ítaque supplícii dedúctus, lætus et hílari vultu collum carnífici submísit, ac seípsum et Calaritánam civitátem Deo commendans, ánimam placidíssime exhalávit décimo octávo Kaléndas Februárii. Exstat Cálari ad partem urbis occíduam alte defóssa subterránea crypta, quam Mártyris cárcerem perantíqua traditióne íncolæ appéllant, ad quam, ut et ad ejus nómine Deo sacrum próximum templum, magna frequéntia pópuli confluéntes, Mártyris memóriam summa religióne venerántur, ejúsdem opem in hóstium incursiónibus aliísque públicis calamitátibus præsentíssimam semper expérti. Quocírca Pius Papa sextus ejúsdem festum cum Officio et Missa in univérsa Sardíniæ regis Ditióne ab ómnibus, qui ad horas canónicas tenéntur, celebrári benígne indúlsit. ℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia vénerim pacem míttere in terram; non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

QUÆ ista divísio est? Inter prima enim legis præcépta accépimus : Honóra patrem tuum, et matrem tuam;

et ipse Dóminus ait : pacem meam do vobis, pacem relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas impietáti proferétur : ubíque ódia, ubíque bella, et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desæviens? Gládius telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine, novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in Prophétis auctóritas est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

DEI ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio, qui gládius missus in terram est; idest prædicátio ejus hóminum corpóribus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca, quia ille per verbum Dei divísus ab illis manére et intérior, et extérior, idest et corpus et ánima in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória. Qui.

Lectio ix.

PErgit deínde eódem præceptórum, et intelligéntiæ decúrsu. Nam posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit : qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; quia qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis, et concupiscéntiis. Et indígnus est Christo qui non crucem suam, in

qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus in hoc Sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.

Te Deum laudámus.

DIE IV. MARTII.

B. Humberti III.

Sab. Com. Conf.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere et crucis mortificatiónem amplécti docuísti : da nobis quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere atque ætérna sectári. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Umbértus tértius Sabáudiæ comes ex Amedéo tértio et Mathílde apud Aveliánam Pedemóntii anno Christi millésimo centésimo trigésimo sexto ortus, a téneris annis paréntum stúdio ad pietátem informátur. Defúncto patre, sub disciplína beáti Amedéi Epíscopi Lausanénsis ádeo profécit, ut regni splendórem ac divitiárum illécebras despíciens cœlésti tantum contemplatióne fruerétur. Oratióni ac meditatióni sédulo vacáre, severióris ac jugis pœniténtiæ ópera exercére in delíciis hábuit : quæ ut facílius, ac libérius præstáret in Altæcúmbæ Cisterciénsium cœnóbio sese ábdidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Ut súbditos ab hóstium incursiónibus liberáret ab erémo égredi cógitur, iísque fugátis, cunctísque ditiónis suæ rebus compósitis, dénuo solitúdinem pétiit perfectióni christiánæ únice inténtus. Verum cum reipúblicæ necéssitas urgéret, optimátum totiúsque gentis suæ instántibus votis, et prælatórum præcépto

íterum claustra deséruit, et uxórem duxit, ex qua fílium principátus herédem obtínuit. Cónjuge autem annuénte statim ac per regni negótia ei lícuit ad septa cœnóbii revértitur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

SOlútus temporálibus curis sédulo virtútum ómnium exercítio, maceratióni carnis, rerúmque divinárum contemplatióni se totus addíxit. Multis a Deo charismátibus, die et hora, qua prædíxerat, sacraméntis ardénti caritáte suscéptis, placidíssime obdormívit in Dómino anno Christi millésimo centésimo octuagésimo octávo, ætátis quinquagésimo secúndo, et honorífice in ædis claustro depósitus est. Sanctitátem ejus Deus miráculis illustrávit, idcírco et in tábulis Menológii órdinis Cisterciénsis et sancti Benedícti aliísque cœléstium indícibus nomen inscríptum, ac beáti título et públici cultus honóribus decorátus fuit, quem rite probátum Summus Póntifex Gregórius décimus sextus anno millésimo octingentésimo trigésimo octávo confirmávit, benignéque indúlsit, ut illíus festum ab utróque clero tam sæculári, quam regulári in univérsa Sardíniæ regis ditióne, Missa, Officióque próprio celebrarétur.

℟. Iste.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xj.

IN illo témpore : dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. viij. *in Luc.*

BOnus ordo, ut vocatúrus gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret compa-

qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus in hoc Sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.
Te Deum laudámus.

DIE IV. MARTII.

B. Humberti III.

Sab. Com. Conf.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

DEus, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere et crucis mortificatiónem amplécti docuísti : da nobis quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere atque ætérna sectári. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HUmbértus tértius Sabáudiæ comes ex Amedéo tértio et Mathílde apud Aveliánam Pedemóntii anno Christi millésimo centésimo trigésimo sexto ortus, a téneris annis paréntum stúdio ad pietátem informátur. Defúncto patre, sub disciplína beáti Amedéi Epíscopi Lausanénsis ádeo profécit, ut regni splendórem ac divitiárum illécebras despíciens cœlésti tantum contemplatióne fruerétur. Oratióni ac meditatióni sédulo vacáre, severióris ac jugis pœniténtiæ ópera exercére in delíciis hábuit : quæ ut facílius, ac libérius præstáret in Altæcúmbæ Cisterciénsium cœnóbio sese ábdidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

UT súbditos ab hóstium incursiónibus liberáret ab erémo égredi cógitur, iísque fugátis, cunctísque ditiónis suæ rebus compósitis, dénuo solitúdinem pétiit perfectióni christiánæ únice inténtus. Verum cum reipúblicæ necéssitas urgéret, optimátum totiúsque gentis suæ instántibus votis, et prælatórum præcépto

íterum claustra deséruit, et uxórem duxit, ex qua fílium principátus herédem obtínuit. Cónjuge autem annuénte statim ac per regni negótia ei lícuit ad septa cœnóbii revértitur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

SOlútus temporálibus curis sédulo virtútum ómnium exercítio, maceratióni carnis, rerúmque divinárum contemplatióni se totus addíxit. Multis a Deo charismátibus, die et hora, qua prædíxerat, sacraméntis ardénti caritáte suscéptis, placidíssime obdormívit in Dómino anno Christi millésimo centésimo octuagésimo octávo, ætátis quinquagésimo secúndo, et honorífice in ædis claustro depósitus est. Sanctitátem ejus Deus miráculis illustrávit, idcírco et in tábulis Menológii órdinis Cisterciénsis et sancti Benedícti aliísque cœléstium indícibus nomen inscríptum, ac beáti título et públici cultus honóribus decorátus fuit, quem rite probátum Summus Póntifex Gregórius décimus sextus anno millésimo octingentésimo trigésimo octávo confirmávit, benignéque indúlsit, ut illíus festum ab utróque clero tam sæculári, quam reguléri in univérsa Sardíniæ regis ditióne, Missa, Officióque próprio celebrarétur.

℟. Iste.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xj.

IN illo témpore : dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. viij. *in Luc.*

BOnus ordo, ut vocatúrus gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret compa-

ratiónem, ne dicerétur : nihil déderat pópulo Judæórum, unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? non mediócris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Denique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque; fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus. Ille duplícia, id est, mystica legis et morália probitátis. Unde et Matthæus quinque talénta et duo talénta pósuit: in quinque taléntis ut sint morália, in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Et hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est, legis doctrínam, quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt, non útique æris, sed dispensatiónis usúris; ália est enim pecúniæ fœnebris, ália doctrínæ cœléstis usúra.

Te Deum.

DIE VI. MARTII.

S. Marciani Derth.

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

Oratio. Deus qui nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurr.
In Quadrag. A Miléto.
In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArciánus primus Derthonénsis Ecclésiæ Epíscopus, sanctimóniæ laude, et martyrii coróna apud omnem posteritátem cláruit. Hic cum divíni verbi prædicatióne gentíles in Ligúria ad Christum convérteret, Derthonénsium, qui jam christiánam religiónem recéperant, factus Epíscopus, deláti múneris partes esse intélligens, ut pópulum sibi commíssum partim in Christi fide confirmáret, et partim ab impietáte atque a falsa superstitióne avérteret, id Evangélica prædicatióne præstitit, multósque ad Christi fidem perdúxit, atque ex servis peccáti líberos fecit justítiæ.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

INtérea fervénte adhuc sub Adriáno cæsare persecutióne Trajáni, Saprícius præféctus spirans minárum et cædis in christiános, Medioláno Derthónam tendébat, secum in comitátu beátum Secúndum équitem Asténsem adhuc cathecúmenum ducens. Huic cum Marciánus occúrreret, eúmque ad perseverándum in Christi fide hortarétur, accusántibus gentílibus, præses, ut áliis timor incutetétur in arctíssima custódia inclúdi sanctum Epíscopum mandat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vi.

TEntávit præféctus blandítiis ac minis Marciánum abdúcere a christiána religióne; verum nihil profíciens, eo quod unum se, verúmque Deum cólere

constantíssime affirmáret, ignítas láminas ejus péctori admovéri jussit, sed ab igne illæsus, imo miram odóris suavitátem spirans, váriis torméntis cruciátus, tandem extra urbem cápite pléctitur. Ejus corpus a beáto Secúndo sepúltum, cum diu latuísset, mirabíliter ab Innocéntio ejúsdem urbis sanctíssimo Epíscopo invéntum, in basílica ejus nómini dicáta cónditum est.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi unius Mart. j. loco.*

DIE XX. MARTII.

Apparitionis B. M. V. de Misericordia.

Aña. Signum magnum appáruit : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Psalmi ut in Off. parvo B. M. V.

2. Misericórdia, et véritas præcédent fáciem suam : beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

3. Inclinávit super nos misericórdiam, ut daret nobis vitam.

4. Virtútem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? aut quis adjíciat enarráre misericórdiam ejus?

5. Non fecit táliter omni natióni, et judícia sua non manifestávit eis.

Capitulum. *Prov.* viij.

BEátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei : qui me invénerit invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Hymn. Ave maris stella.

℣. Coram ómnibus viléntibus confitémini ei.

℟. Quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

Ad Magnificat, Aña. Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi; justítia, et pax osculátæ sunt.

Oratio.

DEus qui nos mira unigéniti Fílii tui Matris intercessióne lætificáre dignátus es : concéde, ut ipsíus Misericórdiam humíliter implorántes, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus.

AD MATUTINUM.

Invitat. Festivitátem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus

Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus.

HUnc juvat cantus : púeri, et puéllæ
Néctite, o sacras cápiti corónas :
Jam tibi festa redeúnte luce
Plaude Savóna.

Vírginis tota sonet urbe nomen
Rite conválli sólitum reférre
Qua stetit casto médiis in undis
Visa Colóno.

Hinc tuis olim super imminéntes
Cívibus flammas miseráta, blande
Ter parens Natum pia dum precátur
Voce retórquet.

Templa cui puro decoráta saxo
Mille stant signis, tabulísque, et inter
Quam pius sacra rédimit coróna
Splendet imágo.

Corpus hic ægrum mísera, et doléntem
Turba, felíci recreátur aura;
Hic amat custos mérito, et Paréntis
Nómine ferri.

Hanc mare, hanc tellus Dóminam poténtem
Séntiunt : venti résident, et undæ
Quæque pollúto furit orbe pestis,
Bella, famésque.

O nimis felix, nimis o beáta
Præside urbs tanta! bene ferre magnam
Disce fortúnam, memorémque ad aras,
Duc, age pompam.

Summa laus Patri, paritérque Nato,
Virgo, quem terris péperit levándis :
Sancte sit compar tibi laus per omne
Spíritus ævum.
Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Invénit servus tuus grátiam coram te, et magnificásti misericórdiam tuam.

Psalmi ut in Festis B. M. V. per Annum.

Aña. Dedísti metuéntibus te significatiónem, ut fúgiant a fácie arcus, ut liberéntur dilécti tui.

Aña. Tu autem de cœlo exaudísti, et liberásti eos in misericórdiis tuis.

℣. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus.
℟. Et non confundémini in laude ipsíus.

Lectio j. *Eccli.* xxiv, xj.
De Libro Ecclesiastici.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : in Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Signum magnum appáruit : múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim : * Fácies ejus sicut sol, vestiménta autem ejus alba sicut nix. ℣. Resplenduérunt montes ab ea, et resplenduérunt sicut lámpades ignis.—Fácies ejus.

Lectio ij.

QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano, in quasi cipréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jérico. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus evaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris, et grátiæ.

℟. Appáruit ei secúndo; dixítque ad eum; vade, et cóngrega senióres : * Ego ero tecum, et áudient vocem tuam. ℣. Respóndens ait : non credent mihi, neque áudient vocem meam, sed dicent: non appáruit tibi.— Ego.

Lectio iij.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris,

et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ, et veritátis : in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel, et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient; et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Hæc sunt verba, quæ lóqueris ad eos : *Cánite tuba in Sion, sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, et convertímini ad Dóminum Deum vestrum. ℣. Venit, et convocátis majóribus natu pópuli expósuit omnes sermónes, quos mandáverat. — Cánite tuba in Sion.

In II. Nocturno.

Aña. Benedícta es a Dómino, fília, et priórem misericórdiam, posterióre superásti.

Aña. Veníte, et vidéte quæ pósuit prodígia super terram.

Aña. Secúndum magnitúdinem ipsíus, sic, et misericórdia illíus cum ipsa est.

℣. Magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua. ℟. Et usque ad nubes véritas tua.

Lectio iv.

SAvóna áltera ex præcípuis Ligúriæ úrbibus, multis quidem clara nomínibus, nullo autem est nobílior, quam ob peculiárem beátæ Maríæ Vírginis Patrocínium plúries sibi, et singuláribus testátum benefíciis. Hæc inter illud máxime memorándum, quod in divi Bernárdi valle contigísse anno millésimo quingentésimo trigésimo sexto constans tradítio et pervetústa monuménta ferunt. Ibi enim colónus quidam vir simplex, ac timens Deum ad decurréntem rívulum Deíparam sibi miro coruscántem splendóre iteráto apparuísse nuntiávit, ac simul dixísse sibi gratum acceptúmque fore, ut Savonénses expiáta consciéntia, sacróque pane reflécti dignos fácerent

pœniténtiæ fructus, publicísque supplicatiónibus, atque jejúniis, víndicem unigéniti Fílii sui iram lenire studérent, ac impertíta benedictióne fluéntibus per rívulum aquis se ab ejus óculis subtraxísse. Beátæ Vírginis jussiónibus pius Colónus obtémperans, mirábilis evéntus sériem Epíscopo, populíque primóribus fidéliter expósuit, et fácile suis dictis fidem obtínuit.

℟. Annuntiábat ut pœniténtiam ágerent, et converteréntur ad Deum * Digna pœniténtiæ ópera faciéntes. ℣. Qui audiéntes plorábant, et jejunábant, et orábant in conspéctu Dómini. — Digna.

Lectio v.

Vulgáto prodígio, commótus univérsus pópulus, non æquívoca dedit pœniténtiæ arguménta, ut, Matre misericórdiæ intercedénte, Deum sibi propítium rédderet. Hinc públicæ supplicatiónes máxima humilitáte, devotióne, et contríti cordis significatiónibus peráctæ. Hinc frequens ejúsdem, ac finitimárum géntium concúrsus ad locum, ubi Vírginem beatíssimam sibi apparuísse Colónus adfirmáverat. Hinc fidúcia, quæ in hodiérnam usque diem constans est, de misericórditer virtúte impertíta aquæ rívuli, morbos fugándi : ídeo in perénne grati ánimi monuméntum Savonénses parvam primum ædículam, deíndemagníficumexstruxére templum, ad quod fácilis, et plana strata est via; eóque loci, quo apparuísse fertur, marmóreum Vírginis simulácrum pósitum, eódem modo, quo se vidéndam Colónus exibuísse rétulit, excúlptum: Xenodóchium ad infántium expositórum, paupérúmque levámen ædificátum : amplæ eréctæ domus, et opportúna supelléctili ornátæ, quibus frequéntes cujuscúmque órdinis peregríni hospítio excipiúntur tum cívium, tum exterórum, munífícam erga Deíparam testántur pietátem.

℟. De dómibus confluébant pública supplicatióne obsecrántes : univérsi autem * Protendéntes manus in cœlum deprecabántur. ℣. Miserére nostri, et réspice nos, et osténde nobis lucem mise-

ratiónum tuárum.— Protendéntes.

Lectio vj.

FAustíssimam divínæ Matris, cui a Misericórdia nomen índitum, Savonénses in tribulatióne pósiti, opem constánter sensére. Innúmeros enim, vel dæmone obséssos, vel óculis captos, vel gravíssimo áliquo deténtos morbo ejúsdem intercessióne fuísse sanátos sacris hæréntia pariétibus vota, aliaque multígena donária declárant. Tot, ac tantis permóti prodígiis, utque in dies fervéntior erga protegéntem Dei matrem devótio fíeret, augústum viséntes templum innúmeris Summi Pontífices spirituálibus donis ditárunt. Idémque secúndo sextum post annum visens Pius séptimus Póntifex máximus venerábili decem Cardinálium cœtu stipátus, summis princípibus, procéribus, innumeróque pópulo astántibus, Sacro devotíssime perácto, anno millésimo octingentésimo decimoquínto, sexto Idus Mártii insígne simulácrum prætiósa coróna cinxit, ac tandem utríque totíus diœcéseos clero concéssit Matris Misericordiárum peculiáre festum Offício, et Missa própria celebráre.

℟. Aperiéntur óculi cœcórum, et aures surdórum patébunt; sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum, * Quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. ℣. Erit ibi sémita, et via sancta vocábitur, et vénient cum laude, et lætítia sempitérna. — Quia. Glória. Quia.

In III. Nocturno.

Aña. Elégi, et sanctificávi locum, ut sit nomen meum, óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

Aña. In fletu vénient, et in misericórdia redúcam eos, et addúcam eos per torréntes aquárum in via recta, et non impíngent in ea.

Aña. Invocábunt nomen meum, et benedícam eis.

℣. Nos fúndimus preces, et pétimus misericórdiam. ℟. Ante conspéctum tuum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Luc.* j. xxvj.

IN illo témpore: missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui

nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. iv. *de Assumpt. Virginis. circa fin.*

Sileat misericórdiam tuam, Virgo beáta, si quis est, qui invocátam te in necessitátibus suis sibi memínerit defuísse. Nos quidem sérvuli tui céteris in virtútibus congaudémus tibi, sed in hac pótius nobis ipsis. Laudámus virginitátem, humilitátem mirámur; sed misericórdia míseris sapit dúlcius, misericórdiam ampléctimur, clárius recordámur, sæpius, crébrius invocámus. Hæc est enim, quæ tótius mundi reparatiónem obtínuit, salútem ómnium impetrávit. Constat enim pro univérso génere humáno fuísse sollícitam, cui dictum est : ne tímeas, María, invenísti grátiam, útique quam quærébas. Quis ergo misericórdiæ tuæ, o benedícta, longitúdinem, et latitúdinem, sublimitátem, et profúndum queat investigáre?

℟. Accepérunt lápides, et ædificavérunt altáre, et fecérunt vasa sancta : incénsum posuérunt super altáre, * Et obtulérunt sacrifícium salutáris, et laudis. ℣. Ædificavérunt domum, et exaltavérunt templum sanctum. — Et.

Lectio viij.

Jam longitúdo ejus usque in diem novíssimum invocántibus eam súbvenit univérsis, latitúdo ejus replet orbem terrárum, ut tua quoque misericórdia plena sit omnis terra. Sic et sublímitas ejus civitátis supérnæ ínvenit restauratiónem, et profúndum ejus sedéntibus in ténebris, et in umbra mortis obtínuit redemptiónem. Per te enim cœlum replétum, inférnus evacuátus est, instaurátæ ruínæ cœléstis Jerúsalem, exspectántibus míseris vita pérdita data. Sic potentíssima, et piíssima cáritas, et afféctu compatiéndi, et subveniéndi abúndat, efféctus æque lócuplex in utróque. * Ad hunc ígitur fontem sitibúnda próperet ánima nostra : ad hunc misericórdiæ cúmulum tota sollicitúdine miséria nostra

recúrrat. Sit, Virgo benedícta, pietátis tuæ ipsam, quam apud Deum grátiam invenísti, notam fácere mundo, reis véniam, medélam ægris, pusíllis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium, et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinéndo. In hac quoque die solemnitátis, et lætítiæ dulcíssimum Maríæ nomen cum laude, invocántibus sérvulis per te, Regína clemens, grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Chrístus Fílius tuus Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula.

℟. Si irrúerint super nos mala, gládius judícii, pestiléntia, et fames, stábimus coram domo hac in conspéctu tuo, in qua invocátum est nomen tuum, * Et clamábimus ad te in tribulatiónibus nostris, et exáudies, salvósque fácies. ℣. In te speravérunt patres nostri, speravérunt, et liberásti eos. — Et clamábimus. Glória. Et clamábimus.

Lectio ix. Homiliæ.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Dedi in desérto aquas, * flúmina in ínvio, ut darem potum pópulo meo, elécto meo.

2. Qui sitit, * véniat, et qui vult, accípiat aquam vitæ gratis.

3. Repléti sumus * mane misericórdia tua, exsultávimus, et delectáti sumus.

4. Laudáte cœli, quóniam misericórdiam fecit: jubiláte extréma terræ : resonáte montes laudatiónem, saltus, et omne lignum ejus.

5. Ego autem cantábo * fortitúdinem tuam, et exaltábo mane misericórdiam tuam.

Capit. *Prov.* viij.

BEátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei : qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Hymnus.

AUreus cœlo rádiis refúlgens
Lúcifer noctis répulit tenébras,
Et diem nostræ réducem salútis
Núntiat orbi.
Súpplicum Virgo lácrymas misérta
Imminens urbi jáculum retórsit :

Réddidit pacem trépidis ;
Deíque
Dístulit iram.
Inde nos Patrum píetas adíre
Sóspite sedem dócuit quot annis :
Ac tibi tantæ méritas paréntí
Sólvere grates.
Pródeant ergo júvenes, senésque
Láudibus matrem cúmulent canéntes :
Spe, fide, ardénti duce caritáte
Templa revísant.
Præsto, quæ nostris fuit usque votis
Déxtera et præsens áderit, novísque.
Pura ditábit scéleris rogántum
Péctora donis.
Summa laus Patri, paritérque Nato
Virgo quem terris pépeperit levándis :
Sancte sit compar tibi laus per omne
Spiritus ævum.
Amen.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus. ℟. Adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Ad Benedictus, Aña. Ite in domum matris vestræ : fáciat vobíscum misericórdiam suam.

Oratio.

Deus qui nos mira unigéniti Fílii tui Matris intercessióne lætificáre dignátus es : concéde, ut ipsíus Misericórdiam humíliter implorántes, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus.

Ad Prim. ℟. *br.* Qui natus.

AD TERTIAM.

Cap. Beátus homo.

℟. *br.* Lætétur ánima vestra, * In misericórdia ejus. Lætétur. ℣. Et non confundémini in laude ipsíus. In. Glória. Lætétur.

℣. Magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua. ℟. Et usque ad nubes véritas tua.

AD SEXTAM.

Capítulum. *Eccl.* xxiv.

Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ, et veritátis : in me omnis spes vitæ, et virtútis.

℟. *br.* Magnificáta est usque ad cœlos, * Misericórdia tua. Magnificáta. ℣. Et usque ad nubes véritas tua. Misericórdia. Glória. Magnificáta.

℣. Nos fúndimus preces, et pétimus misericórdiam.

℟. Ante conspéctum tuum.

AD NONAM.

Capitulum.

QUI audit me non confundétur, et qui operántur in me non peccábunt; qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. *br.* Nos fúndimus preces, * Et pétimus misericórdiam. Nos. ℣. Ante conspéctum tuum. Et. Glória. Nos.

℣. Coram ómnibus vivéntibus confitémini ei. ℟. Quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

IN I. VESPERIS.

Omnia ut in j. præter sequentia.

Ad Magn. Aña. Montes commovebúntur, et colles cnntremíscent: misericórdia autem mea non recédet a vobis, et fœdus pacis meæ non movébitur.

DIE XXIX. MARTII.

S. Secundi Asten.

Mart. Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui sancti ac beatíssimi Mártyris tui Secúndi hunc diem róseo passiónis suæ sánguine, et níveo candóre decorásti; præsta quæsumus, ut sicut eum in honóre tuo súpplices exorámus, ita ejus méritis, te largiénte, véniam peccatórum nostrórum cónsequi mereámur.

In j. Noct. Lect. Fratres, Debitóres. *Extra Quadragesimam de Script. occurr.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SEcúndus miles strénuus, et egrégius Christi athléta, martyrque Dómini gloriósus in civitáte Asténsi sub Adriáno imperatóre, et Saprício præfécto illústri martyrio coronátus est, cujus gloriósa præséntia prædícta cívitas decorátur, et eo uti singulári Patróno lætátur. Hic a beáto Calócero, qui a Saprício præfécto ob cathólicæ veritátis confessiónem in vínculis tenebátur, Christi fidem primo edóctus, demum a beáto Epíscopo Marciáno in civitáte Derthonénsi propter ejúsdem fídei confessiónem deténto, Mediolánum ad sanctos sacerdótes Faustí-

num, et Jovítam, ut baptísmum suscíperet missus; ab eísdem quadam nube aquam divínitus præbénte recépit, a quibus étiam corpus, et sánguinem Dómini nostri Jesu Christi Marciáno Epíscopo deferéndum suscépit, cujus sancti Epíscopi corpus post accéptam martyrii corónam in civitáte Derthonénsi religióse sepelívit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

Quod ubi Saprícius factum agnóvit, Secúndum ad se accersíri jussit, gravitérque reprehéndit, quod Marciánum deos contemnéntem, et Christum confiténtem sepelísset. Atque ubi Secúndum christiánum deprehéndit, ira veheménter commótus, eum detinéri, ac in equúleo suspéndi, crudelitérque torquéri mandat, donec a suis compagínibus bráchia solveréntur. In cárcere deínde inclúsus, ab Angelo mox divínitus sanátus, jussus est póstmodum fústibus cœdi, atque áliis diris torméntis, ac váriis supplíciis acerbíssime cruciári. Rursus autem in cárcere reclúsus, ab Angelo dénuo invísitur, a quo mirabíliter edúctus in civitátem suam Asténsem perdúcitur, atque ad beátum Calócerum carcéribus adhuc ob fidem Christi deténtum introdúctus, ibídem Salvatóris Christi visióne confortátus, eúmdem supplíciter méruit adoráre.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

Audiens vero Saprícius Secúndum in carcéribus non inveníri, diu illo quæsito, quum non reperísset, ira veheménter accénsus, quod erga Secúndum machinabátur, advérsus Calócerum vértere cogitávit. Quare in civitátem

Asténsem furóre replétus véniens, quum a custódibus cárcerum eídem nunciátum esset, Secúndum cum Calócero inveníri, ambos jussit coram se addúci. Quos cum plúrimis exhortatiónibus, ac blandiméntis ad simulacrórum cultum invitásset, ejus verba sancti Dei contemnéntes divérsis torquéntur cruciátibus, picémque, et résinam fervéntes capítibus eórum impóni jubet; sed quum nihil se profícere tyránnus vidéret, liquátum igne plumbum in eórum ora infúndi mandávit. Quod sancti illud quasi aquam suavíssimam bibéntes dicébant : quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua. Quamóbrem inflammátus Sapricius Calócerum fústibus cœsum Albigáunum mitti jubet, ut ibídem punirétur, Secúndum vero in confessióne fídei constantíssime perseverántem cápite plecti mandávit. Sicque Christi athléta in civitáte sua insígnem martyrii palmam adéptus est.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XXX. MARTII.
B. Amedei Sab.

Duc. III. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Amedéum Confessórem tuum de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti, da nobis, quæsumus, ut ejus méritis et imitatióne sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones. Justus. *extra Quadrag. de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Amedéus Sabáudiæ dux tértius ab ipsa ineúnte ætáte non obscúra exíbuit sanctitátis indícia; nam a paréntibus Ludovíco, et Anna Cypri regis fília pie educátus, tam prompte a juventúte cœpit quærere Dóminum, ut non ante cum homínibus ágere soléret, quam divíno Missæ sacrifício audiéndo, et cœlésti númini sibi conciliándo óperam dedís-

set. Sub óptimo ínsuper spiritális vitæ magístro iter perfectiónis arrípiens se assídue jejúniis, et oratiónibus exercébat, ac felíciter ádeo in christiánæ milítiæ méruit palæstra, ut cum in gravem incidísset morbum, illóque frequéntius afflictarétur, non solum non fúerit contristátus, quod plaga ejúsmodi evenísset sibi, sed in Dei timóre pérmanens morbum illum, ut frenum ad peccáta multa vitánda, sibi a Deo datum existimáverit, Deúmque magis hómini propinquáre, cum eum flagéllat, quam cum consolátur, dícere solébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Defúncto patre cum principátus gubernácula suscepísset, aulam in primis suam ita instítuit, ut ab ea omníno arcéret, qui sanctis prædíti non essent móribus. Par in páuperes cura ac providéntia, quibus ipse non solum necessária cuncta suppeditábat, sed própriis étiam mánibus ministrábat ad mensam, eósque suos idéntidem canes, quibus cœlum venarétur, aut équites, et mílites, quibus ditiónem suam ab hóstibus tutarétur, appelláre consuéverat. Monastéria, et nosocómia plúrima constrúxit, ac decumbéntes sédulo invísens vilíssima quæque múnia erga ipsos sollícita caritáte obíbat, vere ab ómnibus pater páuperum nuncupátus. Várias quoque ecclésias pretiósis munéribus locupletávit, sacram præsértim Príncipis Apostolórum basílicam, quam páriter vulgári, et peregrinántis hóminis hábitu ignótus, incredíbili humilitáte, ac religióne invísit. Sacrosánctum étiam Línteum, quo passiónis domínicæ vestígia non sine insígni miráculo impréssa cernúntur, quod Chambérii tum asservabátur una cum Jolánda uxóre sua Galliárum regis primogénita, pédibus, aspérri-

mo licet ac longínquo itínere, visitávit. Tantúsque in eo christiánæ fídei, ac religiónis zelus efférbuit ut cum a Pio secúndo Pontífice máximo ad ciéndos contra Turcas cathólicos príncipes convéntus Mántuæ esset indúctus, Amedéus inter primos appárens vitam, opes, ditionémque suam omnem pro sacra expeditióne promptíssime devóverit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

CUmque póstea divínitus accepísset, suæ jam mortis tempus instáre, sepúlcrum, in quo corpus suum condi vellet, parári jussit humi, vilíque forma infra gradus sacræ majóris aræ, ut nimírum humilitátem, quam vivens amantíssime colúerat, móriens quoque testarétur. Convocátis ítaque uxóre, fíliis, ac præcípuis magistrátibus, eos ad justítiam, et ad misericórdiam erga páuperes cohortátus : fácite, inquit, judícium et justítiam, et dilígite páuperes, et Dóminus dabit pacem in fínibus vestris; quibus dictis, fidúcia plenus, Vercéllis migrávit ad Dóminum, die trigésima Mártii, anno millésimo quadringentésimo septuagésimo secúndo. Ejus mortem in conspéctu Dómini pretiósa concéntus Angélici et collucéntes supra arcem cœlitus faces, declarárunt. Quin et Tauríni sedes fulgentíssima in áere visa, in qua imménsa circumfúsus luce Amedéus sedére conspiciebátur, múltaque ália in dies ab ipso patráta mirácula, quæ sanctus Franscíscus Salésius, póndere et número máxima esse et illustríssima, Summo Pontífici Paulo quinto testátus est; quibus permótus Innocéntius undécimus de eódem Offícium et Missam in univérsa Sabáudiæ ducis ditióne ac Romæ in Ecclésia nationáli celebrári indúlsit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia ut in Festa die iv. Martii.

DIE XII. APRILIS.
B. Angeli a Clavaxio

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

DEus, qui ad expugnándos Ecclésiæ tuæ hostes beátum Angelum Confessórem tuum invícta ánimi fortitúdine roborásti; ejus nobis méritis, et intercessióne concéde, ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur. Per. Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANgelus Claváxii in Pedemóntio nóbili génere natus, ab ineúnte ætáte morum innocéntia, et candóre enítuit. Adhuc adoléscens tanto erga domínicam passiónem pietátis sensu afficiebátur, ut eum non semel intempésta nocte ad Christi, e cruce pendéntis imáginem férvide orántem mater invénerit. Sacræ theológiæ, et juris utriúsque láurea Bonóniæ insignítus, senatórium órdinem in Montisferráti província adéptus est. Interim evangélicæ perfectiónis stúdio incénsus trigésimo círciter ætátis suæ anno, mundo, ópibus, nobilitáti, ac dignitáti valedícere statuit, soli Deo inter fratres Minóres Observántes famulatúrus. Quamóbrem opulénto património, et magistrátu abdicáto, Génuam profiscíscitur, ibíque minórum institútum ampléctitur.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

SOlémni emíssa professióne tantis mox virtútibus excéllere cœpit, ut ómnibus admiratióni fúerit, et exémplo. Fervens in eo erat orándi ac meditándi stúdium : exímia prorsus in Christi passiónem, Virginémque Deíparam píetas, flagrantíssima in Deum et próximum cári-

tas. De animárum salúte sollícitus a prædicándo Dei verbo vix unquam déstitit, et summam cásuum consciéntiæ compósuit a suo nómine Angélicam nuncupátam. Páuperum ádeo miserebátur, ut victum pro illis ostiátim quæreret, nec ulli unquam labóri párceret, ut pii erigeréntur montes ad eórum levándam inópiam. Paupertátis, obediéntiæ, et castitátis rigidíssimus cultor, corpus suum vigíliis, jejúniis, cilício, flagéllis attrívit. Quibus, aliísque virtútibus in toto órdine clarus, primum Genuénsis provínciæ, totíus post Cismontánæ Observántium Famíliæ quartus vicárius generális eléctus est; quæ múnia tam sancte gessit, ut illíus quique prudéntiam, caritátem, mansuetúdinem, reguláris disciplínæ zelum suspícerent animíque simplicíssimam humilitátem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Apud príncipes quoque, Summósque Pontífices prudéntiæ, doctrínæ ac sanctitátis opiniónem nactus est máximam. Eum namque Cárolus Sabáudiæ dux primus sibi in confessárium elégit. Eúmdem Sixtus Papa quartus ad evulgándum cruciátæ fœdus contra Turcas Apúliæ oras tunc infestántes; et Innocéntius octávus ad repriméndam Waldéntium hæresim per Itáliæ fines grassántem, Núntium, et commissárium apostólicum bono, faustóque evéntu delegérunt. Oblátas sibi inde amplíssimas dignitátes constantíssime recusávit. Sénio tandem conféctus anno millésimo quadringentésimo nonagésimo quinto, ætátis suæ octogésimo quarto, Cúnei sancto fine quiévit. Corpus ejus in Ecclésia fratrum Minórum reformatórum extra mœnia ejúsdem civitátis, quæ eum in patrónum sibi iteráto ascívit, íntegrum adhuc suavémque spirans odórem, singulári veneratióne cólitur : quem quidem cultum ab immemorábili témpore ad

ætátem nostram prodúctum Benedíctus décimus quartus Póntifex máximus rite probávit.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE XVIII. APRILIS.

S. Caloceri

Mart. Duplex.

Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, præter sequ.

Oratio.

Domine Jesu Christe, pro cujus amóre beátus Calócerus sánguinem suum fudit : da nobis ejus intercessióne et exémplo tibi strénue deservíre, atque advérsus ánimæ hostes pro justítia usque ad mortem agonizáre. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Fervénte Hadriáni advérsus christiános persecutióne, Itálicus Augústi legátus in província Rhætica ad urbem Romam próperans Bríxiam pervénit, ibíque intelléxit, Calócerum ducem mílitum ópera fratrum Faustíni et Jovítæ clarissimórum cívium christiánum esse efféctum, et detrectáre sacrifícia de more indícta pro salúte imperatóris, qui tunc témporis partem occíduam impérii perlustrábat. Ideo ad se prótinus accítum interrogávit eum in hæc verba : quænam te, Calócere, deméntia cœpit ut abjéctior quovis gregário eváderes? Deos nostros dereliquísti ut damnátos inter capitáli senténtia plectáris? Cui Calócerus : Non tímeo mortem hujus sæculi; quóniam Deus, qui regnat in cœlis, adjútor meus est : vere magnus est Deus christianórum. Tunc legátus Calócerum ácriter objurgátum dimísit; sed Faustínum et Jovítam in cárcerem detrúsos, postrídie, ut eórum fides severióri supplício frangerétur, jussit per equúleum, et vérbera compélli : quumque Calócerus vidéret circa eos frustra desudáre carnífices, sanctórum Mártyrum constántiam, et manféstam Dei virtútem admirátus, exclámans dixit : Vere potens est Deus, quem co-

lunt Christiáni : oh cæci omnes si poténtiam ejus haud intuémini!

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et.

Lectio v.

TUM Calócerus idóla detestári, et christiánum se esse palam proféssus est; quem plures suæ cohórtis mílites impávide sunt secúti. Vinctus ítaque Calócerus una cum Faustíno et Jovíta Mediolánum est actus, eósque addúctos legátus compellávit dicens: Sacrificáte Sylváno, et magna vobis apud hunc deum grátia erit. Ad hæc Calócerus : Quómodo audes deum dícere Sylvánum, quem púeri ex víridi ligno effíciunt, et dein igne combúrunt? Hæc audiéntes éthnici, qui circum áderant, clamavérunt : tolle magos, tolle magos. Quibus morem gerens legátus omni crudelitáte sanctos Confessóres cruciávit : póstea vero Faustínum et Jovítam compédibus vinctos secum Romam adégit imperatóris tribunáli sisténdos; Calócerum autem trádidit Saprício Ligúriæ præfécto, qui eum Astam Pompéiam addúxit, ubi Christi athléta Secúndum nobilíssimum virum divína religióne erudívit. Demum rursus crudelíssime tortus quum invíctus in fídei confessióne persísteret, útpote milítiæ lege jam damnátus Albingánum missus est, a réliqua cohórte ibídem præsidiária extrémo supplício mulctándus.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

ITaque ad partem occíduam extra mœnia urbis Albinganénsis non procul a mari addúctus, et divínam fidem fortíssime ad extrémum usque prædicans, tandem martyrii palmam adéptus est strénuus Christi miles Calócerus décimo quarto Kaléndas Maias. Ejus corpus noctu sublátum in monte urbi próximo sepúltum est, ubi póstea

sacéllum in ejus honórem exstrúctum, ac étiam sacrárum vírginum monastérium. Ne autem ab irruéntibus bárbaris diriperétur, in imam terram sub altári fuit dimíssum, índeque edúctum sæculo decimotértio labénte. Demum templo ac monastério intra mœnia exstrúctis, illuc sæculo decimoséxto exeúnte translátum fuit, ubi religióse asservátur. Illústrem porro Christi Mártyrem Albinganénses uti singulárem civitátis patrónum summa pietáte colunt. Sacrórum vero pignórum pars depósita fuit in monastério olim órdinis sancti Benedícti quod Clivátis vocátur Mediolanénsis diœcésis. Sæculo autem decimoséxto Mediolání quoque ædificáta fuit Ecclésia parum a loco dissita, ubi beátus Calócerus pro Christi fide dimicáverat; ejúsque cultus a priscis tempóribus longe latéque per Asténsem, Brixiénsem, Derthonénsem, et Eporediénsem diœcéses propagátus est. ℟. Fíliæ.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Communi Mart. temp. Pasch.*

DIE XXIII. APRILIS.

S. Georgii

Mart. Semiduplex.

Omnia de Communi Mart. Temp. Pasch. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius, ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Geórgius nobílibus paréntibus in Cappadócia natus, sancte ab illis et religióse educátus est. Iis vita functis adhuc adoléscens tribúnus mílitum factus, et áliis insignítus honóribus, sub Diocletiáno cæsare militávit. Verum cum edíctis imperiálibus persecutiónem in Christiános cérneret ácrius desævíre, id indígne ferens, opportúnum quoque fore illud tempus exístimans ad salútem, et ad martyrii glóriam, facultátibus suis in

páuperes erogátis, servísque libertáte donátis, zelo fídei ac religiónis accénsus, imperatórem adit; Christúmque verumDeum líbere conféssus, ipsum de tam ímpia in Christiános crudelitáte constánter accúsat.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum, gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et.

Lectio v.

Admirátus veheménter imperátor, quod Geórgius, præter omnem opiniónem, christiánus esset, primo blandit illum verbis, ac magnis pollicitatiónibus, deínde minis, pœnarúmque terróribus a fídei senténtia conátur avértere. Sed cum nihil profíceret, nec ullo modo viri constántiam posset de pio et sancto propósito dimovére, jubet ipsum primo in cárcerem trudi, ibíque dire afflígi : tum verbéribus cæsum, rota mucrónibus præfíxa ad ejus corpus admóta, laniári, deínde torréri sartágine, variéque torquéri. Quam ille tormentórum vim cum álacri ac forti ánimo tulísset, indéque, incólumis mirabíliter evasísset, plúrimos suo exémplo ad fídei constántiam excitávit.

℟. In servis suis, allelúia, *Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

Impius autem persecútor cum exímiam hujúsmodi Mártyris fortitúdinem non divínæ virtúti ut par erat, sed mágicis ártibus ascríberet, ipsum várie tortum, atque in senténtia nihilóminus persisténtem secúri pércuti jubet. Geórgius ígitur fórtiter data cérvice, martyrii coróna dignátus est. Córporis ejus relíquiæ divérsas in regiónes delátæ, máximo ab íncolis habéntur honóre. Caput Romæ in diaconía sancti Geórgii ad Velábrum honorífice asservátur, et ipsíus Mártyris nomen non solum in Oriénte, ubi passus est, sed et in occíduis oris ubíque claríssimum est. Quam et implorántibus ejus auxí-

lium, propítius adésse consuéverit, reges præsértim, et príncipes sæpius in militári conflíctu expérti sunt; frequéntes étiam ejúsdem Mártyris memóriæ ubíque testántur. ℟. Fíliæ.

In iij. Nocturno, Homil. Iste locus. *de Communi Mart. temp. Pasch.*

DIE XXVII. APRILIS.

S. Zitæ

Virg. Luc. Semiduplex.

Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátam Zitam Vírginem ex húmili ancíllæ statu ad regnum ætérnum transtulísti; ejus nobis intercessióne concéde, ut tibi fidéliter serviéntes in terris, sublimári cum ipsa mereámur in cœlis. Per.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Zita virgo, in Lucánæ civitátis, ac diœcésis Pago, qui Mons sacrátus dícitur, humílibus quidem, ac piis paréntibus nata est. Adolescéntula a patre Lucam dedúcta, ibíque in nóbilem Fatinelliórum domum inter ancillárum ministéria recépta, ádeo céleri cursu ad sublímem evangélicæ perfectiónis ápicem conténdit, ut Marthæ, et Maríæ offícia toto vitæ témpore miríficе conjúngens, divinárum rerum contemplatióni, assídue adhæserit; quin unquam, vel rerum familiárium obséquio deésse, vel a mánuum labóre, atque opéribus cessáre visa fúerit. Summa ejus fuit abstinéntia, et admirábilis vitæ austéritas. Castitátis excoléndæ studiosíssima, ictóque cum óculis fœdere curiósum quémlibet vanitátis intúitum præcavéndi, aggrediéntis júvenis impudéntiam fórtiter promptéque rejécit. Corpus cum vítiis crucifígere assuéta, parco ac ténui victu illud sustentáre, áspera rudíque veste contégere, hispidóque fune præcíngere, nudátis pédibus incédere, suóque léctulo paupérculis reserváto, humi ipsa, vel nudos super ásseres decúmbere in delíciis habébat.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te

mirabíliter déxtera tua, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

VEhementíssimo divíni amóris igne æstuans, ad matutínas vigílias, ac divínas étiam laudes in vicíno sancti Frigdiáni templo celebrándas, statútis horis convolábat; ibíque inter orándum tanta cœléstis contemplatiónis dulcédine perfundebátur, ut ab ea ábstrahi étiam vi facta, plerúmque vix posset. Caritáte erga próximum singuláriter enítuit : quidquid enim de victu, de mercéde, ac veste detráhere sibi licéret, egénis, ægrotísque sublevándis alácriter impendébat; ut nemo a paupércula pauper sine ope discéderet. Hanc tantam piæ vírginis in míseros liberalitátem magnis a Deo præmiis, ac munéribus cumulátam fuísse, editísque de cœlo signis, atque prodígiis servæ suæ adhuc vivéntis sanctimóniam illustrári ab ipso voluísse, memóriæ próditum est. Nam, et hórrea piis largitiónibus exháusta novis frúgibus divínitus compléssse, et labénti imbre mínime perfúndi visam esse, et aquas in vinum convertísse, et panis frusta in flores, rosásque commutásse tráditur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

DE ætérna cujúsque salúte, ac peccatórum conversióne máxime sollícita in id præcípue incumbébat, ut impudícas mulíeres hospítio excípiens, quantum posset, a sórdibus avocáret. Tandem labóribus, vigíliis, afflictiónibus magis, quam annis attríta, febríque corrépta, léctulo præter morem decúmbere compéllitur; suíque éxitus cónscia, sacraméntis Ecclésiæ reféсta, óculis in cœlum defíxis, manibúsque in crucis formam ad pectus compósitis, quinto Kaléndas Maias, anno supra millésimum ducentésimo septuagésimo octá-

vo, ætátis prope sexagésimo, méritis plena evolávit ad sponsum. Cultum eídem ab immemorábili témpore præstitum Innocéntius duodécimus Románus Póntifex apostólica auctoritáte probávit. Corpus in hanc usque diem végetum, et incorrúptum Lucæ in pervetústa sancti Frigdiáni Longobardórum basílica vísitur, summáque religióne cólitur. ℟. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. de Verbis Dñi.

QUid enim putámus reprehénsum esse ministérium Marthæ, quam cura hospitalitátis occupáverat, quæ ipsum Dóminum hospítio recéperat? Quómodo recte reprehendebátur, quæ tanto hóspite lætabátur? Hoc si verum est, dimittant hómines, quod minístrant egéntibus; éligant sibi partem meliórem, quæ non auferétur ab eis; vacent verbo; ínhient doctrínæ dulcédini; occupéntur circa sciéntiam salutárem. Nihil ejus curæ sit, quis peregrínus in vico sit, quis égeat pane, quis induménto, quis visitándus, quis rediméndus, quis sepeliéndus; vacent ópera misericórdiæ; uni instétur sciéntiæ. Si mélior pars est cur non omnes hoc fáciunt; quando ipsum Dóminum in hac causa patrónum habémus? Non enim timémus in hac re ne offendámus ejus justítiam, cum patrónam teneámus ejus senténtiam.

℟. Hæc est Virgo sápiens quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias, allelúia. ℣. Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et veniénte.

Lectio viij.

ST tamen ita non est : sed sicut dixit Dóminus, ita est. Quómodo intélligis,

non est? Est autem quómodo intellígere debes. Ecce advérte: circa multa es occupáta, quando unum est necessárium. María melióɾem partem elégit. Non tu malam : sed illa melióɾem. Sed unde melióɾem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Præpónitur unum multis. Non enim a multis unum, sed multa ab uno. Multa sunt, quæ facta sunt : unus est qui fecit. Cœlum, terra, mare, et ómnia, quæ in eis sunt, quam multa sunt? Quis ista enúmeret? Quis horum multitúdinem cógitet? Quis hæc fecit? Deus ómnia. Ecce bona valde. Bona valde, quæ fecit, quanto mélior ille, qui fecit.

℞. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei, allelúia. ℣. Prudéntes Vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

Attendámus ígitur occupatiónes nostras circa multa. Necessárium est ministérium córpora refectúris. Quare hoc? Quia esurítur, quia sitítur. Misericórdia míseris necessária est. Frangis panem esuriénti, quia invenísti esuriéntem : tolle famen, cui frangis panem? Tolle peregrinatiónem, cui éxhibes hospitalitátem? Tolle nuditátem, cui præparas vestem? Non sit ægritúdo, quem vísitas? Non sit captívitas quam rédimis? Non sit rixa, quem concórdas? Non sit mors, quem sépelis? In illo sæculo futúro non erunt ista mala : ergo nec ista ministéria.

Te Deum laudámus.

DIE IV. MAII.
SS. Sindonis D. N. J. C.

Duplex j. class. (cum Oct.)

Omnia ut in Feria VI. post Domin. II. Quadrag. inter Festa pro aliquibus locis, præter sequentia.

Officium fit ritu Pasch.

In j. Vesperis initium Hymni hoc modo mutatur.

Annui sacræ rédeunt honóres
Síndonis ; festis venerémur hymnis,
Et piis votis monuménta nostræ
Certa salútis.

Quæ refert semper *et reliqua ut in App. Brev.*

In Nocturnis Psalmi

dicuntur sub singulis Añis iij. Nocturni reliquis omissis.

Post Lect. viij. dic. seq.

℟. Hæc est Sindon digníssima, in qua salútis auctor de cruce depósitus invólvi dignátus est, ut nos consepúlti cum eo, véteris hóminis exúviis depósitis, innocéntiæ síndone tegerémur, * Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Felix domus Sabáudiæ, quæ tanto pígnore ditáta, sacro hoc múnere gloriátur.—Allelúia. Glória Patri. Allelúia.

Lectio ix.

Joseph autem mercátus est Síndonem, et depónens eum invólvit Síndone. Póssumus juxta intelligéntiam spirituálem hoc sentíre, quod corpus Dómini non auro, non gemmis, et sérico, sed linteámine puro obvolvéndum sit. Quamquam et hoc signíficet, quod ille in Síndone munda invólvat Jesum, qui pura eum mente suscéperit. Hinc Ecclésiæ mos obtínuit, ut sacrifícium altáris non in sérico, neque in panno tincto, sed in lino terréno celebrétur.

Te Deum laudámus.

DIE XI. MAII.

In Octava

SS. Sindonis.

Duplex.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Feria II. vel IV. Rogat., Lectiones ut in Festo.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De Resurrect. Homil. vj.

Lectio iv.

María véniens ad Christi Dómini monuméntum appéllat Dóminum hortulánum, quia infántium plantária floruérunt. Ecce lília renatórum ornant altáre Domínicum cándidis turbis gaudiórum. Ecce lília nova de fonte plántata : quia isti sunt, qui lavérunt stolas suas in sánguine Agni, qui tollit peccáta mundi. Ecce resurréxit caro Christi, et flos campi de scrobe sepúlcri, et appáruit in horto lílium convállium, cum ad sepúlcri novam scrobem gaudiórum núntii descéndunt Angelórum. Venit María sepultúræ portans arómata; et ín-

venit in sepúlcro suávia resurrectiónis unguénta: non ut úngeret corpus Domínicum, sed ut chrísmate perfúnderet cápita renatórum. Venit ad monuméntum, æstimat clausum, et ínvenit ad jánuam sepúlcri vela pendéntia linteórum. Dicunt ei Angeli : Múlier, quid ploras? quem quæris? Jesum quæris intra petram, qui jam confrégit mortis gehénnam? Quid quæris, María, plantátam vitem veram? Ecce de palmítibus mortuórum parátur tibi in horto renováta vindémia. Non audísti David Prophétam dicéntem : Fílii tui sicut novéllæ olivárum? Ecce sunt circa altáre Domínicum infántes per médium floréscéntes aquárum, quia isti desideravérunt, sicut cervus ad fontes aquárum. Quid est ergo, María? quem quæris, non est hic. Surréxit enim, sicut díxerat vobis. Vide, et áspice linteámina : nihil est quod térreat; linteámina enim Christi sepultúra est peccáti tui, unde extérgas lácrymas luctus tui, et sudórem refrígeres desidérii tui : vidébis in Paradíso quem quæris in monuménto. Accéssit, recéssit, profécit : quem quærébat invénit.

℟. O admirábilis Sindon, in qua involútus est thesáurus noster, redémptio captivórum ! * Allelúia. allelúia, allelúia. ℣. Gaudet totus mundus, qui redémptus est sánguine Dómini sui. — Allelúia.

Lectio v.

Aspicit, et æstimat hortulánum, quia vere ab ipso suscépit nova plantária renatórum. Dómine, inquit, requíro a te, édoce me. Et si æstimo hortulánum, non fácio calúmniam, dum requíro vitam meam : si tu sustulísti Dóminum meum, índica ubi posuísti eum : numquid vidísti quem diléxit ánima mea? Si tu es fur córporis Dómini mei, esto consolátor luctus mei : si tulísti eum, partiámur simul : et de te, et de me gaudébit genus humánum : si tulísti, non avarítia appetísti, sed misericórdiam dilexísti : tantum per te osténde locum. Ego paro húmeros meos, et tollo tecum. Stat hortulánus, et tacet. O vere hortulánus Dóminus Chri-

stus, qui levávit plantária de gehénna, quæ antíqua obrúerat sepultúra! O vere hortulánus, qui eradicávit mortem, et introdúxit secum ad paradísum latrónem! O hortulánus, vilis quidem in spécie, sed dulcis in voce! Jam simplex est horti jánua; nulla ibi de terróre custódia; ídeo libénter intérrogat secúra María : Súspicor, inquit, quia Judæi tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum; sed quia te vídeo, te intérrogo, a te díscere desídero, quod requíro.

℟. Tulérunt túnicam Joseph fratres ejus; et in sánguine hœdi, quem occíderant, tinxérunt, mitténtes, qui ferret ad patrem, et díceret : * Hanc invénimus, vide num túnica fílii tui sit, an non? allelúia. ℣. Quam cum agnovísset pater, ait : Túnica fílii mei est : fera péssima devorávit eum. — Hanc.

Lectio vj.

ET Dóminus Maríæ dat vocem, et índicat veritátem : lábia justi distíllant melle, et obumbrántur unguénta Maríæ, quæ cum melióreme accepísset odórem, exclamávit in voce : Rabbóni, quod interpretátur Magíster : et adorávit eum; et fundens lácrymas, et quærens tenére génua ejus, dicit ad eam Jesus : Noli me tángere, nondum ascéndi ad Patrem meum : hoc est, jam fide vivis, spiritúsque te vivíficat. Resúrgit Christus a mórtuis, credi debet, non tangi; qui ejus desíderant tenére génua, accédant ad ejus altária. Noli me tángere; nondum enim ascéndi ad Patrem meum. Et illa dixit : Dómine, quare non mihi permíttis, ut te tangam, vel fímbriam vestimentórum tuórum? Ego non débeo tángere quem tangébant ægróti, et sanabántur? Tu in ligno pependísti, et in sepúlcro jacuísti, tu Paradísum reserásti. Admítte me ad hortum deliciárum tuárum : sanásti Hevam, exhílara Maríam : osténde mihi vitem tuam; lætífica me de vindémia tua. Et Dóminus : Vade, inquit, ad pálmites meos Apóstolos, ut occúrrant in Galilæam, et ibi tibi apparébit plena vindémia. Ecce ígitur de Christo resur-

génte, et de sarméntis Apostólicis triumphávit Galilæa. Ecce de Dómino et infántibus, tamquam de vite et palmítibus hódie lætátur nostra Matercathólica Ecclésia.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus : * Quipeccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus, allelúia. ℣. Qui cum malediceréturm non maledicébat; cum paterétur, non comminabátur. — Qui peccátum. Glória. Qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Cum jam sero esset factum (quia erat Parascéve, quod est ante Sábbatum) venit Joseph ab Arimathæa nóbilis decúrio, qui et ipse erat exspéctans regnum Dei. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. in Joann. cxx.

POst hæc autem rogávit Pilátum Joseph ab Arimathæa, eo quod esset discípulus Jesu, occúltus autem propter metum Judæórum ut tólleret corpus Jesu : et permísit Pilátus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodémus, qui vénerat ad Jesum nocte primum, ferens mixtúram myrrhæ, et áloës quasi libras centum. Non ita distinguéndum est, ut dicámus : primum ferens mixtúram myrrhæ; sed ut, quod dictum est, primum, ad superiórem sensum pertíneat : vénerat enim Nicodémus ad Jesum nocte primum; quod idem Joánnes narrávit in prióribus Evangélii sui pártibus. Huic ergo intelligéndum est, ad Jesum non tunc solum, sed tunc primum venísse Nicodémum; venísse autem póstea, ut fíeret audiéndo discípulus : quod certe modo in revelatióne córporis beatíssimi Stéphani fere ómnibus géntibus declarátur.

℟. Mercátus est Joseph Síndonem mundam, ut invólveret in ea corpus Dómini. * Venit ergo, et tulit corpus ejus, allelúia. ℣. Rogávit Pilátum Joseph ab Arimathæa, ut tólleret corpus Jesu. - Venit.

Lectio viij.

ACcepérunt ergo corpus Jesu, et ligavérunt illud línteis cum aromátibus, sicut mos est Judæis sepelíre. Non mihi vidétur Evangelísta frustra dícere voluísse : Sicut mos est Judæis sepelíre : ita quippe, nisi fallor, admónuit, in hujúsmodi offíciis, quæ mórtuis exhibéntur, morem cujúsque gentis esse servándum. Erat autem in loco, ubi crucifíxus est, hortus, et in horto monuméntum novum, in quo nondum quisquam pósitus fúerat. Sicut in Maríæ Vírginis útero nemo ante illum, nemo post illum concéptus est; ita in hoc monuménto nemo ante illum, nemo post illum sepúltus est. Ibi ergo propter Parascéven Judæórum, quia juxta erat monuméntum, posuérunt Jesum. Accelerátam vult intélligi sepultúram, ne advesperásceret, qnando jam propter Parascéven, quam cœnam puram Judæi latíne usitátius apud nos vocant, fácere áliquid tale non licébat.

℟. Hæc est Sindon digníssima, in qua salútis auctor de cruce depósitus invólvi dignátus est : ut nos consepúlti cum eo, véteris hóminis exúviis depósitis, innocéntiæ Síndone tegerémur. * Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Felix domus Sabáudiæ, quæ tanto pígnore ditáta, sacro hoc múnere gloriátur. — Allelúia. Glória. Allelúia.

Lectio ix.

CUrrébant autem duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit primus ad monuméntum. Adverténda hic, et commendánda est recapitulátio : quómodo réditum est ad id, quod fúerat prætermíssum : et tamen quasi hoc sequerétur, adjúnctum est. Cum enim jam dixísset : venérunt ad monuméntum, regréssus est, ut narráret quómodo venérunt, atque ait : Currébant autem duo simul. Ubi osténdit, quod præcúrrens ad monuméntum prior, vénerit álius ille discípulus, quem seípsum signíficat, sed tamquam de álio, more sanctæ Scriptúræ, cuncta narrat. Et cum se inclinásset, inquit, vidit pósita linteámina, non tamen introívit. Ve-

nit ergo Simon Petrus sequens eum, et introívit in monuméntum, et vidit linteámina pósita, et Sudárium, quod fúerat super caput ejus, non cum linteamínibus pósitum, sed separátim involútum in unum locum. Putamúsne, nihil ista signíficant? Nequáquam hoc putáverim : sed ad ália festinámus, in quibus immorári quæstiónis, vel obscuritátis alicújus necessitáte compéllimur. Nam ista, quæ per se ipsa manifésta sunt, quid síngula étiam signíficent, quærere sanctæ quidem delíciæ sunt, sed otiosórum, quod non sumus nos.

Te Deum laudámus.

DIE XIV. MAII.
B. Alexandri Sauli
Episc. et Conf.
Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xxiij. Aprilis. (*m. t. v.*)

DIE XV. MAII.
S. Isidori Agricolæ
Conf. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE II. JUNII.
S. Theobaldi
Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

DEus, qui in húmili vita, et mirábili beáti Theobáldi caritáte evangélicæ perfectiónis exémplum ostendísti, concéde quæsumus, ut illíus imitémur virtútes, cujus patrocínio gloriámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

THeobáldus Rogérius Vici prope Montem Regálem a paréntibus ortus nullis fortúnæ bonis, at insígni pietáte conspícuis, in timóre Dómini educátus est. Duodénnis Albam pétiit, et sutóriam dídicit artem; oratiónis autem stúdio, ac cœléstium rerum contemplatióni, quidquid témporis superésset, tribuébat. Innocéntia et severitáte morum, obediéntia vitæque sanctimónia ita carus suo artis magístro, ut hic ántequam morerétur famíliam illíus tutélæ

commíserit, suámque fíliam eídem sponsam obtúlerit. Núptias réspuit virginitátis cultor, ut uni Deo libérius inservíret : páuculos deínde quos lucrátus fúerat nummos partim in páuperum subsídium, partim in magístri ánimæ expiatiónem erogávit. Tum rebus famíliæ ex demórtui voto compósitis, ardénti pietáte actus Compostéllam victum quæritans peregrinátur. Albam inde revérsus, ac eódem excéptus quo prius hospítio, perfectiónis christiánæ stúdio se totum addíxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

Ardentíssimam caritátem summæ humilitáti conjúngens ostiátim mendicáre, ædem sancto Lauréntio sacram vérrere, ministráre ægrótis, bájulum gérere aut ex mínima, aut nulla aliquándo mercéde in usum hábuit. Omne vero labóris lucrum egenórum auxílio impendébat, quos infírmos præsértim, mutilósque húmeris suis ad nosocómia, aut ditióres cives ferébat opem pro iis rogatúrus. Quam sibi grata effúsa hæc cáritas foret, Deus ipse prodígiis osténdit; aréna enim, qua pro farína esuriéntibus distribúta, saccum Theobáldus repléverat, in óptimam copiosámque símilam convérsa est. Magna ídeo sanctitátis fama apud omnes celebrátur, qui tamen humilitátis studiosíssimus magis mágisque déspici ab ómnibus satagébat. Vestis ejus attríta, cibus, quem aliéna miserátio obtulísset, ut plúrimum panis et aqua, somnus subdiális et perbrévis; univérsa vita carnis maceratióne, pietátis fervóre, virtútum exercitatióne, evangélicæ perfetiónis exémplum éxstitit. Extrémo tandem corréptus morbo, Sacris ferventíssime reféctus, nudam super humum ex more stratus, anno Christi millésimo centésimo quinquagésimo placidíssime efflávit ánimam.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

SOlémne post funus corpus illíus álibi recóndi haud pótuit quam in eo, quem ipse designáverat loco. Innúmeris miráculis servum suum glorificásse Dóminum fertur, atque statim post mortem ecclesiástico cultu venerári méruit. Tum in amplióri cathedráli æde sacéllum exstrúctum in ejus honóre prope ipsíus sepúlcrum, quod inítio sæculi décimi quinti detéctum novis plurimísque prodígiis íterum claruísse dicunt. Templa et altária eídem sacra, piæ sub ipsíus patrocínio societátes, festórum celebratiónes, solémnes reliquiárum translatiónes ex Summórum Pontíficum indúlto, perénne signórum oráculum, et fidélium piétas Theobáldi sanctitátem et cultum testántur. Hisce ómnibus nec non Albénsis, aliorúmque Antístitum postulatiónibus permótus Gregórius décimus sextus Póntifex máximus, festum ejus cum Offício et Missa in Albæ Pompéiæ diœcési ubi præcípue cólitur, et álibi agéndum benígne permísit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE VI. JUNII.

Insignis Miraculi SS. Corporis Christi.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de Laudibus. Psalmi ut in Officio votivo SS. Sacramenti.

Hymnus.

SUmmam Dei poténtiam,
Et hanc in urbem máximum
Divíni amóris débitis
Pignus canámus láudibus.

Immóta mansit béllua
Pretióso onústa póndere,
Prædónis et nefárii
Hic est solúta sárcina.

Attóllitur per áera,
Sacráta fulget Hóstia,
Fídei triúmphat véritas,
Et hæresis confúnditur.

Redémptor o mitíssime,
Dignáre sedem fígere
In urbe nostra, ut árceas
Quæcúmque turbant trístia.
Hanc dulcis hospes éligens
Ad permanéndum, récreas;
Zachæi ut ædem vísitans,
Reples salútis gáudio.
Adésto nobis júgiter :
Regem tuére,ac súbditos,
Avérte morbos, prœlia,
Largíre pacis múnera.
Tuo supérno lúmine
Erróris umbras éxcute :
Ne corda confiténtium
Contáminent incréduli.
Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic conclud. Hymni ad Complet. et per Horas.

℣. Non fecit táliter omni natióni, allelúia. ℟. Et judícia sua, non manifestávit eis, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Generátio et generátio laudábit ópera tua : et poténtiam tuam pronuntiábunt. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur : et mirabília tua narrábunt, allelúia.

Oratio ut in Laud.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Panem vivum descendéntem de cœlo, * Veníte adorémus.

Hymnus. Sacris solémniis. *ut in Officio votivo SS. Sacramenti.*

In I. Nocturno.

Aña j. Exsúrge Deus, júdica causam tuam, memor esto improperiórum tuórum, allelúia.

Psalmi Nocturnorum ut in Officio votivo SS. Sacramenti.

℣. Notam fecísti in géntibus virtútem tuam, allelúia. ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, allelúia.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* lxij.

PRopter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et Salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes justum tuum ; et cuncti reges ínclytum tuum : et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni

in manu Dei tui. Non vocáberis ultra Derelícta, et terra tua non vocábitur ámplius Desoláta, sed vocáberis Volúntas mea in ea, et terra tua Inhabitáta : quia complácuit Dómino in te : et terra tua inhabitábitur.

℟. A Dómino factum est istud, * Et est mirábile in óculis nostris, allelúia. ℣. Hæc est dies quam fecit Dóminus, exsultémus et lætémur in ea. — Et est.

Lectio ij.

HAbitábit enim júvenis cum vírgine, et habitábunt in te fílii tui. Et gaudébit sponsus super sponsam, et gaudébit super te Deus tuus. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes, tota die et tota nocte, in perpétuum non tacébunt. Qui reminiscímini Dómini, ne taceátis, et ne detis siléntium ei, donec stabíliat, et donec ponat Jerúsalem laudem in terra.

℟. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus : * Pópulus quem elégit in hereditátem sibi, allelúia. ℣. De cœlo respéxit Dóminus, vidit omnes fílios hóminum. — Pópulus.

Lectio iij.

JUrávit Dóminus in déxtera sua, et in bráchio fortitúdinis suæ : si dédero tríticum tuum ultra cibum inimícis tuis, et si bíberint fílii aliéni vinum tuum, in quo laborásti. Quia qui cóngregant illud, cómedent, et laudábunt Dóminum : et qui compórtant illud, bibent in átriis sanctis meis. Transíte, transíte per portas, præparáte viam pópulo, planum fácite iter, elígite lápides, et eleváte signum ad pópulos. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ, dícite fíliæ Sion : Ecce Salvátor tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Et vocábunt eos, pópulus sanctus, redémpti a Dómino. Tu autem vocáberis : Quæsíta cívitas et non derelícta.

. . Aspícite in géntibus, et vidéte : admirámini. et obstupéscite, * Quia opus factum est in diébus nostris : * Quod nemo credet cum narrábitur, allelúia. ℣. Exsúlta et lauda habitátio Sion : quia magnus in médio tui Sanctus Israel. —

Quia opus. Glória Patri. Quod nemo.

In II. Nocturno.

Añaj. Ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic, miráculo grandi et stupéndo, allelúia.

℣. Narráte in géntibus glóriam ejus, allelúia. ℟. In cunctis pópulis mirabília ejus, allelúia.

Lectio iv.

ANno millésimo quadringentésimo quinquagésimo tértio, die sexta Júnii, plácuit Deo óptimo máximo, sicut Pedemónti íncolas, ita Taurinos potíssimum contra finítimos hæréticos, insígni miráculo communíre. Depopuláto enim in Delphinátium fínibus Ocelo, argéntea sacrosánctæ Eucharístiæ hierothéca sacrílega manu surrépta, atque inclúsa sárcinæ, juménto impónitur álio evehénda. At ubi Augústam Taurinórum vectóres ingrediúntur, e regióne templi divo tunc Sylvéstro dicáti, coram magna pópuli frequéntia juméntum sistit, córruit, nec minis aut verbéribus propélli potest, aut dimovéri loco : non enim est consílium contra Dóminum.

℟. Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit : * Annuntiáte hoc in univérsa terra, allelúia. ℣. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus : notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.— Annuntiate.

Lectio v.

MOX, Deo mirabília operánte, nulláque humána ope disrúptis extémplo vínculis, extricátur a sárcinis, et attóllitur hierothéca cum sacráta Hóstia, ac stupéndum reális Christi preséntiæ arguméntum ómnium óculis offértur, quo intemeráta fides, et píetas Augústæ urbis roborétur : quæ exínde miráculi, seu sanctíssimi Sacraménti cívitas per antonomásiam est appelláta :nam, labénte ipsa hierothéca, stat sola orbiculáris panis spécies in áere péndula, atque attónitis cívibus spectántibus, sole clárior effúlget, donec admónitus, Taurinénsis Antístes, Ludovícus ex

Marchiónibus Romagnáni, comitántibus capítulo et clero, accúrrit ad locum : et dum in ore súpplici circumfúsæ multitúdinis légitur : Mane nobíscum Dómine : ipse cálicem suppónit in génua provolútus.

℟. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus : * Et factus est mihi in salútem, allelúia. ℣. Vox exsultatiónis et salútis in tabernáculis justórum. — Et factus.

Lectio vj.

Tunc sensim Eucharística hóstia descéndit, et in cálice a sacris Antístitis mánibus porrécto plácide sistit, atque in cathedrálem ecclésiam solémni ritu defértur, ubi ad tempus summa cum reveréntia asserváta miris signis coruscávit. Sodalítium intérea institúitur sub título Córporis Dómini. Offícium ritu dúplici majóri quotánnis recitándum a Românа Sede impetrátur. Solémni ecclesiástica ac civíli pompa quovis mense Eucharísticus panis circumfértur, ac marmóreo excitáto sacéllo, locus, ubi prodígium cóntigit, cancéllis clausus, signátur lápide. Cisalpínos vero, secúndo a prodígia sæculo, tabe misérrime depopulánte, magnificéntior, quæ prostat ædes ex voto a civitáte pósita est, quo divíni amóris sodáles perpétuo adoratúri accedéntes, indulgéntiis plúrimis a summis Pontifícibus Clemécte undécimo ac Benedícto decimoquárto aucti sunt. Ad fidem roborándam advérsus late grassántem incredulitátis luem Gregórius décimus sextus lectiónes secúndi Noctúrni, cum hymno histórico et antíphonis ad Vésperas et ad laudes, Pius vero Papa nonus íntegrum Offícium próprium cum Missa eníxis précibus Antístitis et cleri Taurinénsis annuéntes, quarto accedénte sæculári anno ab insígne patráto miráculo concessére.

℟. Deus áuribus nostris audívimus : * Patres nostri annuntiavérunt nobis allelúia. ℣. Opus, quod operátus es in diébus eórum et in diébus antíquis. — Patres nostri. Glória Patri. Patres nostri.

In III. Nocturno.

Añaj. Súmite psalmum, et date tympanum : psal-

térium jucúndum cum cíthara, allelúia.

℣. Magnificátus est Dóminus, allelúia. ℟. Quóniam habitávit in excélso, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus : Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Máximi Episcopi.

Serm. xlij. *de Pasch. solemn.* xiv.

REdemptiónis nostræ mystérium, fratres caríssimi, quod de cœlo véniens salútem nostram operátur in terris, tanta se majestáte, tantáque dignatióne circúmfert, ut virtus ejus et véritas occúlta sit pérfidis, manifésta credéntibus. Ut enim quod est sanctum, fidélibus innotéscit : ita rem fídei vidére non potest perfídia. In examinándis namque cœléstibus rebus omnis sapiéntia infatuátur humána, atque omne cor mortále torpéscit, ut ait gloriosíssimus doctor Paulus Apóstolus : Sapiéntia hujus mundi stultítia est apud Deum.

℣. Non erit tibi ámplius sol ad lucéndum per diem : * Nec splendor lunæ illuminábit te, allelúia. ℣. Sed erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam : et Deus tuus in glóriam tuam. — Nec.

Lectio viij.

IPse étiam Dóminus ac Salvátor noster mundi hujus sapiéntiam réprobans dicébat : Grátias tibi ago, Pater, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Díscite ítaque per hæc, fratres, sacraménta vitæ nostræ non philosóphicis assequénda doctrínis, sed parvulórum simplicitáte credénda, quia profúndo illo Dei nostri magnóque judício, quod sapiéntibus cónditur, párvulo revelátur.

℟. Beáti óculi qui vident, * Quæ vos vidétis, allelúia. ℣. Multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. — Quæ vos. Glória Patri. Quæ vos.

Lectio ix.

PArvulus enim dícitur, non cui ætas sit imperfécta, sed qui mystériis nescit contraíre divínis. Et recte párvulus nuncupátur, qui voluntáti Dei sui non parat arguménta, sed fidem. Abscónditur ergo sapiénti, ne manifésta vídeat, quod supérbe et imprudénter elátus, plus se sápere, quam Deum posse conténdit. Et ídeo quæstiónes sæculáris sapiéntiæ refutántes teneámus fidem quæ párvulis revelátur.

Te Teum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Patres nostri * annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum, allelúia.

2. Beáta gens, * cujus est Dóminus Deus ejus, pópulus, quem elégit in hereditátem sibi, allelúia.

3. Laudabúntur omnes * qui jurant in eo : quia obstrúctum est os loquéntium iníqua, allelúia.

4. Benedícite Deum et narráte ómnia mirabília ejus, allelúia.

5. Non fecit táliter * omni natióni, et judícia sua non manifestávit eis, allelúia.

Capitulum. *Isaiæ.* lxij. 11.

ECce Salvátor tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo : et vocábunt eos : Pópulus sanctus, redémpti a Dómino. Tu autem vocáberis : Quæsíta cívitas, et non derelícta.

Hymnus.

VErbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris hóstia,
Quæ cœli pandis óstium :

Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.
Uni, trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Elégi et sanctificávi locum istum, allelúia. ℟. Ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, allelúia,

Ad Benedictus, *Añа.* Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra, Deus adjútor noster in ætérnum, allelúia.

Oratio.

DEus, qui ad augéndam inter nos fámulos tuos erga fídei mystérium pietátem, dilectiónis tuæ mirábile signum relínquere disposuísti : concéde propítius, ut Unigénitum tuum quem in hoc Sacraménto pio afféctu venerámur, æternáliter in cœlis possidére mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Primam in ℟. *br.* ℣. Qui apparúisti hódie.

AD TERTIAM.

Capitul. Ecce Salvátor. *ut supra.*

℟. *br.* Notam fecísti in géntibus virtútem tuam, * Allelúia, allelúia. Notam. ℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. — Notam.

℣. Narráte in géntibus glóriam ejus, allelúia. ℟. In cunctis pópulis mirabília ejus, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitul. *Sophon.* iij. 17.

DEus tuus in médio tui fortis, ipse salvábit : gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude.

℟. *br.* Narráte in géntibus glóriam ejus, * Allelúia, allelúia. Narráte. ℣. In cunctis pópulis mirabília ejus. Allelúia, allelúia. Glória Patri. — Narráte.

℣. Magnificátus est Dóminus, allelúia. ℟. Quóniam habitávit in excélso, allelúia.

AD NONAM.

Capitul. 1.*Paral.*xvj.44.

QUærite Dóminum et virtútem ejus : quærite fáciem ejus, semper, recordámini mirabílium ejus quæ fecit : signórum illíus, et judiciórum oris ejus.

℟. *br.* Magnificátus est Dóminus, * Allelúia, allelúia. Magnificátus.

℣. Quóniam habitávit in excélso. Allelúia, allelúia. Glória Patri. — Magnificátus.

℣. Mane nobíscum Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Mane nobíscum Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Lætátus est pópulus valde, et egérunt diem illam in lætítia magna, et constítuit agi ómnibus annis diem istam, allelúia.

DIE XV. JUNII.

S. Bernardi a Menthone

Conf. Duplex.

Ad modum simplicis recolendum.

Oratio.

EXténde, quæsumus, Dómine, super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii, et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum.

SUFFRAGIA SANCTORUM.

De Ss. Sabino, Besso et Thegulo, *Mart.*

Ad Vesp. Aña. Mártyres Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres Sabínum, Bessum et Thégulum fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Ad Laud. Aña. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

℣. Exsúltent. *ut supra.*

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per horum sanctórum Mártyrum tuórum Sabíni, Bessi et Théguli, qui in præsénti requiéscunt ecclésia, mérita gloriósa, ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper muniámur advérsis.

De omnibus Sanctis.

Ad Vesp. Aña. Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte Justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Vel ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Vel ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio.

DEus, qui nos concédis ómnium Sanctórum tuórum memóriam ágere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Aña et ℣. *ut ad Vesp.*

Oratio.

INfirmitátem et fragilitátem nostram, quæsumus, Dómine, propítius réspice, et mala ómnia, quæ juste merémur, ómnium Sanctórum tuórum intercessióne, avérte.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 2 Aprilis 1901.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.

Sanctae Eporediensis Ecclesiae

ac totius Dioecesis Proprium

Illustrissimi ac Reverendissimi D.D.

Matthaei Filipello

e Taurinensi Theologorum Collegio

Dei et Apostolicæ Sedis gratia

Episcopi Eporediensis

cura recognitum et editum.

Pars Æstiva.

ROMÆ — TORNACI.
Typis Societatis S. Joannis Evangel.
Desclée, Lefebvre et Soc.
S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPH.
MCMI.

Matthaeus Filipello

E TAURINENSI THEOLOGORUM COLLEGIO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS EPOREDIENSIS ET COMES

Venerabili et Universo Clero Diœcesis Salutem in Domino.

CUM Nobis sit compertum Proprii Diœcesis novam impressionem a Vobis desiderari, vestris annuentes votis, exaratum a Prædecessore Nostro Aloysio Moreno felicis recordationis, complures requirens emendationes quoad aliqua Officia a S. Sede reformata, recognovimus. Pariter, ad majorem Sacerdotum commoditatem, quæ officia jamdudum in omnibus Breviariorum editionibus impressa inveniuntur curavimus expungenda, adiungenda autem, tamquam nostræ Diœceseos propria, a duobus proximis Nostris Prædecessoribus, quorum memoria in benedictione est, rite introducta.

Et Nos Ipsi maxima animi lætitia gaudentes alte fixam esse in populo, Nostræ curæ commisso, devotionem erga B. M. V. Dei, nostrique Matrem, et erga Sacratissimum Cor Jesu Christi D. N., a Sacra Rituum Congregatione obtinere studuimus tum Officium proprium, sive B. M. V. titulo Consolationis Matris, jam pridem Archidiœcesi Taurinensi concessum, cum illud B. Margaritæ Mariæ Alacoque, devotionis erga SS Cor Jesu almæ propagatricis. Item, quum, sive in Civitate, sive in Diœcesi multæ sint Ecclesiæ Sanctæ Marthæ Virgini dicatæ, votis complurium Curatorum animarum annuentes, obtinuimus ut festum huius Sanctæ Virginis ad ritum duplicem eveheretur.

Quibus rite ordinatis, mandamus Kalendaria annua, seu directoria divinarum precum deinceps ad tramites hujus editionis omnino confici : universis vero et singulis tam Civitatis quam Diœcesis Ecclesiasticis viris, et Sacrarum laudum lege devinctis, id quoque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut hæc divina Officia pie suscipiant, istumque sibi comparantes libellum ea continentem, publice ac privatim recitent. Vos tandem rogamus, Carissimi et obsecramus in Domino Jesu, ut quorum laudes persolvitis, et præconium facitis, virtutes quoque æmulemini, exempla sequamini, constantiam et robur induamini; ita eveniet, ut divina jugiter officia digne, attente ac devote recitantes, quorum gloriamur triumphis ac præsidiis fruimur, consortium et habere possimus in cœlis.

Eporediæ ex palatio Nostro Episcopali, Nonis Martiis a Sancto Thoma Aquinate solemnibus.

Matthaeus EPISCOPUS.

Kalendarium Ecclesiae et Dioecesis Eporediensis

(APPROBAT. A. S. R. CONGREG. DECRET. 22 SEPTEMB. 1859.)

Asteriscus denotat Festa quæ in hoc PROPRIO *continentur.*

Festa Mobilia.

* *Dom. a Pasch. ad Pent. non impedita festo altioris ritus vel æqualis :* B. M. V. de Bono Consilio. *dupl. maj.* Com. Dom.

Maii.

17. S. Paschalis Baylon C. Cœtuum Eucharistic. Patroni. *dupl.*
18. S. Venantii M. *dupl.*
19. S. Petri Cœlestini Pp. C. *dupl.* Com. S. Pudentianæ V.
20. S. Bernardini Senensis C. *sem.*
21. S. Felicis a Cantalic. C. *sem.*
22. S. Ubaldi Ep. C. (*16 hujus*) *dupl.*
23.
24. B. M. V. Auxilium Christianor. *dup. maj.*
25. S. Gregorii VII. Pp. C. *dupl.* Com. S. Urbani Pp. M.
26. S. Philippi Nerii C. *dupl.* Com. S. Eleutherii Pp. M.
27. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *dupl.* Com. S. Joannis Pp. M.
28. S. Augustini Ep. C. *dupl.*
29.
30. S. Felicis Pp. M.
31. S. Angelæ Merici Virg. *dupl.* Com. S. Petronillæ Virg.

Festa Mobilia.

* *Dom. Maii vel Junii non impedita Festo altioris ritus :* B. M. V. Titulo Divini Pastoris Matris. *dupl. maj.* Com. Dom. . 7

* *Dom. a Pent. ad Advent. non impedita Festo dupl.* B. M. V. De Succursu. *dupl. maj.* Com. Dom. 7

Junius.

1.
2. * S. Theobaldi C. *dupl.* Com. Ss. Mm. Marcellini atque Erasmi. 19
3.
4. S. Francisci Caracciolo C. *dup.*
5. S. Bonifacii Ep. M. *dup.*
6. * Insigne Miracul. SS. Sacramenti Taurini patrat. anno 1453. *dup. maj.* 21
7. S. Norberti Ep. C. (*6. hujus*) *dup.*
8.
9. SS. Mm. Primi et Feliciani.
10. S. Margaritæ Scot. Reg. Vid. *sem.*
11. S. Barnabæ Ap. *dup. maj.*
12. S. Joannis a S. Facundo C. *dup.* Com. Ss. Mm. Basilidis etc.
13. S. Antonii de Padua C. *dup.*
14. S. Basilii Ep. D. *dup.*
15. * S. Bernardi Menthonensis C. *dup.* Com. SS. Mm. Viti etc. 29
16. * SS. Gervasii et Protasii Mart. *semid.* 31
17.
18. SS. Mm. Marci et Marcelliani.

19.
20. * B.M.V. de Consolatione, *dup. maj.* Com. S. Silverii Pp. M. 35
21. S. Aloysii Gonzagæ C. *dup.*
22. S. Julianæ de Falconeriis V. (*19 hujus*) *dup.* Com. S. Paulini Ep. C.
23. Vigilia S. Joannis Bapt.
24. Nativitas S. Joannis Bapt. *dup. 1. cl. cum Oct.*
25. * S. Maximi Ep. C. *dup.* Com. Oct. 44
26. SS. Mm. Joannis et Pauli, *dup.* Com. Oct.
27. S. Guillelmi Abb. (*25 hujus*) *dup.* Com. Oct.
28. S. Leonis Pp. C. *dup.* Com. Oct. et Vigil.
29 * SS. Apost. Petri et Pauli, *dup. 1. cl. cum Oct.* Comm. Omnium SS. Apostol. 46
30. Comm. S. Pauli Ap. *dup. maj.* Com. S. Petri Ap. et Oct. Nativit. S. Joannis Bapt.

Festa Mobilia.

* *Feria VI. post Oct. SS. Corp. Christi :* SS. Cordis Jesu, *duplex 1. classis.* 7

Dom. III. post Pentecost. Purissimi Cordis B. M. V. *dup. maj.* Com. Dominicæ 9

Julius.

1. Octava S. Joann. Bapt. *dup.* Com. Oct. Ss. Apost.
2. Visitatio B. M. V. *dup. 2. cl.* Com. Ss. Mm. Processi etc.
3. De Octava SS. Apostol.
4. * S. Uldarici Ep. C. *dup.* Com. Oct. 47
5. S. Antonii Mariæ Zaccaria, *dup.* Com. Oct.
6. Octava SS. Ap. Petri et Pauli, *dup.*
7. * S. Sabini Ep. M. Patr. principal. Civit. et Diœc. Epored. *dup. 1. cl. cum Oct.* 49
8. S. Elisabeth Reg. *sem.* Com. Oct.
9. SS. Cyrilli et Methodii Ep. C. *dup.* Com. Oct.
10. Septem Fratrum Mm. ac Ss. Rufinæ et Secundæ Vv. Mm. *sem.* Com. Oct.
11. * De Octava, *sem.* Com. S. Pii Pp. M 50
12. S. Joannis Gualberti Abb. *dup.* Com. Oct. et Ss. Mm. Naboris etc.
13. * S. Anacleti Pp. M *dup.* Com. Oct. 53
14. * Octava S. Sabini Pp. M. *dup.* 54
15. S. Henrici Imp. C. *sem.*
16. B. M. V. de Monte Carmelo, *dup. maj.*
17. * S. Leonis IV. Ep. C. *sem.* 57
18. S. Camillis de Lellis C. Hospital. et Infirmor. Patroni, *dup.* Com. Ss. Mm. Symphorosæ etc.
19. S. Vincentii a Paulo C., Omn. Societat. Caritatis pecul. Patroni. *dup.*
20. S. Hieronymi Æmil. C. *dup.* Com. S. Margaritæ V. M.
21. S. Bonaventuræ Ep. D. (*14. hujus*) *dup.* Com. S. Praxedis V.
22. S. Mariæ Magdal. Pœnit. *dup.*
23. S. Apollinaris Ep. M. *dup.* Com. S. Liborii Ep. C.
24. * B. Ludovicæ a Sab. Vid. *dup.* Com. Vigil. et S. Christinæ V. M. 58
25. S. Jacobi Mai. Ap. *dup. 2. cl.* Com. S. Christophori M.
26. S. Annæ Matris B. M. V. *dup. 2. cl.*
27. * S. Alexii C. (*17. hujus*) *sem.* Com. S. Pantaleonis M. . 60

28. SS. Mm. Nazarii Celsi etc. *sem.*
29. S. Marthæ Virg. *dup.*
30. * S. Bonifacii a Sab. Ep. C. (*14 hujus*) *dup.* Com. Ss. Mm. Abdon et Sennen. 60
31. S. Ignatii de Loyola C. *dup.*

Festa Mobilia.

Dom. I. Julii. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *dup. 2. cl.* Com. Dom.
* *Dom. III. Julii.* SS. Redemptoris, *dup. maj.* Com. Dom. . 9

Augustus.

1. S. Petri ad vincula, *dup. maj.* (*ass. ex heri*) Com. S. Stephani Pp. M.
2. * S. Eusebii Ep. Vercell. et Mart. *dup. maj.* Com. Ss. Mm. Machabeorum 62
3. Inventio S. Stephani Protom. *sem.*
4. S. Dominici C. *dup. maj.*
5. Dedicat. B. M. V. ad Nives, *dup. maj.*
6. Transfiguratio D. N. J. C. *dup. maj.* Com. Ss. Mm. Xisti etc.
7. * S. Donati Ep. Aretin et M. *dup.* 72
8. * B. Veremundi Ep. Epored. et C. *dup.* 78
9. S. Alphonsi M. de Ligorio Ep. D. *dup.* (*2. hujus*) Vigil. et Com. S. Romani M.
10. S. Laurentii Levit M. *dup. 2. cl. cum Oct.*
11. S. Caietani C. (*7. hujus*) *dup.* Com. Oct. et Ss. Mm. Tiburtii, etc.
12. S. Claræ Virg. *dup.* Com. Oct.
13. De Octava, *sem.* Com. Ss. MM. Hippoliti etc.
14. De Octava, *sem.* Vigil. et Com. S. Eusebii C.
15. Assumptio B. M. V. Titul. Eccl. Cath. et Patronæ Diœc. *duplex 1. cl. cum Oct.*
16 * S. Rochi C. *dupl.* Com. Octavar 80
17 Octava S. Laurentii, *dupl.* Com. Oct. Assumpt.
18. * S. Agapiti M. *sem.* Com. Oct. 80
19. S. Hiacinti C. (*16. hujus*) *sem.* Com. Oct.
20. S. Bernardi Abb. et D. *dup.* Com. Oct.
21. S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. *dup.* Com. Oct.
22. Octava Assumpt. B. M. V. *dupl.* Com Ss. Mm. Timothei, etc.
23. S. Philippi Benitii C. *dup. Vigilia.*
24. S. Bartholomæi Ap. *dup. 2. clas.*
25. * S. Genesii M. *sem.* 83
26. * S. Secundi Theban. M. *dup.* Com. S. Zephirini Pp. M. . 85
27. S. Josephi Calasanctii C. *dup.*
28. S. Augustini Ep. D. *dup.* Dom. S. Hermetis M.
29. Decollatio S. Joannis B. *dup. maj.* Com. S.Sabinæ M.
30. * S. Bononii Abb. *sem.* Com. Ss. Mm. Felicis etc. . . . 87
31. Raimundi Nonnati C. *dup.*

Festa Mobilia.

Dom. inf. Oct. Assumpt. S. Joachim Patris B. M. V. C. *dup. 2. cl.* Com. Dom.
* *Dom. ultima mensis* B.M.V. de Oropa. *dup. maj.* Com. Dom. 9

Septembris.

1. S. Rosæ Liman. (*30 Aug.*) *dup.* Com. S. Ægidii et Ss. Mm. 12 Fratrum.
2 S. Stephani Reg. *sem.*
3. SS. Mm. Cyriaci, etc. (*8 Aug.*) *sem.*



Sanctæ Eporediensis Ecclesiæ ac totius Diœcesis Proprium.

PARS ÆSTIVA.

FERIA VI. POST OCT. CORPORIS CHRISTI.

Sacratissimi Cordis Jesu.

Duplex. j. classis.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Feria.

DOMINICA MAII VEL JUNII NON IMPEDITA FESTO ALTIORIS VEL ÆQUALIS RITUS.

B. Mariæ V. Divini Pastoris Matris.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica I. Maii.

DOMINICA QUAVIS POST PENTEC. NON IMPEDITA FESTO DUPLICI.

B. Mariæ V. de Succursu.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B.M.V. per Annum præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens, et misericors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui matrem esse voluísti : da nobis, quæsumus, ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia, et síncera tibi mente servíre valeámus. Per Dóminum.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. j. *de Assumpt. Virginis.*

Lectio iv.

MAría est turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto : síquidem Deus in médio ejus non commovébitur : de hac Vírgine in cánticis légitur : sicut turris David, quæ ædificáta est cum propugnáculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere turris David, illíus, inquam, David, qui supérbum Góliath quinque lapídibus de torrénte, idest quinque vulnéribus, et crucis báculo gloriántem in Calváriæ monte prostrávit. Facta est hæc turris Ecclésiæ propugnáculum, et peccatórum únicum refúgium, ut ad ipsam confúgiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflícti, et ea protegénte liberéntur ab hoste. O homo, in quacúmque tribulatióne ad Maríam fuge, sive peccátis afflíctus, sive persecutiónibus attrítus, sive tentatiónibus turbátus, hanc turrim petíto, ad Maríam confugíto. Mille enim clypei pendent ex ea, et contra omnem æstum tribulántis, et ad omnem fáciem persequéntis dæmonis tutíssimum in ea clypeum invénies, quo te prótegas.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio v.

UBI est enim omnis armatúra fórtium, ibi fides Apostolórum, ibi fortitúdo Mártyrum, ibi púritas Vírginum, Doctórum sapiéntia, Anachoritárum paupértas, devótio Confessórum : ibi dénique ómnium Sanctórum virtus agglomeráta reperítur. Nihil enim unquam alícui Sanctórum speciáli privilégio concéssum est, quod a princípio vitæ, et cumulátius præfúlgeat in María. Ecce castéllum fortíssimum, ecce turrim inexpugnábilem, quæ nunquam diábolo præstitit tribútum, ac fidem. Hanc intrávit Jesus,

quando Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, ídeo inimícos expugnatúrus, et regnum suum recuperatúrus, in quo ab inítio dæmon fúerat intrúsus.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vj.

Elécta est ut esset advocáta nostra. Nam licet advocátum habémus apud Patrem, Fílium, ut ait Joánnes : opus étiam fuit habére Matrem advocátam apud Fílium. Nam peccátis nostris non solum Deus offénditur, cujus præcépta violámus, sed et Fílius Dei, cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei : et ídeo sicut apud Patrem interpéllat Fílius, sic apud Fílium interpéllat Mater. Unde Fílius osténdit Patri latus, et vúlnera, et Mater osténdit Fílio pectus, et úbera; unde facta est idónea advocáta : idónea quia puríssima, idónea quia acceptíssima, idónea quia piíssima : hæc enim ómnia ad advocátam requirúntur. Ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte, ad te in nostris necessitátibus accúrrimus; tuum offícium imple, tuum opus exérce.

℟. Ornátam monílibus.

DOM. III. POST PENTEC.

Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica post Octav. Assumptionis.

DOMINICA III. JULII.

Sanctissimi Redemptoris.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

DOM. ULTIM. AUGUST.

B. M. V. de Oropa.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Añæ. 1. Nigra sum, * sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula

Cedar, sicut pelles Salomónis.

Psalmi ut in Festis B. M. V. per Annum.

2. Colúmba mea * in foramínibus petræ, in cavérna macériæ.

3. Ponam thronum ejus * super lápides istos, et státuet sólium suum super eos.

4. Sicut turris * David quæ ædificáta est cum propugnáculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium.

5. Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

Laude festívo pia gens honóre
Montis Orópæ vénerans sacéllum,
Quo Dei magnæ Genitrícis alma
Splendet imágo.

Hæc, ubi Eóis rédiens ab oris
Attulit Præsul pátribus coléndam,
Multa mox secum bona ferre nostros
Visa per agros.

Hostis infénsus fremat et minétur
Hæresi gentem vitiáre fidam :
Virgo compéscit, próhibet, repéllit.
Insidiántem.

Annuens fusis précibus cliéntum
Córporis morbos, animíque longe
Dépulit, casus pópulo imminéntes
Sæpe fugávit.

Cæcus en visum récipit cupítum,
Mutus extémplo frúitur loquéla :
Exsilit claudus, graditúrque firmis
Pássibus acer.

Venit intérdum comitáta luctu
Pestis, ut nostram populáret urbem :
Se tamen vidit súbito, jubénte
Vírgine, pulsam.

Prisca sic patrum monuménta narrant,
Templa testántur spóliis opímis

Clara, solémni repetíta
cultu
Festa quotánnis.
Trínitas summo vene-
ránda plausu,
Da pie nobis celebráre
Matrem
Vírginem, nostrum cólu-
men, decúsque
Omne per ævum.
Amen.

℣. Prótegam civitátem istam. ℟. Ut salvem eam propter me.

Ad Magnif. Aña. Domus sanctificatiónis nostræ, et glóriæ nostræ, ubi laudavérunt te patres nostri.

Oratio ut in Laud.

Et fit Commem. Dom. occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Cum jucunditáte solemnitátem beatíssimæ Vírginis Maríæ celebrémus : * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Hymnus. Plaude festívo. *ut supra.*

In I. Nocturno.

Añæ. 1. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

2. Occúrsus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

3. Accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Hæc réquies mea in sæculum sæculi. ℟. Hic habitábo quóniam elégi eam.

De libro primo Paralipómenon.

Lectio j. *Cap.* xv.

Ædificávit David locum arcæ Dei, tetendítque ei tabernáculum. Tunc dixit David : Illícitum est ut a quocúmque portétur arca Dei nisi a Levítis, quos elégit Dóminus ad portándum eam, et ad ministrándum sibi usque in ætérnum. Congregavítque univérsum Israel in Jerúsalem, ut afferrétur arca Dei in locum suum, quem præparáverat ei. Nec non et fílios Aaron, et Levítas. Et dixit ad eos : Vos qui estis príncipes familiárum Leviticárum, sanctificámini cum frátribus vestris, et afférte arcam Dómini Dei Israel ad locum, qui ei præparátus est : ne ut a princípio, quia non erátis præséntes, percússit nos Dóminus : sic et nunc fiat, illícitum quid nobis agéntibus.

℞. Leva in circúitu óculos tuos, et vide : omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi : * Fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. ℣. Tunc vidébis, et áfflues : mirábitur, et dilatábitur cor tuum. — Fílii.

Lectio ij.

SAnctificáti sunt ergo sacerdótes, et levítæ, ut portárent arcam Dómini Dei Israel. Et tulérunt fílii Levi arcam Dei, sicut præcéperat Móyses juxta verbum Dómini húmeris suis in véctibus. Dixítque David princípibus levitárum, ut constitúerent de frátribus suis cantóres in órganis musicórum, nablis vidélicet, et lyris, et cymbalis, ut resonáret in excélsis sónitus lætítiæ. Igitur David et omnes majóres natu Israel, et tribúni iérunt ad deportándam arcam fœderis Dómini de domo Obédedom cum lætítia. Cumque adjuvísset Deus levítas, qui portábant arcam fœderis Dómini, immolabántur septem tauri, et septem aríetes. Porro David erat indútus stola byssina, et univérsi levítæ qui portábant arcam, cantorésque et Chonenías princeps prophetíæ inter cantóres : David autem étiam indútus erat ephod líneo. Universúsque Israel deducébant arcam fœderis Dómini in júbilo, et sónitu búccinæ et tubis, et cymbalis, et nablis, et cítharis concrepántes.

℞. Ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salváti fúerint, ad Gentes, ad ínsulas longe, * Ad eos, qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. ℣. Et annuntiábunt glóriam meam Géntibus, et addúcent omnes fratres vestros de cunctis Géntibus. — Ad.

Lectio iij. *Cap.* xvj.

ATtulérunt ígitur arcam Dei, et constituérunt eam in médio tabernáculi, quod teténderat ei David : et obtulérunt holocáusta, et pacífica coram Deo. Cumque complésset David ófferens holocáusta, et pacífica benedíxit pópulo in nómine Dómini. Constituítque coram arca Dómini de levítis, qui ministrárent, et recordaréntur óperum ejus, et glorificárent, atque laudárent Dóminum Deum Israel. Confitémini Dó-

mino, et invocáte nomen ejus : notas fácite in pópulis adinventiónes ejus. Cantáte ei, et psállite ei : et narráte ómnia mirabília ejus. Laudáte nomen sanctum ejus : lætétur cor quæréntium Dóminum. Quærite Dóminum, et virtútem ejus : quærite fáciem ejus semper. Recordámini mirabílium ejus quæ fecit : signórum illíus, et judiciórum oris ejus.

℟. Glória Líbani.

In II. Nocturno.

Añæ. 1. Fíliæ Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

2. Arcum cónteret, et confrínget arma : et scuta combúret igni.

3. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Elégi, et sanctificávi locum istum. ℟. Ut sit nomen meum ibi in sempitérnum.

Lectio iv.

CUM, áuspice Deo, post óbitum Constántii imperatóris ariáni tranquíllitas redderétur Ecclésiæ, et exulántes Epíscopi ad próprias sedes reverteréntur; in réditu Eusébii lúgubres vestes Itália mutávit, et in primis Insubres, qui jámdiu tanto viduáti pastóre, effúsa ánimi lætítia illum excepérunt. Eos vero Præsul amantíssimus patérno dilectiónis múnere ditávit. Insígne enim beátæ Maríæ Vírginis simulácrum sancto Lucæ Evangelístæ a traditióne tribútum, quod ab Oriénte detúlerat, constítuit in Orópæ monte Bugéllæ imminénte, exiguúmque ei cóndidit dicavítque sacrárium. Fuit inde illi et succedéntibus in eádem Vercellénsi sede Præsúlibus in delíciis is secéssus, ubi a divína Matre recreáti mirum experiebántur in episcopálibus curis laboribúsque solátium. Ii vero pietátis sensus fácile a pastóribus manárunt in fidéles, qui princípio seórsim, paulo post turmátim locum celebráre cœpérunt; quem ipsa Deípara per crebra benefícia et prodígia sibi in thronum grátiæ delegísse ostendébat.

℟. Si quis cognóverit plagam cordis sui, et expánderit manus suas in domo hac, tu exáudies

in cœlo, et repropitiáberis, et fácies * Ut des unicuíque secúndum omnes vias suas, sicut víderis cor ejus. ℣. Quia tu nosti cor ómnium filiórum hóminum, ut tímeant te cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terræ. — Ut des.

Lectio v.

CŒléstis patrocínii fama brevi percrebrescénte per subalpínas omnes, ac deínde per díssitas étiam regiónes, piíssima Mater úndique conférta géntium ágmina ditíssima sua caritáte excívit. Quamóbrem ut obsecundarétur populórum religióni in sanctuárium ádeo célebre, miris opéribus iter aspérrimum inter prærúpta móntium in militárem viam constrátum fuit; templum satis laxum et élegans constrúctum; adjécta haud procul sacellórum séries, quæ sculptis imagínibus præcípua reférret Vírginis gesta; paráta peregrínis amplíssima hospítia; horum et templi procuratióni consúltum per sacerdótum collégium, et Vírginum parthenónem; institútæ novemdiáles divinárum rerum commentatiónes; prospéctum univérsis ánimi corporísque conveniéntium necessitátibus. Quibus cómmodis illécti fidéles cujúsque sexus, ætátis, et órdinis, étiam regális, impénsius quotídie ac copiósius ad pedes dulcíssimæ Matris conflúere perrexérunt.

℟. Alienígena cum vénerit de terra longínqua propter nomen tuum, et oráverit in hoc loco, tu exáudies in cœlo, in firmaménto habitáculi tui, * Et fácies ómnia pro quibus invocáverit te. ℣. Ut discant univérsi pópuli terrárum nomen tuum timére, et probent, quia nomen tuum invocátum est super domum hanc. — Et fácies.

Lectio vi.

QUO studiósius autem hóminum píetas in Oropéum sanctuárium se pródidit, eo splendídius benígnitas et munificéntia Vírginis emícuit. Nutántem fidem confirmávit in pópulis, spem languéntem eréxit, caritátem succéndit, religiónem fovit, pérditos ad salútem, hæréticos ad Ecclésiæ grémium revocávit. Pestem abégit,

exundatiónes cohíbuit, incéndia restínxit, hostes fugávit, agris ubertátem, sanitátem réddidit arméntis. Lapsu præcípiti contúsos, fúlmine ictos, naufrágio demérsos, vúlnere conféctos, morbis quibúsque laborántes in prístinam incolumitátem asséruit. Ut ítaque tutíssimum hoc præsídium ubérius étiam christiáno pópulo conciliáret Pius nonus Póntifex máximus. rogánte Bugellénsi Epíscopo, clero, et pópulo indúlsit anno millésimo octingentésimo quinquagésimo séptimo, ut beátæ Vírginis Maríæ de Orópa festum postréma Domínica Augústi, qua die anno millésimo sexcentésimo vigésimo, et sæculáribus annis sequéntibus ipsíus simulácrum áurea coróna decorátum fúerat, quotánnis Officio próprio ac Missa sub ritu dúplici primæ classis cum Octáva in univérsa Bugellénsi diœcési recolerétur.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo : múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. — Et in. Glória. Et in.

In III. Nocturno.

Añæ. 1. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus.

2, Lux orta est justo, et rectis corde lætítia.

3 Cantáte Dómino cánticum novum : quia mirabília fecit nobis.

℣. Ego exáudiam de cœlo. ℟. Et sanábo terram eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* j.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

In Nativit. B. M. V.

INtuére, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cœlésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit; redemptúrus, humánum genus, prétium

univérsum cóntulit in Maríam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María; ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum affectibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis. In ómnibus siquidem, et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere solo audítu térritus, ad fólia fugiébas; Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua : Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et vidéntes.

Lectio viij.

PUra síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed et pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater. Filíoli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum. Felíciter : semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus : nimírum sola est grátia,

qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres? Quærámus grátiam, et per Maríam quærámus, quia quod quærit ínvenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum : nam apud hómines grátia fallax. Quærant álii méritum, nos inveníre grátiam studeámus. Quid enim? Non grátiæ est, quod hic sumus? Profécto misericórdiæ Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Ecce levábo * ad gentes manum meam, et ad pópulos exaltábo signum meum.
2. Ego in altíssimis * hábito, et thronus meus in colúmna nubis.
3. Fílii tui * de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent.
4. Leváte signum in terra : clángite búccina in géntibus sanctificáte super eam gentes.
5. Nomen tuum * ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

AUreis cœlo rádiis refúlgens
Lúcifer noctis répulit tenébras,
Et diem nobis révehit Maríæ
Jure sacrátam.

Sæpe dum clades álibi furéntes
Jam sibi horréret pópulus Bugéllæ,
Venit Orópæ pia Virgo nobis
Auxiliátrix;

Venit, et nostras lácrymas misérta,
Mitis avértit cápiti flagéllum,
Réddidit pacem trépidis, Deíque
Léniit iram.

Nos memor patrum píetas adíre
Sóspitæ montem vóluit quotánnis,
Ac ibi tantæ méritas Parénti
Sólvere grates.

Pródeant ergo júvenes, senésque,
Géstiens clerus, populúsque toto
Corde Regínæ celebráre cœli
Múnera certent.

O dies felix memoránda fastis,
Qua patres nostri státuæ beátæ
Vírginis grati pretiósa gemmis
Serta dedére!

Majus ast ætas dedit ista sertum,
Cum Pius, cœlo resonánte, dixit :
Euge! Concéptam sine labe puram
Crédite, gentes!

Trínitas summo veneránda plausu,
Da pie nobis celebráre Matrem
Vírginem, nostrum cólumen, decúsque
Omne per ævum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

Ad Benedictus, Aña. Fecit misericórdiam Dóminus cum pátribus nostris : eréxit nobis cornu salútis in domo suæ Genitrícis : serviámus illi.

Oratio.

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in solémni coronatióne salutíferæ imáginis gloriosíssimæ Genitrícis tuæ Maríæ reddidísti; da fámulis tuis ita ipsam venerári in terris, ut glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui vivis.

Fit Commem. Domin. occurrentis.

AD TERTIAM.

Capitulum de Laud.

℟. *br.* Hæc réquies mea * In sæculum sæculi. Hæc. ℣. Hic habitábo, quóniam elégi eam In sæculum. Glória. Hæc.

℣. Elégi, et sanctificávi locum istum. ℟. Ut sit nomen meum ibi in sempitérnum.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et

in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. *br.* Elégi, et sanctificávi * Locum istum. Elégi. ℣. Ut sit nomen meum ibi in sempitérnum. Locum. Glória Patri. Elégi.

℣. Ego exáudiam de cœlo. ℟. Et sanábo terram eórum.

AD NONAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho : quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis.

℟. *br.* Ego exáudiam * De cœlo. Ego exáudiam. ℣. Et sanábo terram eórum. De cœlo. Glória Patri. Ego exáudiam.

℣. Levávi óculos meos in montes. ℟. Unde véniet auxílium mihi.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

℣. Levávi óculos meos in montes. ℟. Unde véniet auxílium mihi.

Ad Magnificat, Aña. O Regína potens, propius res áspice nostras : dicáris pópuli vita salúsque tui.

DIE II. JUNII.

S. Theobaldi *Conf.*

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in húmili vita, et mirábili beáti Theobáldi caritáte evangélicæ perfectiónis exémplum ostendísti, concéde quæsumus, ut illíus imitémur virtútes, cujus patrocínio gloriámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Theobáldus Roggérius Vici prope Montem Regálem a paréntibus ortus nullis fortúnæ bonis, at insígni pietáte conspícuis, in timóre Dómini educátus est. Duodénnis Albam pétiit, et sutóriam dídicit artem;

oratiónis autem stúdio, ac cœléstium rerum contemplatióni, quidquid témporis superésset, tribuébat. Innocéntia et severitáte morum, obediéntia vitæque sanctimónia ita carus suo artis magístro, ut hic ántequam morerétur famíliam illíus tutélæ commíserit, suámque fíliam eídem sponsam obtúlerit. Núptias réspuit virginitátis cultor, ut uni Deo libérius inservíret : páuculos deínde quos lucrátus fúerat nummos partim in páuperum subsídium, partim in magístri ánimæ expiatiónem erogávit. Tum rebus famíliæ ex demórtui voto compósitis, ardénti pietáte actus Compostéllam victum quæritans peregrinátur. Albam inde revérsus, ac eódem excéptus quo prius hospítio, perfectiónis christiánæ stúdio se totum addíxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dominus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Ardentíssimam caritátem summæ humilitáti conjúngens ostiátim mendicáre, Ædem sancto Lauréntio sacram vérrere, ministráre ægrotis, bájulum gérere aut ex mínima, aut nulla aliquándo mercéde in usum hábuit. Omne vero labóris lucrum egenórum auxílio impendébat, quos infírmos præsértim, mutilósque húmeris suis ad nosocómia, aut ditióres cives ferébat opem pro iis rogatúrus. Quam sibi grata effúsa hæc cáritas foret, Deus ipse prodígiis osténdit ; aréna enim, qua pro farína esuriéntibus distribúta, saccum Theobáldus replèverat, in óptimam copiósamque símilam convérsa est. Magna ídeo sanctitátis fama apud omnes celebrátur, qui tamen humilitátis studiosíssimus magis magísque déspici ab ómnibus satagébat. Vestis ejus attríta, cibus, quem aliéna miserátio obtulísset, ut plúrimum panis et aqua, somnus subdiális et perbrévis ; univérsa vita carnis maceratióne, pietátis fervóre, virtútum exercitatióne, evangélicæ

perfectiónis exémplum éxstitit. Extrémo tandem corréptus morbo, Sacris ferventíssime reféctus, nudam super humum ex more stratus, anno Christi millésimo centésimo quinquagésimo placidíssime efflávit ánimam.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

SOlémne post funus corpus illíus álibi recóndi haud pótuit quam in eo, quem ipse designáverat loco. Innúmeris miráculis servum suum glorificásse Dóminum fertur, atque statim post mortem ecclesiástico cultu venerári méruit. Tum in amplióri cathedráli æde sacéllum exstrúctum in ejus honóre prope ipsíus sepúlcrum, quod inítio sæculi décimi quinti detéctum novis plurimísque prodígiis íterum claruísse dicunt. Templa et altária eídem sacra, piæ sub ipsíus patrocínio societátes, festórum celebratiónes, solémnes reliquiárum translatiónes ex Summórum Pontíficum indúlto, perénne signórum oráculum, et fidélium píetas Theobáldi sanctitátem et cultum testántur. Hisce ómnibus, nec non Albénsis, aliorúmque Antístitum postulatiónibus permótus Gregórius décimus sextus Póntifex máximus, festum ejus cum Offício et Missa in Albæ Pompeíæ diœcési, ubi præcípue cólitur, et álibi agéndum benígne permísit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE VI. JUNII.

Insignis Miraculi SS. Corporis Christi.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de Laudibus, Psalmi ut in die Festi SS. Sacramenti.

Hymnus.

SUmmam Dei poténtiam,
Et hanc in urbem máximum
Divíni amóris débitis
Pignus canámus láudibus.

Immóta mansit béllua
Pretióso onústa póndere,
Prædónis et nefárii
Hic est solúta sárcina.
Attóllitur per áera,
Sacráta fulget Hóstia,
Fídei triúmphat véritas,
Et hæresis confúnditur.
Redémptor o mitíssime,
Dignáre sedem fígere
In urbe nostra, ut árceas
Quæcúmque turbant trístia.
Hanc dulcis hospes éligens
Ad permanéndum, récreas;
Zachæi ut ædem vísitans,
Reples salútis gáudio.
Adésto nobis júgiter :
Regem tuére, ac súbditos,
Avérte morbos, prœlia,
Largíre pacis múnera.
Tuo supérno lúmine
Erróris umbras éxcute :
Ne corda confiténtium
Contáminent incréduli.
Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula
Amen.

Sic terminantur Hymni ad Completorium, et per Horas.

℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Ad Magnif. Aña. Generátio et generátio laudábit opera tua : et poténtiam tuam pronuntiábunt. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur : et mirabília tua narrábunt.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Panem vivum descendéntem de cœlo, * Veníte adorémus.

Hymnus. Sacris solémniis. *ut in die Festi SS. Sacramenti.*

In I. Nocturno.

Aña. Exsúrge Deus, júdica causam tuam, memor esto improperiórum tuórum.

Psalmi ut in die Festi SS. Sacramenti.

Aña. Mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te.

Aña. Exaltáre Dómine in virtúte tua, cantábimus et psallémus virtútes tuas.

℣. Notam fecísti in géntibus virtútem tuam. ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* lxiij.

Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splen-

dor justus ejus, et Salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes justum tuum; et cuncti reges ínclytum tuum : et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra Derelícta, et terra tua non vocábitur ámplius Desoláta, sed vocáberis Volúntas mea in ea, et terra tua Inhabitáta : quia complácuit Dómino in te : et terra tua inhabitábitur.

℟. A Dómino factum est istud, * Et est mirábile in óculis nostris. ℣. Hæc est dies quam fecit Dóminus, exsultémus et lætémur in ea. — Et est.

Lectio ij.

HAbitábit enim júvenis cum vírgine, et habitábunt in te fílii tui. Et gaudébit sponsus super sponsam, et gaudébit super te Deus tuus. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes, tota die et tota nocte, in perpétuum non tacébunt. Qui reminiscímini Dómini ne taceátis, et ne detis siléntium ei, donec stabíliat, et donec ponat Jerúsalem laudem in terra.

℟. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus: * Pópulus quem elégit in hereditátem sibi. ℣. De cœlo respéxit Dóminus, vidit omnes fílios hóminum. — Pópulus.

Lectio iij.

JUrávit Dóminus in déxtera sua, et in bráchio fortitúdinis suæ : si dédero tríticum tuum ultra cibum inimícis tuis, et si bíberint fílii aliéni vinum tuum, in quo laborásti. Quia qui cóngregant illud, cómedent, et laudábunt Dóminum : et qui compórtant illud, bibent in átriis sanctis meis. Transíte, transíte per portas, præparáte viam pópulo, planum fácite iter, elígite lápides, et eleváte signum ad pópulos. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ, dícite fíliæ Sion : Ecce Salvátor tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Et vocábunt eos, pópulus sanctus, redémpti a Dómino. Tu autem vocáberis : Quæsíta cívitas et non derelícta.

℟. Aspícite in géntibus, et vidéte : admirámini et obstupéscite, * Quia opus factum est in diébus nostris : * Quod nemo credet cum narrábitur. ℣. Exsúlta et lauda habitátio Sion : quia magnus in médio tui Sanctus Israel. — Quia opus. Glória Patri. Quod nemo.

In II. Nocturno.

Aña. Ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic, miráculo grandi et stupéndo.

Aña. Exaltábo te et confitébor nómini tuo, quóniam fecísti mirabília.

Aña. Custodiétis diem istum in generatiónes vestras.

℣. Narráte in géntibus glóriam ejus. ℟. In cunctis pópulis mirabília ejus.

Lectio iv.

ANno millésimo quadringentésimo quinquagésimo tértio, die sexta Június, plácuit Deo óptimo máximo, sicut Pedemóntii íncolas, ita Taurínos potíssimum contra finítimos hæréticos, insígni miráculo communíre. Depopuláto enim in Delphinátium fínibus Ocelo, argéntea sacrosánctae Eucharístiæ hierothéca sacrílega manu surrépta, atque inclúsa sárcinæ, juménto impónitur álio evehénda. At ubi Augústam Taurinórum vectóres ingrediúntur, e regióne templi divo tunc Silvéstro dicáti, coram magna pópuli frequéntia, juméntum sistit, córruit, nec minis aut verbéribus propélli potest, aut dimovéri loco : non enim est consílium contra Dóminum.

℟. Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit : * Annuntiáte hoc in univérsa terra. ℣. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus : notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : mementóte quóniam excélsum est nomen ejus. — Annuntiáte.

Lectio v.

VOX, Deo mirabília operánte, nulláque humána ope disrúptis extémplo vínculis, extricátur a sárcinis, et attóllitur hierothéca cum sacráta hóstia, ac stupéndum reális Christi præséntiæ arguméntum ómnium óculis offértur, quo intemeráta fides, et píetas Augústæ urbis roborétur : quæ exínde miráculi, seu san-

ctíssimi Sacraménti cívitas per antonomásiam est appelláta: nam, labénte ipsa hierothéca, stat sola orbiculáris panis spécies in aére péndula, atque attónitis cívibus spectántibus, sole clárior effúlget, donec admónitus, Taurinénsis Antístes, Ludovícus ex Marchiónibus Romagnáni comitántibus capítulo et clero, accúrrit ad locum: et dum in ore súpplici circumfúsæ multitúdinis légitur, Mane nobíscum Dómine: ipse cálicem suppónit in génua provolútus.

℟. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus : * Et factus est mihi in salútem. ℣. Vox exsultatiónis et salútis in tabernáculis justórum. — Et.

Lectio vj.

HUnc sensim Eucharística hóstia descéndit, et in cálice a sacris Antístitis mánibus porrécto plácide sistit, atque in cathedrálem ecclésiam solémni ritu defértur, ubi ad tempus summa cum reveréntia asserváta miris signis coruscávit. Sodalítium intérea institúitur sub título Córporis Dómini. Offícium ritu dúplici majóri quotánnis recitándum a Romána Sede impetrátur. Solémni ecclesiástica ac civíli pompa quovis mense Eucharísticus panis circumfértur, ac marmóreo excitáto sacéllo, locus, ubi prodígium cóntigit, cancéllis clausus, signátur lápide. Cisalpínos vero, secúndo a prodígio sæculo, tabe misérrime depopulánte, magnificéntior, quæ prostat ædes ex voto a civitáte pósita est, quo divíni amóris sodáles perpétuo adoratúri accedéntes, indulgéntiis plúrimis a summis Pontifícibus Cleménte undécimo ac Benedícto decimoquárto aucti sunt. Ad fidem roborándam advérsus late grassántem incredulitátis luem Gregórius décimus sextus lectiónes secúndi Noctúrni, cum hymno histórico et antíphonis ad Vésperas et ad Laudes, Pius vero Papa nonus íntegrum Offícium próprium cum Missas eníxis précibus Antístitis et cleri Taurinénsis annuéntes, quarto accedénte sæculári anno ab insígni patráto miráculo concessére.

℟. Deus áuribus nostris audívimus : * Patres no-

stri annuntiavérunt nobis. ℣. Opus, quod operátus es in diébus eórum et in diébus antíquis. — Patres. Glória. Patres.

In III. Nocturno.

Aña. Súmite psalmum, et date tympanum : psaltérium jucúndum cum cíthara.

Aña. Buccináte in Neoménia tuba, in insígni die solemnitátis vestræ.

Aña. Omnes gentes pláudite mánibus, jubiláte Deo in voce exsultatiónis, quóniam Dóminus excélsus terríbilis.

℣. Magnificátus est Dóminus. ℟. Quóniam habitávit in excélso.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus : Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Máximi Epíscopi. *Serm.* xlij. *de Pasch. solemn.* xiv.

REdemptiónis nostræ mystérium, fratres caríssimi, quod de cœlo véniens salútem nostram operátur in terris, tanta se majestáte, tantáque dignatióne circúmfert, ut virtus ejus et véritas occúlta sit pérfidis, manifésta credéntibus. Ut enim quod est sanctum, fidélibus innotéscit : ita rem fídei vidére non potest perfídia. In examinándis namque cœléstibus rebus omnis sapiéntia infatuátur humána, atque omne cor mortále torpéscit, ut ait gloriosíssimus doctor Paulus Apóstolus : Sapiéntia hujus mundi stultítia est apud Deum.

℟. Non erit tibi ámplius sol ad lucéndum per diem : * Nec splendor lunæ illuminábit te. ℣. Sed erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam : et Deus tuus in glóriam tuam. — Nec splendor.

Lectio viij.

IPse étiam Dóminus ac Salvátor noster mundi hujus sapiéntiam réprobans dicébat : Grátias tibi ago, Pater, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Díscite ítaque per hæc, fratres, sacraménta vitæ nostræ non philosóphicis assequénda

doctrínis, sed parvulórum simplicitáte credénda, quia profúndo illo Dei nostri magnóque judício, quod sapiéntibus cónditur, párvulo revelátur.

℟. Beáti óculi qui vident, * Quæ vos vidétis.
℣. Multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. — Quæ vos.
Glória Patri. Quæ vos.

Lectio ix.

PArvulus enim dícitur, non cui ætas sit imperfécta, sed qui mystériis nescit contraíre divínis. Et recte párvulus nuncupátur, qui voluntáti Dei sui non parat arguménta, sed fidem. Abscónditur ergo sapiénti, ne maniféste vídeat, quod supérbe et imprudénter elátus, plus se sápere, quam Deum posse conténdit. Et ídeo quæstiónes sæculáris sapiéntiæ refutántes teneámus fidem quæ párvulis revelátur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Patres nostri * annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum, allelúia.

2. Beáta gens,* cujus est Dóminus Deus ejus, pópulus, quem elégit in hereditátem sibi, allelúia.

3. Laudabúntur omnes * qui jurant in eo : quia obstrúctum est os loquéntium iníqua, allelúia.

4. Benedícite Deum et narráte ómnia mirabília ejus, allelúia.

5. Non fecit táliter* omni natióni, et judícia sua non manifestávit eis, allelúia.

Capitul. *Isaiæ* lxij. 11.

ECce Salvátor tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo : et vocábunt eos pópulus sanctus, redémpti a Dómino. Tu autem vocáberis quæsita cívitas, et non derelícta.

Hymnus.

VErbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem;

Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.
O salutáris hóstia,
Quæ cœli pandis óstium:
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.
Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Elégi et sanctificávi locum istum, allelúia. ℟. Ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, allelúia.

Ad Benedictus, *Aña.* Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra, Deus adjútor noster in ætérnum, allelúia.

Oratio.

Deus, qui ad augéndam inter nos fámulos tuos erga fídei mystérium pietátem, dilectiónis tuæ mirábile signum relínquere disposuísti : concéde propítius, ut Unigénitum tuum quem in hoc Sacraménto pio afféctu venerámur, æternáliter in cœlis possidére mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui apparuísti hódie.

AD TERTIAM.

Capitul. Ecce Salvátor. *ut supra.*

℟. *br.* Notam fecísti in géntibus virtútem tuam, * Allelúia, allelúia. Notam. ℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Notam.

℣. Narráte in géntibus glóriam ejus, allelúia. ℟. In cunctis pópulis mirabília ejus, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitul. *Sophon.* iij. 17.

Deus tuus in médio tui fortis, ipse salvábit : gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude.

℟. *br.* Narráte in géntibus glóriam ejus, * Allelúia, allelúia. Narráte. ℣. In cunctis pópulis mirabília ejus. Allelúia, allelúia. Glória. Narráte.

℣. Magnificátus est Dóminus, allelúia. ℟. Quóniam habitávit in excélso, allelúia.

AD NONAM.

Capitul. 1. *Paral.* xvi. 11.

Quærite Dóminum et virtútem ejus : quærite fáciem ejus semper, recordámi-

ni mirabílium ejus quæ fecit : signórum illíus, et judiciórum oris ejus.

℟. *br.* Magnificátus est Dóminus, * Allelúia, allelúia. Magnificátus. ℣. Quóniam habitávit in excélso. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Magnificátus.

℣. Mane nobíscum Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Mane nobiscum Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Lætátus est pópulus valde, et egérunt diem illam in lætítia magna, et constítuit agi ómnibus annis diem istam, allelúia.

DIE XV. JUNII.

S. Bernardi a Menthone

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

EXténde, quæsusumus, Dómine, super plebem tuam déxteram cœléstis auxílii : et intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, cunctas diáboli nequítias ab ea longe repélle. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BErnárdus a Menthóne, in comitátu Gebennénsi, nobilíssima stirpe natus, innocéntia vitæ et illibáta morum integritáte jam a púeris magnam futúræ sanctitátis spem áttulit. Postquam liberálibus stúdiis fuit innutrítus, præcláras ei núptias pater apparávit. At in ipsa nocte illas antecedénte, e patérno castéllo Prætóriam Augústam clánculum aufúgit. amóris divíni delíciis illécebras omnes mundi forti ánimo postpónens. Petrus, Augustánæ diœcésis Archidiáconus, cui sese discípulum trádidit, altíssimis ádeo virtútibus illum inflammávit, ut ómnium admiratióni esset et exémplo. Sacerdótio insignítus, in canónicum cathedrális Ecclésiæ fuit assúmptus; et pio magístro defúncto, in archidiaconátum, plaudéntibus ómnibus, succéssit.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

IN ea dignitáte quæ tunc officiális simul et vicárii generális partes complectebátur, mirum quo stúdio jejúnia, vigílias, oratiónes cum ardénti caritáte conjúngens, in animárum salúte procuránda laboráverit. Quadragínta duóbus annis inter aspérrimos móntium saltus regnum cœlórum indeféssus prædicávit, justos confírmans, peccatóres vocans ad pœniténtiam, incrédulos ad fidem, cunctos erúdiens, et pravos undequáque superstitiónis ritus exstírpans. Pennínis et Gráiis Alpibus, quarum apóstoli cognómen méruit, et quarum saltus próprium illíus nomen dein obtinuérunt, abominándas impietátis éthnicæ relíquias delévit, comminúto, in majóri monte, Jovis simulácro, et evérsa, in minóri, colúmna dicta Oculus Jovis, cum carbúnculo. In perárduis hisce locis, ubi crédulæ genti dæmon illudébat, duo fundávit hospítia canonicórum regulárium, qui viatóribus in procéllis et tempestátibus occúrrerent; cui piíssimo caritátis offício usque adhuc devotíssimi incúmbunt.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

CIrcumquáque resonuérunt sermónes illíus et in vicínas omnes terras exívit sonus eórum. Sedunénsis, Gebennénsis, Tarantasiénsis, Mediolanénsis et Novariénsis diœcéses verbis ejus excitátæ ad meliórem se disciplínam recepérunt, et novam induérunt formam. Roma rédiens, cum Nováriam apud Longobárdos divertísset, morbo corréptus ánimam Deo réddidit quinto Kaléndas Júnii anno salútis millésimo octávo, ætátis ve-

ro octogésimo quinto. Sepúltus est in monastério sancti Lauréntii décimo séptimo Kaléndas Júlii : ibíque quiéscit corpus ejus; quod anno sequénti humo sublátum frequénti populórum devotióne hactenus cólitur. Caput translátum fuit in monastérium ab ipso supra montem Jovis cónditum. Multis magnísque miráculis servi sui sanctitátem ante et post óbitum Deus comprobávit. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Graudis fidúcia. *de Communi Abbat. j. loco.*

DIE XVI. JUNII.
SS. Gervasii et Protasii,

Martyrum. Semidupl.

Omnia de Comm. plurim. Mart. præter seq.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Gervásius et Protásius, Vitális et Valériæ fílii, quorum pater Ravénnæ, mater Medioláni pro Christi Dómini fide martyrium subiérunt, distribúto paupéribus património, domésticos servos libertáte donárunt. Quo facto Gentílium sacerdótes immáne in illos concéptum ódium habébant. Quare cum Astásius comes in bellum profícisci vellet, hanc occasiónem perdéndi pios fratres se nactos esse putavérunt. Itaque Astásio persuádent, se a diis admónitos esse, nullo modo eum in bello victórem futúrum, nisi Gervásio et Protásio coáctis Christum negáre, eósdem ad sacra diis faciénda compélleret. Quod cum illi detestaréntur, Astásius imperávit, Gervásium támdiu cædi, dum inter vérbera exspiráret : Protásium fústibus contúsum secúri pércuti jubet. Quorum córpora Philíppus Christi servus clam sústulit, et in suis ædibus sepelívit : quæ póstea sanctus Ambrósius, Dei mónitu in

vénta in loco sacro et insígni collocánda curávit. Passi sunt Mediolàni decimotértio Kaléndas Július.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

De Epístola sancti Ambrósii Epíscopi ad Marcellínam sorórem.

Lectio v.

QUia nihil sanctitátem tuam sóleo eórum præteríre, quæ hic te gerúntur absénte, scias étiam sanctos Mártyres a nobis repértos. Nam cum ego basílicam dedicássem, multi tamquam uno ore interpelláre cœpérunt, dicéntes : sicut Románam basílicam dédices. Respóndi : fáciam si Mártyrum relíquias invénero. Statímque súbiit véluti cujúsdam ardor præságii. Quid multa? Dóminus grátiam dedit : formidántibus étiam Cléricis, jussi eruderári terram eo loci qui est ante cancéllos sanctórum Felícis atque Nabóris.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

INvéni signa conveniéntia : adhíbitis étiam quibus per nos manus imponénda foret, sic sancti Mártyres eminére cœpérunt, ut adhuc nobis siléntibus arriperétur urna, et sternerétur prona ad locum sancti sepúlcri. Invénimus miræ magnitúdinis duos viros, ut prisca ætas ferébat. Ossa ómnia íntegra; sánguinis plúrimum. Ingens concúrsus pópuli per totum illud bíduum. Quid multa? Condívimus íntegra ad órdinem : transtúlimus, véspere jam incumbénte, ad basílicam Faustæ : ibi vigíliæ tota nocte, manus imposítio. Sequénti die transtúlimus ea in basílicam, quam appéllant Ambrosiánam; dum transférimus, cæcus sanátus est.

℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Luc.* vj.

IN illo témpore : descéndens Jesus de monte stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa et Jerúsalem, et marítima, et Tyri et Sydónis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

In transl. Ss. Gervasii et Protasii.

QUum tam effúsam, tamque inaudítam considerárem convéntus vestri celebritátem, et divínæ grátiæ múnera, quæ in sanctis Martyribus refulsérunt; ímparem me, fáteor, huic múneri judicábam, nec fíeri posse ut sermóne absólverem, quod vix póssumus ánimo inténdere, óculis comprehéndere. Sed ubi sanctárum legi cœpit séries Scripturárum, largítus est Spíritus sanctus, qui locútus est in Prophétis, quo dignum áliquid tanto cœtu, et exspectatióne vestra, Martyrúmque sanctórum méritis proferámus. Aspícite ad déxteram meam, aspícite ad sinístram relíquias sacrosánctas : vidéte cœléstis conversatiónis viros; spectáte ánimi sublímis trophæa. Respéxit sane humília Deus, qui laténtes sub ignóbili céspite Relíquias sanctórum Mártyrum suæ Ecclésiæ revelávit; quorum ánima in cœlo, corpus in terra : súscitans a terra ínopem, et de stércore érigens páuperem : quos vidétis et eos cum princípibus pópuli sui collocávit Príncipes pópuli, quos álios nisi sanctos Mártyres æstimáre debémus? Quorum jam in númerum diu ante ignoráti Protásius, Gervasiúsque præferúntur; qui stérilem martyribus Ecclésiam Mediolanénsem, jam plurimórum matrem filiórum lætári passiónis próppriæ fécerint et títulis, et exémplis.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viii.

NON immérito pleríque hanc Mártyrum resurrectiónem appéllant; vídero tamen utrum sibi, nobis certe Mártyres resurréxerint. Cognovístis, immo vidístis ipsi multos a dæmóniis purgátos : plúrimos étiam ubi vestem Sanctórum mánibus contigérunt, iis quibus laborábant, debilitátibus absolútos. Reparáta vetústi témporis mirácula, quo se per advéntum Dómini Jesu grátia terris major infúderat; umbra quædam sanctórum córporum plerósque sanctos cérnitis. Quanta orária jactitántur, quanta induménta supra Relíquias sacratíssimas, et tactu ipso medicabília reposcúntur! Gaudent omnes extréma línea contíngere, et qui contígerit, salvus erit. Grátias tibi, Dómine Jesu, quod hoc témpore tales nobis sanctórum Mártyrum spíritus excitásti, quo Ecclésia tua præsídia majóra desíderat. Cognóscant omnes quales ego propugnatóres requíram, qui propugnáre possint impugnáre non sóleant. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant. Tales ego ámbio defensóres, tales mílites hábeo : hoc est non sæculi mílites, sed mílites Christi.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix.

NUllam de tálibus invídiam tímeo, quorum quo majóra eo tutióra patrocínia sunt. Horum étiam illis ipsis, qui mihi eos ínvident, opto præsídia. Véniant ergo, et vídeant stipatóres meos : tálibus me armis ambíri non nego. Eruúntur nóbiles relíquiæ e loco ignóbili : ostendúntur cœlo trophæa. Sánguine túmulus madet; appárent cruóris triumphális notæ, inviolátæ relíquiæ loco suo, et órdine repértæ, avúlsum húmeris caput. Nunc senes répetunt audísse se

aliquándo horum Mártyrum nómina, titulúmque legísse. Perdíderat cívitas suos Mártyres, quæ rápuit aliénos. Et si hoc Dei munus est; tamen grátiam, quam tempóribus sacerdótii mei Dóminus Jesus tríbuit, negáre non possum : et quia ipse Martyr esse non méreor, hos vobis Mártyres adquisívi. Succédant víctimæ triumpháles in locum, ubi Christus hóstia est. Sed ille super altáre, qui pro ómnibus passus est; isti sub altári, qui illíus redémpti sunt passióne. Hunc ego locum prædestináveram mihi : dignum est enim ut ibi requiéscat sacérdos, ubi offérre consuévit. Sed cedo sacris víctimis déxteram portiónem : locus iste Martyribus debebátur. Benefíciis suis sacra pássio comprobétur. Habet júdices, sed purgátos : habet testes, sed absolútos. Mélior vox est quam sanguis emíttit : habet enim sanguis vocem canóram, quæ de terris ad cœlum pervénit. Legístis, dicénte Deo : sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat colóris indício : sanguis clamat operatiónis præcónio ; sanguis clamat passiónis triúmpho. Te Deum.

DIE XX. JUNII.
B. M. V.
de Consolatione.

Duplex ij. classis.

IN I. VESPEBIS.

Añæ et Capit. de Laudibus; Ps. ut in Festis B. M. V.; Hymnus Ave maris stella, *etc.*

℣. Ite in domum matris vestræ. ℟. Fáciet vobíscum misericórdiam suam.

Ad Magnif. Aña. Ecce María erit spes nostra, ad quam confúgimus in auxílium, ut líberet nos, et véniat in adjutórium nobis et consolétur nos. Allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invit. Sancta María Dei Génitrix Virgo, et Consolátio nostra : * intercéde pro nobis.

Hymnus.

Gaudeat tellus radiáta tanta
Luce, quæ nobis tábulam poténtem
Vírginis pandit, plácidum supérni
Pignus amóris.

Cánticis cleri populíque cœlum
Vócibus mixtis résonet serénum;
Vallis et collis réboent Maríæ.
Dúlcibus hymnis.

Quotquot immíti prémimur labóre,
Febris, aut diræ cruciámur æstu,
Súpplices tantæ Genitrícis omnes
Stemus ad aram;

Crúribus fractis, oculísque captis,
Tabis et diræ mácie gravátis,
Omnibus vires, ánimum minístrat
Atque salútem.

Cívitas felix, mérito solúta
Díceris curis, ádeo supérno
Arma nec lædunt, neque morbus atrox
Tégmine tectam.

Cuncta quæ prostant monuménta narrant,
Jure Taurínos válidas ut arces
Semper has ædes tenuísse, amícum
Munus ab alto.

Sit decus summæ Tríadi perénne,
Quæ pium nobis tríbuit juvámen,
Nosque det vitam celebráre matrem
Omne per ævum.
Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Confortátum est cor tuum, et manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ps. ut in Festis B. M. V.

Aña. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Aña. Accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Speráte in ea, omnis congregátio pópuli.
℟. Effúndite coram illa corda vestra.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram

ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta símiliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto; et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me : mecum sunt divítiæ et glória, * Opes supérbæ et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. — Opes.

Lectio ij.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion, quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris, et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ.

℟. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei : in me omnis spes viæ et veritátis : * In me omnis spes vitæ et virtútis. ℣. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. — In me.

Lectio iij.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini : spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me,

vitam ætérnam habébunt.

℟. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam : omnes qui me odérunt díligunt mortem. — Qui. Glória. Qui.

In II. Nocturno.

Aña. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis in lætítia et exsultatióne.

Aña. Deus patrum nostrórum dedit tibi grátiam, ut gloriétur super te Jerúsalem.

Aña. Sicut lætántium ómnium habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Invoca me in die tribulatiónis ℟. Eruam te et honorificábis me.

Lectio iv.

QUO jure beatíssima Virgo María ab univérso pópulo christiáno Consolátrix afflictórum appellétur, ómnium pene géntium monuménta testántur, quæ sibi in ærúmnis levámen et solátium esse matrem pientíssimam expértæ sunt. Singulári tamen ratióne Taurinénses a sancto Máximo eórum Epíscopo edócti, illam tamquam præsentíssimam sui Consolatrícem ab antíquis tempóribus veneráti sunt, eíque sacram ædem atque imáginem sub título matris a Consolatióne dedicárunt. Id autem, uti fertur, factum est nutu ipsíus Deiparæ. Etenim ineúnte sæculo undécimo quum Harduíno Eporédiæ marchióni gráviter decumbénti beáta Virgo se vidéndam obtulísset, ipsum ad prístinam sanitátem addúxit ea lege, ut sacéllum sibi exstrúeret Augústæ Taurinórum sub título Consolatiónis. Imperáta præstitit Harduínus, et sacéllum ædificávit prope ecclésiam sancti Andréæ Apóstoli; quod tamen ob témporum vicissitúdines et bellórum calamitátes póstea collápsum et ita óbrutum jácuit, ut vix ulla illíus superésset memória. Verum, uti pia refert tradítio, vir quidam cæcus a Briantióne, Vírginis sibi apparéntis jussa perfíciens, anno millésimo centésimo quarto Taurínum

venit, et die vigésima júnii locum sacélli occúltum mirántibus cívibus osténdens, amíssum oculórum lumen recépit.

℟. Osténde mihi fáciem tuam; sonet vox tua in áuribus meis: * Vox enim tua dulcis et fácies tua decóra. ℣. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María. — Vox.

Lectio v.

HOC prodígio commóti Taurinénses in ampliórem ædem sacéllum convértunt, in qua sanctíssimam Vírginem Maríam suavíssimo Consolatiónis nómine incessánter venerántur, eo scílicet título, quo ipsa cœlórum Regína Harduíno hoc in loco se invocándam imperáverat. Ex eo témpore, sícuti benígnitas divínæ Matris in suos devótos profundebátur in dies, ita amor et obséquium augebátur erga matrem Consolatiónis. Hinc ómnium órdinum cives ac reges, ad ejus sanctuárium ceu pietátis et totíus consolatiónis fontem, súpplices accédere consuevérunt: neque írrita spe, nam vel morbis remédium, vel ægritúdini solátium, vel opem egestáti, vel in dúbiis consílium, vel in perículis tutélam, vel demum rebus prope pérditis ac desperátis salútem impetrárunt. Quod innúmera cómprobant donária et votívæ tabéllæ, quæ sacram ædem totam exórnant. Neque in sola urbe sacra hæc ædes éxstitit liberalitáte beátæ Vírginis celebérrima, sed ejus fama ita late percrébuit, ut a remótis étiam regiónibus quam plúrimos Consolátam, uti vulgo appéllant, veneratúros accíverit; inter quos mérito recenséntur sancti Epíscopi Cárolus Borromæus et Franciscus Salésius et Summi Pontífices Martínus quintus et Pius séptimus.

℟. Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos: * Et in Jerúsalem consolabímini. ℣. Vidébitis et gaudébit cor vestrum. — Et.

Lectio vj.

SED inter benefícia a sanctíssima Vírgine Taurinénsibus colláta, pátriæ monuménta testántur, ipsos incólumes servásse a diris

pestiléntiis sæculi décimi sexti; in cujus gratiárum actiónem, erécta ex tunc fuit Sodálitas virórum ac mulíerum sub título Consolátæ, quam Summi Pontífices plúrimis Indulgéntiis ac privilégiis ditárunt. Peculiári vero memória dignum, quod, quum anno millésimo septingentésimo sexto ad tres menses urbem obsedíssent mílites hispáni et galli, atque in extrémum adduxíssent discrímen, cives, hortánte præcípue beáto Sebastiáno Valfrè, opem Vírginis a Consolatióne exorárunt, atque in ipso prælúdio diéi natális ejus, hóstibus mirándum in modum profligátis, metum omnem lætítia commutavérunt. Nostra autem ætáte cum índica lues per Európam anno millésimo octingentésimo trigésimo quinto grassarétur, atque ipsam depopularétur, tamen cívitas univérsa poténti suæ Patrónæ auxílio, quod voto públice suscépto efflagitáverat, pestíferi vim morbi nullátenus sensit. Porro ut tantæ matris benígnitas eo quo par est obséquio, recolátur, et erga sanctam Vírginis de Consolatióne Imáginem, áurea coróna decréto Capítuli Vaticáni anno millésimo octingentésimo vigésimo nono jam redimítam, ac tot prodígiis illústrem, cívium píetas magis magísque férveat; Leo décimus tértius Póntifex máximus votis cleri populíque Taurinénsis ánnuens, Missam et Offícium próprium matris de Consolatióne ab utróque clero celebrándum concéssit.

℟. Benedíxit te Dóminus virtúte sua. * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. — Quia. Glória. Quia.

In III. Nocturno.

Aña. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Aña. Lux orta est justo, et rectis corde lætítia.

Aña. Recordátus est Dóminus pópuli sui, et misértus est hereditátis suæ.

℣. Lætléntur omnes qui sperant in te. ℟. In ætérnum exsultábunt et habitábis in eis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* I.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David : et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo iv. *de Assumpt. Virg. circa fin.*

SIleat misericórdiam tuam, Virgo beáta, si quis est, qui invocátam te in necessitátibus suis sibi memínerit defuísse. Nos quidem sérvuli tui céteris in virtútibus congaudémus tibi : sed in hac pótius nobis ipsis. Laudámus virginitátem, humilitátem mirámur : sed misericórdia míseris sapit dúlcius, misericórdiam ampléctimur cárius: recordámur sæpius, crébrius invocámus. Hæc est enim, quæ totíus mundi reparatiónem obtínuit, salútem ómnium impetrávit. Constat enim pro univérso génere humáno fuísse sollícitam, cui dictum est, Ne tímeas, María, invenísti grátiam, útique quam quærébas. Quis ergo misericórdiæ tuæ, o benedícta, longitúdinem et latitúdinem, sublimitátem et profúndum queat investigáre ?

℟. Si quis cognóverit plagam cordis sui, et expánderit manus suas in domo hac, tu exáudies in cœlo, et repropitiáberis, et fácies : * Ut des unicuíque secúndum omnes vias suas, sicut víderis cor ejus. ℣. Quia tu nosti cor ómnium filiórum hóminum, ut tímeant te cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terræ. — Ut des.

Lectio viij.

NAM longitúdo ejus usque in diem novíssimum invocántibus eam súbvenit univérsis. Latitúdo ejus replet orbem terrárum, ut tua quoque misericórdia plena sit omnis terra. Sic et sublímitas ejus civitátis supérnæ invénit restauratiónem, et profúndum ejus sedéntibus in ténebris et in umbra mortis obtínuit redemptiónem. Per te enim cœlum replétum, inférnus evacuátus est, instaurátæ ruínæ cœ-

léstis Jerúsalem, exspectántibus míseris vita pérdita data. Sic potentíssima et piíssima cáritas et afféctu compatiéndi et subveniéndi abúndat efféctu, æque lócuples in utróque. Ad hunc ígitur fontem sitibúnda próperet ánima nostra : ad hunc misericórdiæ cúmulum tota sollicitúdine miséria nostra recúrrat.* Sit, Virgo benedícta, pietátis tuæ, quam apud Deum grátiam invenísti, notam fácere mundo, reis véniam, medélam ægris, pusíllis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinéndo. In hac quoque die solemnitátis et lætítiæ dulcíssimum Maríæ nomen cum laude invocántibus sérvulis per te, Regína clemens, grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula.

℟. Si irrúerint super nos mala, stábimus in conspéctu tuo coram domo hac, in qua invocátum est nomen tuum. * Clamábimus ad te in tribulatiónibus, et lætos fácies. ℣. In te speravérunt patres nostri et liberásti eos. — Clamábimus. Glória. Clamábimus.

Lectio ix. De sancto Silverio Papa et Mart.

Si hoc festum transferatur, tunc ix. Lect. incipit ab asterisco.

AD LAUDES,
et per Horas.

Añæ. 1. Convértam * luctum eórum in gáudium, et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo.

2.[1] Lætámini et exsultáte* in ea omnes qui dilígitis eam : gaudéte cum ea gáudio univérsi qui lugétis.

3. In te speravérunt * patres nostri, et liberásti eos; ad te clamavérunt, et salvi facti sunt.

4. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia.

5. Domus sanctificatiónis nostræ * et glóriæ nostræ, ubi laudavérunt te patres nostri.

Capítulum. *Eccli.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor : tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium : In Jacob inhábita, et in Israel here-

ditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus. O gloriósa vírginum, *ut in Festis B. M. V.*

℣. Exsultábimus, et lætábimur in te, Virgo María. ℟. Mémores úberum tuórum super vinum.

Ad Bened. Aña. Ave spes, consolátio, refúgium nostrum, o María : Beáta tu fídei nostræ : Beáta tu ánimæ nostræ : Beáta dilectióni nostræ : Beáta præcóniis et benedictiónibus nostris. Allelúia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ineffábili providéntia per Genitrícem tuam Maríam ómnia nos habére disposuísti : concéde propítius ; ut quam suavíssimo consolatiónis título solémni veneratióne cólimus, ejúsdem auxílio et ope júgiter pérfrui valeámus. Qui vivis.

Commem. S. Silverii Papæ ut in Breviario.

Ad Primam. In ℟. br. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes.

℟. *br.* Spíritus meus * Super mel dulcis. Spíritus. Et heréditas mea super mel et favum. Super mel. Glória. Spíritus.

℣. Adimplébis me lætítia cum vultu tuo. ℟. Delectatiónes in déxtera tua.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei : in me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis.

℟. *br.* Adimplébis me lætítia * Cum vultu tuo. Adimplébis. Delectatiónes in déxtera tua. Cum vultu tuo. Glória. Adimplébis.

℣. Prævénit me in die afflictiónis meæ. ℟. Et edúxit me in latitúdinem.

AD NONAM.

Capitulum. *Prov.* viij.

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei : qui me invénerit, invéniet vitam et háuriet salútem a Dómino.

℟. *br.* Prævénit me * In die afflictiónis meæ. Prævénit. Et edúxit me in latitúdinem. In die. Glória Patri. Prævénit.

℣. Hæc me consoláta est in humilitáte mea.

℟. Elóquium tuum vivificávit me.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter

℣. Prótegam civitátem istam. ℟. Ut salvem eam propter me.

Ad Magnif. Aña. Dei Génitrix gloriósa, Virgo intemeráta, mundi regína, Angelórum dómina : tu véniæ vena, tu Mater grátiæ, Consolátrix ómnium ad te clamántium, réspice fílios in tuis hódie láudibus congregátos, allelúia.

DIE XXV. JUNII.
S. Maximi *Episc. Taur. Conf.*
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

DEus, qui ad erudiéndos pópulos, et in viam salútis promovéndos beátum Máximum Confessórem tuum atque Pontíficem singulári sapiéntia, et admirábili caritáte decorásti; concéde propítius, ut ejus mónita et exémpla secúti, ad ætérnæ vitæ præmia, ipsíus suffragántibus méritis, perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAximus, Epíscopus Taurinénsis, Honório, et Theodósio junióre regnántibus, doctrina et sanctitáte máxime flóruit. In philosóphia prius erudítus, mox ad sacrárum literárum stúdium tradúctus est, in quo tantos proféctus fecit, tamque egrégia ópera relíquit, ut inter nobilióres ecclesiasticárum rerum scriptóres ab erudítis viris summa cum laude connumerétur. In concílio Mediolanénsi sub Eusébio ejus civitátis Epíscopo constántiæ páriter et doctrínæ non vulgáre spécimen dedit. Nam et Nestórii, atque Eutychétis erróres acérrime ac sapientíssime confutávit, et synódicæ epístolæ ab eódem Eusébio ad Leónem Papam missæ subscrípsit, et anáthema viríliter iis dixit, qui pravas de Domínicæ Incarnatiónis mystério opiniónes disseminâre ausi fúe-

rant. Intérfuit quoque Románæ synodo sub Hilário Papa celebrátæ, in quo tamquam Epíscopus sénior post Pontíficem primus assédit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

AD Episcopátum evéctus ómnibus ejus status virtútibus atque ornaménti excélluit. In consíliis dandis atque ánimis quoquo vellet flecténdis insígnis fuit. Cumque ob sanctimóniam et eruditiónem concionándi étiam ex témpore admirábili facultáte polléret, incredíbile est, quot e vitiórum cœno ad salútis viam redúxerit, quot in recta vitæ, morúmque norma confirmáverit : suavitáte gravitáte, modéstia, pópuli benevoléntiam ita sibi conciliávit, ut Pastóris vócibus, ac mónitis alácriter, ac libentíssime obsecundárent. Ipse vero, factus forma gregis ex ánimo, corpus vigíliis, jejúniis, aliísque afflictatiónibus macerátus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. A feminárum consórtio máxime abhórruit. Potíssimum vero enítuit liberalitáte erga páuperes, in qua ádeo effúsus, atque assíduus erat, ut si quis ádvena sciscitarétur ubi sanctus Præsul habitáret, ut eum conveníret, eam intráre domum juberétur, quam vallátam paupéribus conspexísset.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

SED cum virtútes omnes in suis pópulis insérere, atque ómnia ab eis vítia exstirpáre conátus est, tum vero in illud peculiári cura semper incúbuit, quod rátio témporum præcípue postulábat. Itaque personatórum hóminum impudéntiam, qui gentílium more in portentósas formas se transmutábant. acérrima concióne cohíbuit. Aváros hómines ad

misericórdiam, et liberalitátem ádeo veheménter incéndit, ut suis ópibus infirmórum præsértim necessitátibus copiosíssime subveníreni. Cumque hostíles incursiónes ingrúerent, cives addúxit, ut fusis précibus Deum propitiárent, bellorúmque calamitátes non tam armis, quam justítiæ opéribus antevérterent. Agréstes ab ea impietáte detérruit, qua gentílibus superstitiónibus fructus terræ sibi implorábant. Atque ad augéndam erga Deípáram religiónem, cujus exímius cultor semper fuit, ejus virginitátem, atque maternitátem luculénter asséruit; eámque idóneum plane Christo habitáculum, non pro hábitu córporis, sed pro grátia originali prædicávit. Tandem méritis plenus obdormívit in Dómino. Ejúsdem memória a Taurinénsibus, et finítimis civitátibus summa semper veneratióne culta est, hodiéque cólitur.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE XXIX. JUNII.

Commem. Omnium SS. Apost.

IN I. VESPERIS.

Aña. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster: et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis quorum donásti fidéles esse doctrínis. Qui vivis.

AD LAUDES.

Aña. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duodécim tribus Israel.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines terræ verba eórum.

IN II. VESPERIS.

Aña. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

DIE IV. JULII.
S. Uldarici

Episc. et Conf. Duplex.
Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

DEus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus : concéde propítius, ut intercessióne beáti Uldaríci Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ULdarícus Germánus, Hupáldi cómitis de Dillíngen et Kyburg ex Tietbúrga, ducis Suevórum fília, nobilíssima progénie ortus, a paréntibus non minus religiónis sinceritáte illústribus, quam géneris splendóre claris ad monastérium sancti Galli missus, religióso cuídam viro ibi erudiéndus tráditur. Ubi non solum lítteris, sed et virtútibus ánimum a ténera ætáte excólere non déstitit; omníque stúdio timórem Dei, voluntáriam paupertátem, castitátem, humilitátem ultro ampléxus, hábitum monásticum assúmere státuit. Dei autem providéntia altióri státui reservátus, Ecclésiæ Augustánæ Epíscopus præfícitur invítus. Quare ut gregi suo vivum se præbéret exémplum pietátis, carnem lánea veste castigávit; esu cárnium (parcíssimus alióquin in suméndo cibo) pénitus abstínuit : dormívit parum, ac non super plumas, sed durióri strato utens, tota intérdum fere nocte in oratióne pérvigil.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

IN divínis láudibus Spíritu Dei ita reficiebátur, ut tam ipse, quam álii cum eo psalléntes visiónibus recrearéntur sæpius. In offeréndo étiam Sacrosánctæ Missæ offício frequentíssimus fuit. Mensam suam páuperum præséntia plerúmque decorávit. Nudos vestívit, ægris ac incarcerátis consílio

subvénit. Totus in oratióne, totus in sacra lectióne, bonis opéribus totus déditus. De vita et morte certórum hóminum, de sanctis hospítibus ad ipsum ventúris, deque multis áliis rebus crebérrimas revelatiónes hábuit. Límina sacra Apostolórum visitatúrus Romam aliquóties pétiit, alíaque loca sacra íterum atque íterum religiósa peregrinatióne honorávit. Relíquias Sanctórum summo stúdio conquisívit, et ad remotíssimas regiónes, ubi eas consequéndi spes esset, illárum desidério quandóque proféctus est, atque impetrátas máxima cóluit veneratióne.

℞. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi.

Vitam ac mores clericórum et laicórum totius diœcésis, assíduis visitatiónibus sédulo perscrutabátur. Ecclesiárum persónas, jura, patrimónia ácriter defendit, conservávitque. Bellórum motus ac infestatiónes sedávit mirífice. Maximórum príncipum ánimos discórdiis distráctos, incredíbili dexteritáte conciliávit : pacémque inter Othónem regem, et fílium ejus compósuit. Omnibus se hospitálem et benígnum exhíbuit, ac sóbrium, justum, sanctum, et continéntem juxta Apóstoli doctrínam, se præstitit pastórem. Divína quandóque peragénti mystéria adésse visa est manus, virtúte Omnipoténtis cum ipso sacris benedicens. Explétis autem in múnere Episcopáli quinquagínta annis, vir miræ sanctitátis, largitátis, abstinéntiæ et vigilántiæ diem sui óbitus magno desidério diu exspectátum cognóscens, quarto Nonas Júlii, anno salútis nongentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ octogésimo tértio, pie obdormívit in Dómino, miraculórum grátia in vita et post mortem illústris; nóbile corpus, ornaméntum consolatióne plenum, Augústæ relínquens.

℞. Iste est qui.

In iij. Noct. Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Communi j. loco.*

DIE VII. JULII.
S. Sabini

Episc. et Mart.
Patroni Princip. Civit. et Diœc. Epored.
Duplex j. classis cum Oct.
Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. Pósuit Sabínus truncos suos super óculos cæci, et ait : qui apéruit mare, et indúxit Israel per médium ejus, ipse introdúcat lumen in óculos tuos; et apérti sunt óculi ejus.

Oratio.

DAudeat plebs tua, omnípotens Deus, beáti Sabíni Mártyris tui atque Pontíficis ánnua festa concélebrans, et eos, qui tibi digne éxhibent famulátum, fac étiam ætérnæ beatitúdinis esse partícipes. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. A Miléto. *de Communi j. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SAbínus, qui post Saturníni óbitum, sæculo tértio labénte, Spoléti Epíscopus fuísse tráditur Christi fidem pópulis prædicans jussu Venustiáni præsidis, Maximiáno imperatóre, una cum Marcéllo et Exupérántio diáconis suis in cárcerem detrúditur. Eórum in Christum fides várie tentáta est. Quum Sabínus ad se allátum Jovis simulácrum confregísset, Venustiáni mandáto præcísæ sunt ei ambæ manus. Interim diáconos Marcéllum et Exuperántium in fide constántes únguibus radi, et igne ad eórum látera admóto necári mandávit; Sabínum vero Epíscopum, truncátis mánibus, in cárcerem reclúsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

AD eum véniens Seréna Matróna Spoletína détulit nepótem suum cæcum, cui Sabínus impónens super óculos ejus truncos suos lumen restítuit. Hæc áudiens Venustiánus, qui

intérea veheménti oculórum dolóre angi cœperat, vocáto ad se Sabíno, eórum quæ égerat pœnitens, et ad Christum convérsus ab illo sanátus est, et una cum uxóre, ac fíliis suis baptizátus. Quum id nuntiátum esset Maximiáno, Lúcium tribúnum misit præcípiens ut damnarétur Sabínus, et Venustiánus cápite truncarétur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

ITaque tribúni jussu Venustiánus, ejúsque uxor, et fílii cápite truncáti sunt Assísii, atque eórum córpora a christiánis recóndita; Sabínus vero Spolétum addúctus támdiu plumbátis cœsus est, donec spíritum emítteret. Cujus corpus collégit Seréna, quæ jam manus ejus ante collégerat, junctúmque mánibus sepelívit milliário plus minus secúndo ab urbe Spoléto, quo in loco ecclésia póstmodum ædificáta est, multis ut tráditur miráculis illustráta.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Communi ij. loco.*

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. Ut vidit Sabínus Venustiánum lacrymátus est, et dixit: illúminet te Christus, qui cœcum natum illuminávit:

DIE XI. JULII.

Die quinta infra Octav.

S. Sabini.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iv.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne et ipse ánimam suam pro óvibus suis pósuit? quid Paulus? quid céteri Apóstoli? quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi

mártyres? Quid étiam iste sanctus Sabínus? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur: Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni non solum qui sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt : non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. Honéstum.

Lectio v.

IAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátes et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant : ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte : quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus, tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam, jam ipsi sunt. Sed vide, quid séquitur : Caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem : ecce venítur, et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem : et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia : détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

QUale bonum est cáritas ista, fratres? quid pretiósius? quid luminósius? quid fírmius? quid utílius? quid secúrius? quómodo autem habet vel exíguam caritátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem comméndans, pastóribus bonis comméndans pastóres bonos, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Epíscopi, beatúsque Sabínus? Omnes hi pastóres boni : et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus.

℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

ET tollat crucem suam. Nam ne quis putet, ad verba usque tantúmmodo, ac contumélias et oppróbria abnegatiónem hanc sui fíeri oportére, id subjúnxit, ut vídeas abnegándos nos esse usque ad mortem, et mortem turpíssimam : quam desígnans, non dixit : Abneget seípsum, usque ad mortem, sed tollat crucem suam. Non semel, nec bis, sed contínue per totam vitam hanc tecum mortem circúmferas, et contínue ad necem paratíssimus sis.

℟. Coróna.

Lectio viij.

MUlti quidem pecúnias contempsére, multi delícias vitæ, ac glóriam conculcavérunt, mortem autem despícere non potuérunt; sed perícula et dolóres formidárunt. Ego vero ad effusiónem usque sánguinis volo certatóres meos luctári, et ad necem usque pugnam continuáre. Quare si mortem obíre opórteat, et eam turpíssimam, et æstimatióne hóminum péssimam, feréndaómnia sunt æquo, imo pótius læto ánimo. Et sequátur me, inquit.

℟. Hic est vere.

Lectio ix.

NAM posset quis sic tália pati, ut Christum non sequerétur; si nihil vidélicet propter ipsum paterétur? Quippe latrónes, sepulcrórum violatóres, dæmonum invocatóres multa plerúmque tália patiúntur. Ne ígitur credas, ipsíus passiónis natúram per se sufficere causam ejus subjécit. Quam ipsam? Ut quæ dicta sunt, univérsa fáciens atque pátiens, ipsum sequáris : ut scílicet propter ipsum ómnia sustíneas, utque omnem virtútis númerum hábeas. Id enim est Dóminum recte sequi, et ut opórtet, si propter ipsum

cuncta súfferas, et álias virtútes non négligas.
Te Deum laudámus.

DIE XIII. JULII.
S. Anacleti

Papæ Mart. Semid.

Omnia de Comm. unius Martyris præter sequentia.

Oratio. Deus qui nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anaclétus natióne Græcus, Atheniénsis, patre Antiócho, multis rebus præclare gestis celebérrimus, post intérregnum Pontifícium quátuor ménsium, et decem diérum, christiánæ religiónis summum Pontificátum adéptus, Cleménti per martyrium subláto, tértio Nonas Aprilis subrogátur; sedítque in cáthedra Petri novem annos, tres menses, et dies decem, Presbyteris quinque, tribus Diáconis, et sex Epíscopis dúplici ordinatióne creátis, sub Trajáno imperatóre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

Hic príncipi Apostolórum memóriam, seu ecclésiam, gratus, et memor tanti benefícii ab eo accépti, per sacri órdinis collatiónem, dum adhuc Presbyter esset, in Vaticáno exstrúxit, atque ornávit, Apostolórum trophæum ab antíquis Pátribus mérito appellátam, quam nullo unquam furéntis licet persecutiónis túrbine, déjici potuísse, sed, quod omnem admiratiónem súperat, majóre in dies glória auctam fuísse, compértum est : futúrum sane secutúris tempóribus, majóris et amplióris molis nóbile rudiméntum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

RES ab eo gestæ quas miríficas fuísse multis arguméntis conjícere licet, commúni scriptórum antiquórum naufrágio obscúræ atque óbrutæ mansérunt. Multa ad religiónem, et disciplínam spectántia prudénter státuit, ac præ céteris, ut Epíscopus a paucióribus quam tribus Epíscopis mínime consecrarétur : ut clérici sacris ordínibus públice a próprio Epíscopo initiaréntur : et ut in Missa, peracta consecratióne omnes communicárent. Obiit tandem martyrio coronátus, tértio Idus Július, et juxta corpus beáti Petri sepúltus est.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XIV. JULII.
Octava
S. Sabini
Episc. et Mart.

Omnia ut in Festo præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Ignatio tom. v.

Lectio iv.

TEmpus animadvértite, fratres, quo dignitátem Episcopálem beátus Sabínus est assecútus. Neque enim est éadem nunc, quæ tunc erat, Ecclésiam gubernándi condítio : non æquális est labor viam tritam et plane parátam post multos íngredi viatóres; atque eam, quæ nunc primo secánda est, quæque prærúpta et saxósa, ferísque plena, nec ullum adhuc viatórem admísit. Tunc autem, quocúmque quis óculos vérteret, ubíque præcipítia, bárathra, et bella, et pugnæ, et perícula : imperatóres, et reges, et pópuli, et civitátes, et Gentes, et doméstici, et aliéni credéntibus insídias tendébant.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam :

et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

QUemádmodum ígitur gubernatórem admirámur, non quod vectóres possit in portum incólumes dúcere, cum mare tranquíllum est, cumque navis fertur ventis secúndis : sed cum insaniénte pélago, ventísque sæviéntibus, qui in navi sunt, inter se disséntiunt, magna tempestáte intus et foris navigántes exagitánte, navim tamen potest dirígere et conserváre. Sic eos, qui tunc Ecclésiam regébant, multo magis, quam illos, qui eam in præséntia gubérnant, suspícere debémus, et admirári, quando multa bella intus et foris: quando fídei planta imbecíllior erat adhuc, et diligéntia magis indigébat : quando véluti modo génitus infans Ecclésiæ pópulus magnam providéntiam, atque sapiéntiam ánimæ, a qua nutriéndus est, postulábat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. -- Et.

Lectio vj.

VErum ne totum tempus in Episcopátus consideratióne collocántes ab iis, quæ ad eum, ut Mártyrem spectant, enarrándis excludámur; age ad illíus certámina contendámus. Versútus enim diábolus, et ad struéndas aptus insídias, existimábat, si pastóres sustulísset, ovília se fácile direptúrum. Sed qui comprehéndit astútos in eórum astútia, osténdens ecclésias suas non ab homínibus gubernári, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi; id fíeri permittébat, ut cum cérneret, rectóribus sublátis, non tamen religiónem deléri, nec veritátis prædicatiónem exstíngui, sed pótius augéri : ex rebus ipsis et ipse, et qui ei inserviébant, omnes intellígerent, christianórum disciplínam, non ab homínibus pendére, sed in cœlis radíces ágere, Deúmque esse, qui ubíque ecclésias tuerétur.

℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : si quis vult post me veníre ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Sermo 47. de diversis.

DUrum vidétur, et grave, quod Dóminus imperávit, ut si quis eum vult sequi, ábneget seípsum : sed non est durum, nec grave, quod ille ímperat, qui adjúvat ut fiat quod ímperat. Nam et illud verum est quod ei dícitur in Psalmo : propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Quidquid enim durum est in præcéptis, ut sit leve cáritas facit. Nóvimus quanta ipse amor facit. Quid autem est, neget se? Non præsumat de se, séntiat se hóminem, et respíciat dictum Prophéticum : maledíctus omnis, qui spem suam ponit in hómine : subdúcat se sibi, sed non deórsum versus : subdúcat se sibi, ut hæreat Deo.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

TOllat crucem suam, et sequátur me. Quo sequéndus est Dóminus? quo iit, nóvimus; resurréxit enim, et ascéndit in cœlum : illo sequéndus est. Plane desperándum non est, quia ipse promísit, non quia homo áliquid potest. Jam quare desperémus, si membra illíus cápitis sumus? Bonum est illo eum sequi, sed vidéndum est, qua : étenim verba ista Dóminus Jesus non tunc dicébat, quando a mórtuis jam resurréxerat : nondum erat passus, ventúrus erat ad crucem, ventúrus ad exhonoratiónem, ad contumélias, ad flagélla, ad spinas, ad vúlnera, ad insultatiónes, oppróbria, mortem. Quasi exasperáta est via : pigrum te

facis, non vis sequi : séquere. Nam quis non velit ire ad exaltatiónem? omnes deléctat celsitúdo, sed humílitas gradus est.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória. Qui.

Lectio ix.

Quid est, tollat crucem suam? Ferat quidquid moléstum est : sic me sequátur. Cum enim cœperit me móribus et præcéptis meis sequi, multos habébit contradictóres, multos habébit prohibitóres, multos habébit dissuasóres, et hos de ipsis quasi comítibus Christi. Cum Christo ambulábant qui cæcos clamáre prohibébant. Sive ergo minas, sive blandiménta, sive quáslibet prohibitiónes, si sequi vis, in crucem verte : tólera, porta, noli succúmbere. Vidéntur his verbis Dómini exhortáta martyria. Si persecútio est, nonne pro Christo debent cuncta contémni? Amátur mundus, sed præponátur a quo factus est mundus. Te Deum laudámus.

DIE XVII. JULII.
S. Leonis IV.

Papæ Conf. Semidupl.
Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.
Oratio. Da quæsumus.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LEO hujus nóminis quartus, Románus, Rodúlphi fílius, mónachus sancti Benedícti primum, Cardinális deínde, ac demum post óbitum Sérgii secúndi eádem die, invítus licet, in Lateranénse Patriárchium dedúctus, ad Sanctam Sedem ómnium votis promótus est. Vir fuit religióne, innocéntia, pietáte, humanitáte, liberalitáte, prudéntia, et doctrína, præsértim Ecclesiástica, insígnis. Sedit annos octo, sex menses, et tótidem dies, Lothário et Ludovíco junióre imperatóribus Augústis.

℟. Invéni David servum

meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

PAucis ante illíus assumptiónem ménsibus, cum basílicæ sanctórum Apostolórum Petri et Pauli a Saracénis diréptæ fuíssent, ad álteram Urbis direptiónem jam accínctos suis précibus fregit, et eórum classem dissipávit. Muris Vaticánum cinxit, et in civitátem Leonínam commutávit, quam beáto Petro custodiéndam trádidit. Tyberínam oram túrribus munívit, diréptas basílicas restaurávit, et ornátum domus Dei, præsértim in Lateranénsi Patriárchio, sublátum restítuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

MIráculis sanctíssimam vitam illustrávit; nam et basilíscum, cujus anhélitu jam multi exstíncti fúerant, suis précibus præsens occídit; et máximum incéndium, quod basílicæ Vaticánæ imminébat, signo crucis exstínxit. Qua sanctitáte permótus Rex Angliæ Astúlphus regnum suum Románæ Ecclésiæ tributárium fecit, et censum ánnuum constítuit. Vir sane de Urbe, totáque República christiána óptime méritus, óbiit décimo sexto Kaléndas Augústi, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo quinto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XXIV. JULII.
B. Ludovicæ a Sabaudia *Viduæ.*
Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui in beáta Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti, concéde, ut in via, qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et

cum ipsa ad te perveníre mereámur. Per Dñum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ludovíca beáti Amedéi Sabáudiæ ducis fília a téneris annis in omnem pietátem institúta ac propénsa, futúræ sanctitátis indícia præbuit. In ea jam tum eluxére mira vitæ innocéntia, flagrans oratiónis stúdium, pudor singuláris, rerúmque humanárum despéctus. Virginitátem Deo vovére dum cogitáret, pátruo óbsequens, cujus fúerat post paréntum mortem commíssa tutélæ, viro Príncipi a Cabillóne nupsit. Virtútes in quibus Virgo ápprime se exercúerat, in ipso conjúgio impensíssime excóluit. Mundi vanitáte, et aulæ illécebris abhorrébat; vitæ sanctitáte, mónitis et oratióne subditórum mores brevi ad meliórem formam redúxit, ac virum suum, quem in Deo summópere diligébat, ad evangélicam perfectiónem sectándam mirífice inflammávit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Vigésimo séptimo ætátis anno viro orbáta se totam Deo mancipávit. Religiósum sacrárum Vírginum institútum, ut primum licéret, ampléctì eníxe desíderans, addúci nunquam pótuit, ut álteras núptias iníret. Módica família, ténui victu ac vestítu conténta, sub quo rudem Franciscálium túnicam gestábat, cœléstium rerum contemplatióni, pœniténtiæ ac pietátis opéribus sédulo vacans in perfectiónis christiánæ stúdio quotídie profécit. Ardentióri ínterim caritáte fervéscens profúsa liberalitáte ingéntes opes in páuperum, sanctimoniálium, clericórum alimóniam erogábat, ægros, teterrimísque morbis inféctos invisébat, solabátur, iísque étiam ministrábat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus,

Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

TEmporálibus tandem expedíta negótiis divínæ voluntáti parens suísque frustra obsisténtibus, sancti propósiti tenax ad Franciscálium famíliam vírginum in Orbæ cœnóbium læta convolávit. Disciplínæ reguláris observántia, humilitáte, obediéntia, et omnímoda sui abnegatióne brevi céteris præstitit. Victum quæritáre, ab áliis reprehéndi, in seípsam sævíre in delíciis hábuit. Ferventíssimo in Christum passum, et Vírginem Matrem rapiebátur afféctu, ac divínis intérdum charismátibus affluébat. Gravi dénique corrépta morbo quadragésimo secúndo ætátis anno, Ecclésiæ sacraméntis rite piéque suscéptis, die quam prædíxerat, vigésima quarta Július anno millésimo quingentésimo tértio ad cœléstem sponsum felíciter migrávit. Sanctitátem ejus plúrimis Deus prodígiis post mortem illustrávit, hinc honorífico sepúlcro condi, ac Noserétum transférri, alíísque ecclesiástici cultus obséquiis decorári méruit. Quem rite probátum Gregórius décimus sextus Póntifex máximus anno millésimo octingentésimo trigésimo nono ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto confirmávit, officiúmque próprium in illíus honórem ab utróque clero tam sæculári quam reguléri in univérsa Sardíniæ regis ditióne recitándum benígne concéssit.

℟. Fallax grátia.

In iij. Nocturno, Homilia. Cœlórum regnum. *de Communi.*

DIE XXVII. JULII.
S. Alexii

Conf. Semiduplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xvij. hujus mensis.

DIE XXX. JULII.
B. Bonifacii

Episc. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui in Ecclésia tua per beátum Bonifácium Confessórem atque Pon

tíficem mirábilis caritátis, ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es, cujus méritis concéde, ut ad animárum salútem júgiter inténti, veram felicitátem cónsequi. Per Dóminum.

Lectio iv.

BOnifácius ex Thoma beáti Humbérti fílio natus inítio sæculi décimi tértii a primis annis avi sui vestígiis inhærens virtútis amóre succénsus futúræ sanctitátis indícia prætulit. Nobilitátis splendóre mundíque blandiméntis nullímode deténtus in majóris Chartúsiæ erémum sese ábdidit, ibíque altíssimum pósuit evangélicæ perfectiónis, et singuláris doctrínæ fundaméntum. Tyrocínii cursu nondum exácto, Nantuacénsi cœnóbio invítus præfícitur, sed ut primum ei lícuit solitúdinem repétiit, quam tamen cito desérere cógitur ob demandátam ipsíus curæ ecclesiárum Bellicénsis, et Valentiniénsis administratiónem.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

IN metropolitána deínde Cantuariénsi sede, mira ómnium gratulatióne quamvis ipse relúctans sancto Edmúndo suffféctus, solémniter ab Innocéntio quarto Pontífice máximo in œcuménico Lugdunénsi Concílio consecrátur Summa ejus virtus ac sciéntia in domínico grege pascéndo enítuit. Ecclesiásticæ libertátis assértor, caritáte in páuperes effúsus, in convelléndis erróribus, erigéndis lapsis, et præcavéndis crimínibus solertíssimus : synodos frequénter hábuit, sanctissimásque leges sancívit, ut Ecclésiæ decóri et bono providéret, ac plebis suæ mores emendáret. Virginitátem et humilitátem studiosíssime custodívit, divíni nóminis glóriam suarúmque óvium salútem sédulo inténdit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxi-

liábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

ECclésiæ sanctíssime præfuit vigínti quinque annis factus forma gregis ex ánimo, tandem cálculi morbo corréptus apud óppidum Sanctæ Hélenæ in Sabáudia anno millésimo ducentésimo septuagésimo in pace Christi requiévit, et in Altæcúmbæ ædem translátus prope aram príncipem honorificentíssimo monuménto depósitus fuit. Mira córporis incorruptióne tértio ab illíus morte sæculo, plurimísque prodígiis servum suum Deus glorificávit : quorum fama ingens fidélium cópia ad ejus sepúlcrum quotídie confluébat : ac sanctus passim nuncupári méruit. Cum hisce, aliísque públici honóris arguméntis a quinque et ámplius sæculis beátus Bonifácius venerarétur, Gregórius décimus sextus Póntifex máximus ómnibus rite probátis anno millésimo octingentésimo trigésimo octávo hunc immemorábilem cultum confirmávit, officiúmque próprium in illíus honórem a clero tum sæculári, tum reguléri in totius Sardíniæ regno recitándum benígne concéssit. ℟. Iste.

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE II AUGUSTI.
S. Eusebii
Episcopi et Martyris.
Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ, Capit., Hymnus et ℣. *de Laud. Psalmi de Dom. et loco ultimi Ps.* Laudáte Dóminum.

Ad Magnif. Aña. Hódie beáti Eusébii natálem diem celebrámus, qui, ob fidem ab Ariánis multa passus, tandem martyrio coronátus, in cœlis glória frúitur sempitérna.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum : et beáti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Regum Dóminum veníte adorémus :* Quia ipse est coróna sanctórum Mártyrum.

Hymnus.

HOstium quæ vis pótuit, dolúsve
Te tui ingréssu prohibére templi,
Cui prius clausi patuére postes
Sponte revúlsi?

Tum lupus ficta símulans fidélem
Veste Pastórem, laniábat agnos
Insubres; hunc tu regióne pellis
Fórtiter omni.

Tu piis herbas mánibus nocéntes
E satis summo stúdio, revéllis:
Tum redit per te nitor atque cultus
Prístinus agris.

Multa tu passus, tua terga virgis
Tortor immánis violávit, alte
Tu datus præceps, maduítque sacro
Sánguine terra.

Pélleris cara pátria, sed exsul
Lítteris firmas dúbios, et Arii
Impii toto sceleráta nisu
Dicta reféllis.

Impotens in te lápides tyránnus
Cónjici demum jubet: ah furéntes,
Ah manus sævæ nímium, sacrátis
Párcite membris!

Nos diem pugnæ cólimus cruéntæ,
Tu triumpháto celebráris hoste,
Víncere oh tecum simul, et reférre
Præmia detur!

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Ariánis impietátibus oblúctans iste Sanctus, Ecclésias Dei, hæreticórum procéllis agitátas, seréna fídei tranquillitáte pacávit.

Psalmi trium Nocturn. de Comm. unius Martyris.

Aña. Sanctos Patres secútus beátus Eusébius exívit de terra sua, et de cognatióne sua, et doméstico ótio peregrinatiónem prætulit.

Aña. Dignus qui spectarétur ab Angelis cum luctarétur, ut ad Christi bravíum certándo pervéniret.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. *Cap.* ij.

Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis, ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans. Sed Verbum Dei non est alligátum : ídeo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes, quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines et seductóres profícient in pejus errántes, et in errórem mitténtes.

℟. Beátus Eusébius, Christi Dómini fide instrúctus, quod corde crédidit, verbis dócuit, et ópere complévit : * Diúque, sicut fidélis et prudens dispensátor, Dómino servívit. ℣. Vir iste beátus, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúniæ thesáuris. — Diúque sicut.

Lectio ij. *Cap.* iij.

Tu vero pérmane in iis, quæ didicísti, et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris, et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia, ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus honum instrúctus. Testíficor coram Deo et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos : per advéntum ipsíus, et regnum ejus; prædica verbum, insta opportúne, importúne, árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína.

℟. Orta Arianórum perfídia, beátus Eusébius

pontificáli stola a Júlio Románo Pontífice ornátus, * Cœléstis Spíritus auctoritáte inimícos Christi confúdit. ℣. Hic est vir, qui a Deo non derelíctus in die certáminis sui. — Cœléstis.

Lectio iij. *Cap.* iv.

Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur : tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple, sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

℟. Scalárum proclívi tractu, dum supínis pédibus ad imum usque Eusébius pertráhitur : * Patris et Fílii, qui non unus, sed unum sunt, indissociábilem Unitátem conféssus, infatigátæ patiéntiæ fortitúdine triumphávit. ℣. Iterum ad summum beátus vir raptátus. — Patris. Glória. Patris.

In II. Nocturno.

Aña. Gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla in statióne compósuit.

Aña. Regem glóriæ constánter conféssus, sibi portæ æternális ingréssum apéruit.

Aña. In patiéntia voluntátem Dei fáciens, reportávit repromissiónem, et dignus hábitus est in regno Dei, pro quo et passus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

Eusébius Epíscopus Vercellénsis, in Sardínia nóbili génere natus, Romam proféctus, ab Eusébio Pontífice, a quo nomen item accépit, baptizátus est. Is, ut ætáte provehebátur, ita ad liberálium ártium cognitiónem, et ad sacrárum litterárum sciéntiam progrédiens, álios in christiánæ fídei doctrína instruébat. Mórtuo autem

Eusébio Pontífice, ad Melchíadem, qui in illíus locum succéssit, se cóntulit, a quo Lector primum, post áliis quoque sacris Ordínibus ex ritu Ecclésiæ suscéptis, Présbyter factus, tum sanctitáte aliísquevirtútibus, tum virginitátis in primis laude Romæ flóruit. Qua in urbe, Silvéstro étiam, ac deínceps Marco Pontifícibus, diu commorátus, demum a Júlio, qui post Marci óbitum Pontificátum inívit, Vercéllas, quo témpore, hæresis Ariánæ fácibus Constántio imperatóre accénsis, Itália pene omnis deflagrábat, missus, cum Epíscopus ab ómnibus deposcerétur, summa consensióne divinóque judício eléctus est. Ecclésiæ ígitur Vercellénsis gubernatiónem curámque ubi is, Ariánis étiam máxime repugnántibus, suscépit, cœlésti virtúte incitátus, forti constantíque ánimo gessit quæcúmque cathólicæ fídei profutúra cérneret ad excitátam hæresim restinguéndam : neque id Vercéllis solum, verum étiam in finítimis úrbibus áliis sancta piáque sollicitúdine egit.

℟. Christo in carne passo, eádem cogitatióne hic Dei miles armátus, pro fide certávit usque ad mortem : * Credens in testimónium, quod testificátus est Deus de fílio suo. ℣. Zelo fídei accénsus, a Constántii imperatóris minis, et a verbis impiórum non tímuit. — Credens.

Lectio v.

Idem in Gálliam Libérii Papæ jussu secóntulit, egítque cum Constántio Augústo, ut cathólicæ fídei constituéndæ causa Concílium œcuménicum haberétur, quod Medioláni colléctum est. Illo et ipse a Sedis Apostólicæ Legátis, fidem atque opem ejus implorántibus, perdúctus est, licet imperatóris prius neque précibus, neque minis addúci potuísset. Præsénserat enim agéndum esse ibi de Athanásio damnándo, quo subláto, facílius Ecclésia cathólica subverterétur. Mediolánum ígitur etsi multa se passúrum esse intellígeret, veræ fídei zelo accénsus, proféctus cum esset, in Athanásium subscríbere recusávit : quin imo de

Arianórum mánibus sancti Dionysii Mártyris, qui Constántii verbis decéptus subscrípserat simplicitátem captivátam mirífica sapiéntia liberávit. Quamóbrem illi gráviter indignántes Eusébium exsílio per eúmdem Constántium Príncipem mulctárunt. Sed sanctus vir, excússo púlvere, nullis Cæsaris minis perterrefáctus, exsílium, quasi sui ministérii offícium accépit, caveáque férrea conclúsus, Scytópolim missus, vérbera, famem, sitim, divérsaque supplícia perpéssus, vitam, quam diléxit, invénit, et de morte, quam non tímuit, ut mox dicétur, triumphávit.

℟. Hic fídei cathólicæ magíster, persecutiónum torménta fórtiter sústinens, mundum vicit : * Quia crédidit, quod Jesus est Fílius Dei. ℣. Príncipes persecúti sunt eum gratis, et a verbis Dómini trepidávit cor illíus, ideóque vitam est consecútus ætérnam. — Quia.

Lectio vj.

NEC Scytópolim solum, sed in Cappadóciam, postremóque ad superióres Ægypti Thebes relegátus est. Quibus in locis neque id prætermísit, ut rudes in fide cathólica instrúeret, ac labántes confirmáret. Scripsit prætérea ad Vercellénsem Clerum et pópulum, ad aliósque in fide cathólica constántes, epístolas plenas pietátis, ac religiónis, eloquentiæque laude, divinárum literárum sciéntia præcél lens, græcos Orígenis et Eusébii Cæsariénsis in Psalmórum librum Commentários, sublátis illórum erróribus, latíne vertit. Mórtuo autem Constántio, cum omnes Epíscopi, qui ab illórum sédibus fúerant expúlsi, novi Príncipis benefício, ad Ecclésias suas redírent; tunc triumphatórem suum Athanásium Ægyptus excépit. Hilárium de prœlio reverténtem Galliárum Ecclésia compléxa est, et in réditu Eusébii lúgubres vestes Itália mutávit. Sed ántequam ad Occidéntem reverterétur, ad Concílium Alexandrínum, religiónis cathólicæ reintegrándæ causa, se cóntulit, et totíus Oriéntis Ecclésias a fide collápsas restítuit. In sancta ítidem Ecclésia

Vercellénsi eósdem mónachos instítuit, quos Cléricos habéret, primúsque in Occidénte monachórum propósitum cum Clericórum institútis conjúnxit, quo sánctius ex castimónia, rerúmque contémptu, étiam accurátio pia ex sacerdotálibus offíciis in eórum Clero susciperétur. Demum Ariánis íterum insurgéntibus, Eusébius rursus exagitátur; primúmque váriis cruciátibus afféctus, tum demum lapídibus óbrutus, multárum rerum admirabíliter gestárum glória insígnis, ad martyrii palmam migrávit in cœlum, octogínta círciter annos natus, Valénte et Valentiniáno imperatóribus.

℟. Bonum certámen certávit, cursum consummávit, fidem servávit beátus Martyr Eusébius : * Cui donátum est pro Christo non solum ut créderet in eum, verum étiam ut paterétur pro eo. ℣. Coróna áurea super caput ejus. — Cui. Glória Patri. Cui.

In III. Nocturno.

Aña. Vir sápiens plebem suam erudívit et in ómnibus se ipsum præbuit exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte et gravitáte.

Aña. Accédens ad servitútem Dei, stetit in justítia et timóre, et præparávit ánimam suam ad tentatiónes.

Aña. Sectátus justítiam, veritátem, fidem et patiéntiam, nullis nec minis, nec verbéribus pótuit avérti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum Pastor bonus : bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi Epíscopi. *Serm.* x.

QUóniam boni Pastóris Evangélium intulit mentiónem, de ipso qui solus bonus, solus Pastor, solus pastórum Pastor est, tota sermónis nostri et tractátus repleátur, et habeátur inténtio. Pastor, inquit, bonus áni-

mam suam ponit pro óvibus suis. Fortem facit vis amóris, quia nil durum, nil amárum, nil grave, nil lethále cómputat amor verus. Quod ferrum? quæ vúlnera? quæ pœna? quæ mortes amórem prævalent superáre perféctum ? Amor impenetrábilis est loríca, réspuit jácula, gládios éxcutit, perículis insúltat, mortem ridet. Si amor est, vincit ómnia. Sed quærámus, utrum sit cómmoda mors ista pastóris, quæ destítuit oves, quæ lupis tradit inérme pecus, quæ sic carum gregem ferínis mórsibus derelínquit, direptióni dat, et expónit morti, sicut ipsíus Pastóris Christi probátur ex morte.

℟. Vígilans fídei cultor, et custos animárum beátus Eusébius rudes in fide cathólica instrúxit, labántes confirmávit, errórum ténebris obcœcátos ad fídei lumen revocávit : * Firmíssimæ petræ soliditátem secútus. ℣. Ampléctens eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem, potens fuit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradicébant, redargúere. — Firmíssimæ.

Lectio viij.

Ex quo namque pósuit ipse ánimam suam pro óvibus suis, seque judáico furóre permísit occídi, oves ejus Gentílium, velut prædónum, diripiúntur incúrsu, mactándæ in carcéribus, vel latrónum claudúntur antris; a persecutóribus, quasi a sæviéntibus lupis, sine cessatióne laniántur: ab hæréticis, quasi ab extráneis cánibus rábido dente carpúntur. Hoc Apostolórum perémptus probat chorus, hoc Mártyrum toto orbe fusus clamat sanguis, hoc Christianórum membra data béstiis, consúmpta ígnibus, demérsa flumínibus, paténter demónstrant. Quod útique totum, sicut mors íntulit, ita vita pótuit prohibére Pastóris. Ideo pro te probat, quia cum vídeat óvibus imminére discrímen, cum gregem defensáre non possit, mavult mori, ántequam mali de suis óvibus quid vídeat.

℟. Vir iste, ut fortis athléta, cum Ariánis pugnans, neque ego, inquit, me vestris sceléribus pól-

luo, neque filium meum Dionysium vobiscum participáre permitto : * Ideo cum vícerit, fecit illum Deus colúmnam in templo suo. ℣. Cujus fídei probátio pretiósior auro quod igne probátur, invénta est in laudem et glóriam, in revelatióne Jesu Christi. — Ideo. Glória Patri. Ideo.

In Quatuor. Temp. Lectio ix de Homilia Feriæ.

Lectio ix.

SED quid fácimus, quia vita mori non póterat, nisi voluísset? Datóri enim ánimæ ánimam quis tóllere potuísset noléntí? Dicénte ipso : Potestátem hábeo ponéndi ánimam meam, et potestátem hábeo íterum suméndi eam: nemo tollit eam a me. Ergo mori vóluit, qui se, cum mori non posset, permísit occídi. Quærámus ergo hujus quæ vis, quæ rátio sit amóris, quæ hujus causa mortis, quæ hujus sit utílitas passiónis. Est plane vis certa, vera rátio, causa lucens, utílitas tanti sánguinis perapérta. Namque Pastóris una ex morte virtus emícuit singuláris : Pastor pro óvibus morti, quæ óvibus imminébat, occúrrit, ut auctórem mortis diábolum novo órdine captus cáperet, victus vínceret, puníret occísus, et óvibus moriéndo viam vincéndæ mortis aperíret.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Beátus Eusébius * ad Dei religiónem erudítus, álios instruébat in fide.

Psalmi de Dominica.

2. Vercellárum Epíscopus * creátus vir Dei Eusébius, cœlésti doctrína impietátem représsit Arianórum.

3. Arianórum sceléribus * neque se pólluit, neque cum illis fílios suos participáre permísit.

4. Plenitúdine evangélicæ lectiónis edóctus, in Patre, Filióque ejus inscrutábile únicæ Majestátis asséruit Sacraméntum.

5. Fídei illum * conféssio et honorábilem terris et cœlo réddidit gloriósum.

Capitulum. *2. Tim.* ij.

VErbum Dei non est alligátum : ídeo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur

quæ est in Christo Jesu cum glória cœlésti.

Hymnus.

JAM sol recúrrit áureus,
Lucémque nobis ádvehit,
Qua gloriósi Mártyris
Laudes canámus ánnuas.
Natális advénit dies,
Quo christiáni nóminis
Miles sacrátum sánguinem
Forti profúdit péctore.
Hunc gente natum nóbili
Sardóa misit pátria,
Lætis beáta frúgibus,
Tanto vero beátior.
Románus illum Póntifex,
Ductus supérno númine,
Baptísmatis signáculo,
Suóque donat nómine.
Hic jussus almæ Ecclésiæ
Præésse Vercelléensium,
Quæ sponte non suscéperat,
Solers obívit múnera.
Jam dira pestis Arii
Totum per orbem irrépserat,
Sed hic tuétur ácriter
Æqualitátem Fílii.
Suo rogátus hæresim
Probáre testimónio,
Non ábnuit prudens, pio
Sed lusit ímpios dolo.
Ut véritas splendésceret
Tetros subívit cárceres,
Athléta Christi dæmonum
Torménta non abhórruit.
Deo perénnes grátias
Agámus omnes súpplices,
Qui Mártyrum victóriis
Ætérna donat præmia
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Eusébi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Aña. Triumphatórem suum Athanásium Ægyptus excépit, Hilárium de prœlio reverténtem Galliárum Ecclésia compléxa est, et in réditu Eusébii lúgubres vestes Itália mutávit.

Oratio.

SAncti Eusébii Mártyris tui, atque Pontíficis ánnua festa recoléntes, quæsumus Dómine : ut quæ tuórum nobis sunt instruménta præséntium, fiant æternórum patrocínia gaudiórum. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Verbum Dei. *ut supra.*

℟. *br.* Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuá-

rum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Capitulum. *2. Tim.* iij.

Omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur; mali autem hómines, et seductóres profícient in pejus.

℟. *br.* Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. — Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. *2. Tim.* iv.

Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

℟. *br.* Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória. Magna.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis. Ult. Psalm. Crédidi.

DIE VII. AUGUSTI.
S. Donati

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

Oratio.

Deus, tuórum glória Sacerdótum, præsta quæsumus, ut sancti Mártyris tui, et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* v.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis, qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte, et proptérea debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetipso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honó-

rem, sed qui vocátur a Deo tamquam Aaron : sic et Christus non semetípsum clarificávit ut Póntifex fíeret; sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit :* Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. — Fundátus.

Lectio ii. *Cap.* vij.

ET álii quidem plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére; hic autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet Sacerdótium, unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum semper vivens ad interpellándum pro nobis; talis enim decébat ut nobis esset Póntifex sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus, qui non habet necessitátem quotídie quemádmodum sacerdótes prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli : hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo; lex enim hómines constítuit sacerdótes, infirmitátem habéntes; sermo autem jurisjurándi qui post legem est, fílium in ætérnum perféctum.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iii. *Cap.* xiij.

PER ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, idest fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci; tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis; ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant et non geméntes, hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis, confídimus enim quia bonam consciéntiam

habémus in ómnibus bene voléntes conversári. Amplius autem déprecor vos hoc fácere, quo celérius restítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis pastórem magnum óvium in sánguine testaménti ætérni Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Donátus, paréntibus ob Christi fidem sæviénte Diocletiáni persecutióne interféctis, Roma una cum Hilariáno mónaco Arétium in Etrúriam se prorípuit; ubi mirum est, quam illústria abstinéntiæ, ac vere religiónis exémpla cunctis præbúerit, quantúsque christiánæ pietátis, et disciplínæ magíster brevi eváserit. Permóti ejus fama sanctitátis ut eum víserent et veneraréntur, jam pópuli úndique Arétium confluébant. Inter hos Siránna nóbilis fémina diu óculis capta, Donáti précibus lumen recépit, et Astérius Aproniáni præfécti fílius a dæmone obséssus, et miris cruciátus modis, solo salutíferæ crucis signo ab eódem liberátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

Præerat tum Satyrus Ecclésiæ Aretínæ, cui regéndæ cum sócium sibi ascribéndum arbitrarétur, Donátum elégit, cujus præcláras virtútes jam cuncti admirabántur. Quo in múnere Donátus Satyri spem, ac desidérium, reliquórum ómnium exspectatiónem vigilántia, prudéntia, et morum probitáte longe superávit. Mirum dictu tum áccidit: Eustásius fisci exáctor apud Eufrosínam uxórem fisci pecúniam Arétio discédens relíquerat: rédiens, súbita morte sublátam uxórem cum deprehendísset, nullibíque depósitæ

pecúniæ indícium, aut arguméntum ullum exstáret, in summum cápitis ac fortunárum discrímen a fisci procuratóribus adducebátur. Donátus Eustásii misértus est : quare post preces ad Deum fusas, divíno instínctu pércitus, et cœléstis opis nixus fidúcia ad sepúlcrum Eufrosínæ accédit, defúnctam intérrogat, ubinam pecúnia? respóndet illa sub ipso primo límine domus. Quamóbrem repérta pecúnia, gravi atque imminénti perículo Eustásium líberat, ómnibus Donátum divinórum óperum effectórem summa cum admiratióne prædicántibus.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis ; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi.

QUO étiam factum est, ut in defúnctis Satyri locum ab univérso Clero, populóque Aretíno invítus deligerétur Epíscopus atque a Júlio primo Pontífice máximo confirmarétur. Auxit tum Donátus incredíbile illud stúdium, et ardórem amóris in univérsum gregem, cujus salúti dies noctésque ita invigilábat, ut ne tantísper quidem sibi quiescéndum arbitrarétur. Memorátu illud in primis dignum vidétur, quod cum Donátus Missárum solémnia perágeret, calicémque vítreum Antimus Diáconus pro suo múnere gestáret, infidélium hóminum turba írruens cálicem ipsum per summam vim e manu Diáconi extórtum in terram dejécit; quo in minutíssima fragménta disjécto, subsístere in Missæ sacrifício Donátus cogebátur, nisi divína affulsísset grátia, per quam solo crucis ductu fragménta in priórem cálicis formam coagmentávit. Hæc et ália hujus géneris quamplúra cum períque ferret Quadratiánus Juliáni præféctus, Donátum, et fídei consórtem, laborúmque sócium Hilariánum ádvocat, idóla venerári jubet, illi constántes negant se tantum scelus unquam admissúros. Quare in óculis Quadratiáni Hila-

mentíri, aut jactáre quæ non fecérunt; sed quia caritátem non habuérunt, respondébit ómnibus illis, non novi vos.

Te Deum laudámus.

DIE VIII. AUGUSTI.
S. Veremundi
Episc. Epor. Conf.
Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

Concéde nobis, quæsumus, miséricors Deus, beáti Veremúndi Confessóris tui atque Pontíficis virtútem et exémpla sectári, ut ipsíus suffúlti præsídio, nullis perturbatiónibus concutiámur, et in servítio tuo constántes prœmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Veremúndus ex nóbili Arboreórum família in Vercellárum província natus, ab ineúnte ætáte religiónem, ac pietátem sédulo excóluit. Adoléscens bonárum ártium, et scientiárum ómnium stúdio ita incúbuit, ut advocáti, et camerárii munus in aula imperiáli Papiénsi ferátur adéptus. Sed cum virtútibus excélleret, et gravitáte morum, ac vitæ candóre elúceret Eporediénsi Ecclésiæ præpósitus est. Hinc factus forma gregis ex ánimo óptimi pastóris partes undequáque explévit; Cánones édidit, quibus fídei et morum integritáti consúleret; Cléricis instituéndis adlaborávit eníxe, divini cultus decórem dilīgentíssime promóvit. Vetústam ædem Deíparæ sacram novis opéribus auxit, amplóque censu ditávit: se tandem súaque ómnia Augústæ Patrónæ óbtulit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Cum vero ea tempestáte hostílibus factiónibus Itália agitarétur. et Arduínus Eporédiæ márchio Ecclésiæ libertátem, ac jura

violáret, víneam Dómini prædarétur, ac páuperes opprímeret; Veremúndus invícto ánimo, et constánter óbstitit : quumque iterátas monitiónes ab eo níhili fíeri comperísset, lata excommunicatiónis et anathématis senténtia contumácem mulctávit, suffragánte Episcopórum cœtu : nec ab incépto déstitit, imo ad Apostólicam Sedem confúgiens, causam suam a Pontífice Summo Gregório quinto suscéptam vidit, et Arduínus ad pœniténtiam convérsus est. Veremúndi vero zelum temporáli étiam præmio donávit Deus : namque ipsíus imperatóris Othónis tértii favórem assecútus, munificéntiæ imperiális testimónia in ecclésiam suam indúbia recépit. At spirituálibus bonis, et glóriæ divínæ eníxe studens, præ temporálibus magis cordi hábuit, quæ eo pertinérent. Quaprópter fundatiónem monastérii Fructuariénsis consénsu et auctoritáte sua promóvit, exemptiónibus ditávit, privilégiis munívit, quod et ab áliis Epíscopis fíeri curávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi.

INter perturbatiónes et bella, quæ tunc témporis furébant, insídias et perícula molíri beáto Veremúndo adversárii satagébant; sed ope Deíparæ Vírginis, quam colébat amantíssime, felíciter iis perfúnctus est. Coepiscopórum cœtibus interésse, et itínera suscípere, quo illum offícium suum vocábat, non recusávit. Divína étiam revelatióne recreátus locum adinvénit, quo corpus sancti Mártyris Théguli ex Thebæa legióne latébat : quod repértum solémni supplicatióne, populíque plausu in Eporédiam urbem tránstulit; et in sacéllo beáti Jacóbi collocávit, Annis dénique gravis, ac méritis et virtútibus illústris in pace Christi quiévit, pro vita óptima perácta immarcescíbilem glóriam adeptúrus. Tum illíus corpus illátum fuit

in sepúlcrum, epitáphio super impósito, quod ipse conscrípserat, in quo fides et píetas non minus quam humilitas scribéntis elúcent. Sed pópuli venerátio ultra túmulum beátum Virum secúta est: cultus ei præstitus fuit, et altáre sub illíus invocatióne nuncupátum, et tábula elegantíssima propósita, quæ veréndam illíus imáginem præférret. Ex quo factum est, ut hisce aliísque públici cultus arguméntis ultra septingéntos annos exhíbitis, et beáti Veremúndi cultu in Diœcéses quoque Viglevanénsem et Vercellénsem propagáto, Pius nonus Póntifex máximus hunc cultum immemorábilem rite probátum decréto suo confirmáverit, Officiúmque próprium in illíus honórem a Clero tum sæculári, tum reguléri, in Eporediénsi, et Vercellénsi Diœcési recitándum concésserit. ℟. Iste.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. Rochi

Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. Agapiti

Martyris. Semid.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

LÆtétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat et secúra consístat. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

AGapítus Prænestínus nóbili génere natus, Christiána fide nobílior, passus est Prænéste sub Aureliáno imperatóre anno reparátæ salútis ducentésimo septuagésimo quarto. Ingravescénte enim eo témpore imperatóris in Christiános persecutióne, Agapítus annum vix quintum supra décimum agens, imperatóris impietátem detestátus, ejúsque minas nihil fáciens Spíritus sancti instínctu, se christiánum, et pro Christi fide mori parátum esse líbera

voce, fortitúdine plus quam viríli proféssus est : virtúte nempe indútus ex alto, non solum se holocáustum Deo óbtulit, sed sui exémplo in fide álios confirmávit, atque ad cruciátus fórtiter perferéndos, animávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

MIrátus adolescéntis audáciam Aureliánus torménta, et horréndam necem, nisi resipíscat, et Jovi sacríficet, comminátur. Cumque strénuus athléta perstáret, nec a sancto propósito dimoverétur, eum crudis nervis diutíssime cædi jussit, tum præfécto tráditus, quatriduáno jejúnio macerátur. Verum animadvértens præféctus ánimum púeri non torméntis frangi, sed ad martyrium ácrius incéndi, ad cállida convérsus consília eum blandítiis in suam senténtiam allícere aggréditur : et nóbili quodam viro, qui a fide ímpie defécerat, ad Agapítum misso, frustra mártyris constántiam labefactáre nítitur. Quare tyránnus, quod se a púero contémni arbitrarétur, præ rábie ac furóre sui ímpotens, majóribus cruciátibus in eum grassári constítuit, et ardéntes prunas in caput impóni ímperat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

SED Agapítus prunas cápiti suo impósitas diadématis loco hábuit, immánia flagélla, quibus íterum a ternis quaterniónibus concísus est, pro delíciis, et pro dulci aura, tetérrimum fumum, quo verso in terram cápite pendens quatríduo afflátus fuit. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillæque confráctæ, quo témpore judex e tribunáli lapsus, paulo post

mórtuus est. Ea re incénsus imperátor fortíssimum adolescéntem leónibus e cávea emíssis in amphitheátrum, in quo ludi, et múnera gladiatória edebántur, spectánte pópulo, óbjici jubet, quem cum illi non audérent lædere, sed advolúti sancti púeri pédibus eos lámberent : gládio tandem percússus, eméritam ánimam Prænéste Deo réddidit decimoquínto Kaléndas Septémbris.
℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram. Non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. j. *in Matth. Cap.* x.

AD fidem Christi totus orbis contra se divísus est : unaquæque domus, et infidéles, et credéntes hábuit; et proptérea bellum missum est bonum, ut erumperétur pax mala. Qui autem ante præmiserat : non veni pacem míttere, sed gládium; et divídere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum, et socrum, ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit, dicens : qui amat patrem, aut matrem plusquam me. Et in Cántico Canticórum légimus : ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est; ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.
℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

SI autem necéssitas vénerit, ut amor paréntum, ac filiórum Dei amóri comparétur, et non possit utrúmque servári, ódium in suos, píetas in Deum sit. Non ergo prohíbuit amáre patrem, aut matrem, sed signánter áddidit : qui amat patrem, aut matrem plusquam

me. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. In álio Evangélio légitur: qui non récipit crucem suam quotídie, ne semel putémus, ardórem fídei posse sufficere : semper crux portánda est, ut semper nos Christum amáre doceámus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. – Qui minas. Glória. Qui.

Lectio ix.

QUI récipit vos, me récipit. Ordo pulchérrimus. Ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit Religióni. Aurum supra túlerat; æs de zona excússerat. Dura Evangelistárum condítio : unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum, spe témperat promissórum; qui récipit (inquiens) vos, me récipit; ut in suscipiéndis Apóstolis, unusquísque credéntium, Christum se suscepísse, arbitrétur : dicit enim, non persónas suscipiéndas esse, sed nómina; et mercédem non pérdere suscipiéntes, licet indígnus fúerit qui suscéptus sit. Te Deum laudámus.

DIE XXV. AUGUSTI.

S. Genesii *Mart.*

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

BEáti Mártyris tui Genésii nos fáciat, Dómine, pássio veneránda lætántes, et ut eam sufficiénter recolámus, dignos effícias. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GEnésius in urbe Roma Mimus, gentílium superstitióne adhærens sacros religiónis ritus, atque cæremónias diligénti curiositáte scrutabátur, ut sacrílegum ex ipsis exhibéret ludum gentílibus máxime eo in témpore, quo Diocletiáno ácriter in

mórtuus est. Ea re incénsus imperátor fortíssimum adolescéntem leónibus e cávea emíssis in amphitheátrum, in quo ludi, et múnera gladiatória edebántur, spectánte pópulo, óbjici jubet, quem cum illi non audérent lædere, sed advolúti sancti púeri pédibus eos lámberent : gládio tandem percússus, eméritam ánimam Prænéste Deo réddidit decimoquínto Kaléndas Septémbris. ℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : nólite arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram. Non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. j. *in Matth. Cap.* x.

AD fidem Christi totus orbis contra se divísus est : unaquæque domus, et infidéles, et credéntes hábuit; et proptérea bellum missum est bonum, ut erumperétur pax mala. Qui autem ante præmiserat : non veni pacem míttere, sed gládium; et divídere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum, et socrum, ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit, dicens : qui amat patrem, aut matrem plusquam me. Et in Cántico Canticórum légimus : ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est; ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

SI autem necéssitas vénerit, ut amor paréntum, ac filiórum Dei amóri comparétur, et non possit utrúmque servári, ódium in suos, píetas in Deum sit. Non ergo prohíbuit amáre patrem, aut matrem, sed signánter áddidit : qui amat patrem, aut matrem plusquam

me. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. In álio Evangélio légitur: qui non récipit crucem suam quotídie, ne semel putémus, ardórem fídei posse suffícere : semper crux portánda est, ut semper nos Christum amáre doceámus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. – Qui minas. Glória. Qui.

Lectio ix.

QUI récipit vos, me récipit. Ordo pulchérrimus. Ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit Religióni. Aurum supra túlerat; æs de zona excússerat. Dura Evangelistárum condítio : unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum, spe témperat promissórum; qui récipit (inquiens) vos, me récipit; ut in suscipiéndis Apóstolis, unusquísque credéntium, Christum se suscepísse, arbitrétur : dicit enim, non persónas suscipiéndas esse, sed nómina; et mercédem non pérdere suscipiéntes, licet indígnus fúerit qui suscéptus sit. Te Deum laudámus.

DIE XXV. AUGUSTI.

S. Genesii *Mart.*

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

BEáti Mártyris tui Genésii nos fáciat, Dómine, pássio veneránda lætántes, et ut eam sufficiénter recolámus, dignos effícias. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GEnésius in urbe Roma Mimus, gentílium superstitióne adhærens sacros religiónis ritus, atque cæremónias diligénti curiositáte scrutabátur, ut sacrílegum ex ipsis exhibéret ludum gentílibus máxime eo in témpore, quo Diocletiáno ácriter in

christiános desæviénte Epíscopi et sacerdótes colléctas públice in ecclésiis fácere, sácraque perágere prohibebántur. Sed quadam die, cum in theátro, spectánte Diocletiáno, mystériis christianórum illúderet, tétigit Deus cor ejus per illuminatiónem Spíritus sancti, cui vocánti líbere assentiéndo et cooperándo, repénte ad Christi fidem convérsus, prætérita sacrilégia atque peccáta amáre flevit et detestátus est. Sed fidens Deum sibi propter Christum propítium, fore, in novitáte vitæ ambuláre propósuit. Creatórem suum tamquam omnem justítiæ fontem dilígere incépit, et baptizári in Christo Jesu veheménti desidério flagrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

COnsecútus misericórdiam per lavácrum renovatiónis Spíritus sancti, quem Pater misericordiárum, et Deus tótius consolatiónis éffudit abúnde per Jesum Christum Salvatórem nostrum, ut justificátus grátia ipsíus, esset hæres secúndum spem vitæ ætérnæ, amícus Dei, ac doméstícus factus est. Divína exínde caritáte exársit, ut non modo, quem ántea erubúerat, et fúerat persecútus coram Diocletiáno, et frequentíssimo pópulo Christum Jesum líbere conféssus sit, sed et Diocletiánum ipsum, et astántes omnes sit hortátus, ut sicut ípsemet, ita et illi verum Fílium Dei esse Christum, ipsum esse lucem, ipsum esse veritátem ex toto corde créderent, et posse per ipsum ad indulgéntiam pertíngere, seque affirmábat, toto ánimo esse doléntem quod bonitátem tam antíquam, tam novam sero cognovísset.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

CHristiánam fidem Genésium vere esse amplexátum Diocletiánus intélligens, ira incénsus jussit illum virgis crudelíssime cædi. Deínde trádidit Plautiáno præfécto, ut idólis sacrificáre compélleret. Quam impietátem Genésius summa libertáte detestátus, Plautiánus in equúleo eum suspéndi, et ungulárum laceratióne vexári, lampadibúsque étiam inflammári præcépit. Sed cum sanctus athléta Christum Jesum majóri confiterétur constántia, dicens : non est rex præter Christum, ipsum adóro, illi soli sérvio, et si míllies occídas, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auférre non póteris, cápitis abscissióne ad martyrii palmam migrávit in cœlum octávo Kaléndas Septémbris. Memóriam hujus sancti Mártyris, quæ olim Romæ illústris erat, Gregórius Papa tértius instaurávit, atque munéribus exornávit.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Homilia. Si Considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XXVI. AUGUSTI.

S. Secundi

Martyris. Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui primítias Mártyrum Thebæórum in beáti Secúndi sánguine dedicásti, ipsúmque nobis propugnatórem, et exémplum veræ constántiæ pro tui Nóminis confessióne tradidísti; concéde, ut ejus muníti præsídio, contra spiritáles nequítias certántes in terris, cum ipso coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

QUO témpore Diocletiánus, et Maximiánus Románo império præerant, et ad exstinguéndum veri Dei cultum, noménque christiánum, sparsis undequáque mílitum turmis ad supplícia, atque necem innúmeri Christi ásseclæ rapiebántur, in auxílium Maximiáno ab Oriénte

accíta vénerat insígnis légio Thebæórum in rebus béllicis strenuórum, qui, virtúte nóbiles, sed fide nobilióres, erga imperatóres fortitúdine, erga Christum devotióne certábant. Hi Alpes versus cum iter ágerent, dúcibus Maurítio, Secúndo, Exupério, Cándido senatóre assídue eos adhortántibus, ut pro sacraménto Christi, pro divínis légibus si necéssitas ferret, omnes vitam, ac sánguinem darent, martyrii, desidério máxime incénsi sunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

JUssi autem a Maximiáno, ut in christiános per Alpes, et Gálliam commorántes sævírent, crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt, atque ejúsmodi præcéptis se obtemperatúros negant, útpote qui in hostes impérii, non in Christi cultóres, se ad militándum, et pugnándum condúctos scirent. Insánia furóreque pércitus imperátor, semel iterúmque décimum quemque várie tortum, et excruciátum, gládio feríri jubet, et áliquot nominátim duces, qui céteros adhortatiónibus suis confirmábant, ratus ex illórum supplício réliquæ multitúdinis constántiam vincéndam esse. Spe vero frustrátum se cernens, una senténtia intérfici omnes decrévit. Itaque immísso in univérsam legiónem réliquo exércitu, non reclamántes nec repugnántes, sed depósitis armis, cervicésque persecutóribus exhibéntes ad unum omnes in fídei confessióne, sánguinem effudérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

INter eos, qui céteris præiérunt ad palmam, atque constántiæ exémplum

præbuére, annumerátus est sanctus Secúndus, vir illústris, atque alter ex dúcibus ejúsdem legiónis, qui cum céteros ad constántiam in fide, quam profitebántur, contínuo adhortarétur, Albintimílii Ligúriæ urbe Agréstio provínciæ præfécto plecténdus missus, sancto Maurítio astánte, mira ánimi constántia, cápite abscísso, Martyrii palmam accépit séptimo Kaléndas Septémbris, ubi sacrum ejus caput antiquíssimo cultu, et ab anno millésimo sexcentésimo secúndo, solemnióri Patróni principális ritu singulári urbis, ac vicinórum populórum multis perénnibus grátiis, ac miráculis magnificentíssime cólitur, ejúsque altáre in pervetústa cathedráli ecclésia sancto Mártyri dicátum, Gregórius decimustértius Póntifex Máximus, nono Kaléndas Augústi anni millésimi quingentésimi septuagésimi séptimi singuláribus indulgéntiis concéssis, insignívit.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus diem judícii. *de Communi. iij. loco.*

DIE XXX. AUGUSTI.

S. Bononii

Abbatis. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio. Intercéssio nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bonónius Abbas, monachórum, peregrinántium, et fídei præcónum illústre spéculum, Bonóniæ natus est. Vix háuserat lucem, ánimum ad cœléstia prorsus natum præ se tulit. Tantus in eo fuit perfectiónis amor, et desidérium, ut puerítiam nondum egréssus, spretis mortálium illécebris, totum se Christo consecráret in Bononiénsi monastério sancti Stéphani. Asperiórem vitam sectátus, priscos monachórum mores diligentíssime servávit. Hinc júvenis adhuc, ita provectióribus erat exémplo, ut dubitarétur, qua nam, præter céteras, virtúte præstáret, cum excélleret in ómnibus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit

eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

EXímiæ Bonónii virtúti majus theátrum jam parabátur. Afflátus enim divíno Spíritu pétiit, et impetrávit, ut in Asiam navigáret, cœléstis doctrínæ rudiménta bárbaris traditúrus. Cum Babylónem pervénit, in locum desértum qui prope erat, se cóntulit, ubi, grávibus, quas expetébat a se, pœnis divínam assídue obtestabátur misericórdiam ad barbarórum ténebras dispelléndas. Mox evangélicam lucem circumférre cœpit, et tanta erat ejus virtútis fama, ut ea permóti príncipes viri, multíque Ægyptii, singulári benevoléntia illum complecteréntur. Ipse totum se animárum salúti dévovens, ut cœptæ prædicatiónis fructus manéret, quamplúra monastéria órdinis sancti Benedícti ædificávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

CUM navim conscendísset, ut Alexandríam péteret, sævíssimam tempestátem, fusis ad Deum précibus, íllico sedávit. Quo miráculo permóti complúres bárbari Christo nomen dedérunt. Vinctórum patrónus, solámen ægrotántium, páuperum pater sic habebátur, ut omnes accénderet ad óperam Christo navándam in míseros. Cum Babylónem rediísset, ubi cómperit, in ea urbe Petrum Vercellénsem Epíscopum crudéli servitúte premi, supplex ádiit Regem, qui Petrum, ceterósque christiános, e captivitáte dimísit. Renunciátus Abbas Locediénsis Bonónius in Itáliam revérsus est, ubi, cum prístinos labóres repetiísset, suprémum diem óbiit miráculis clarus.

℟. Iste.

In iij. Nocturno, Homilia. Grandis fidúcia. *de Comm. Abbatum.*

SUFFRAGIA SANCTORUM.

De Ss. Sabino, Besso et Thegulo, *Mart.*

Ad Vesp. Aña. Mártyres Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres Sabínum, Bessum et Thégulum fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Ad Laud. Aña. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

℣. Exsúltent. *ut supra.*

Oratio.

PRopitiáre nobis quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per horum sanctórum Mártyrum tuórum Sabíni, Bessi et Théguli, qui in præsénti requiéscunt ecclésia, mérita gloriósa, ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper muniámur advérsis.

De omnibus Sanctis.

Ad Vesp. Aña. Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte Justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Vel ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Vel ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio.

DEus, qui nos concédis ómnium Sanctórum tuórum memóriam ágere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Aña et ℣. ut ad Vesp.

Oratio.

INfirmitátem et fragilitátem nostram, quæsumus, Dómine, propítius réspice, et mala ómnia, quæ juste merémur, ómnium Sanctórum tuórum intercessióne, avérte.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 2 Aprilis 1901.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.



Typis Societatis S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.

Sanctae Eporediensis Ecclesiae ac totius Dioecesis Proprium

Illustrissimi ac Reverendissimi D.D.

Matthaei Filipello

e Taurinensi Theologorum Collegio

Dei et Apostolicæ Sedis gratia

Episcopi Eporediensis

cura recognitum et editum.

Pars Autumnalis.

ROMÆ — TORNACI.

Typis Societatis S. Joannis Evangel.

Desclée, Lefebvre et Soc.

S. SEDIS APOST. ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPH.

MCMI.

Matthaeus Filipello

E TAURINENSI THEOLOGORUM COLLEGIO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS EPOREDIENSIS ET COMES

Venerabili et Universo Clero Diœcesis Salutem in Domino.

CUM Nobis sit compertum Proprii Diœcesis novam impressionem a Vobis desiderari, vestris annuentes votis, exaratum a Prædecessore Nostro Aloysio Moreno felicis recordationis, complures requirens emendationes quoad aliqua Officia a S. Sede reformata, recognovimus. Pariter, ad majorem Sacerdotum commoditatem, quæ officia jamdudum in omnibus Breviariorum editionibus impressa inveniuntur curavimus expungenda, adiungenda autem, tamquam nostræ Diœceseos propria, a duobus proximis Nostris Prædecessoribus, quorum memoria in benedictione est, rite introducta.

Et Nos Ipsi maxima animi lætitia gaudentes alte fixam esse in populo, Nostræ curæ commisso, devotionem erga B. M. V. Dei, nostrique Matrem, et erga Sacratissimum Cor Jesu Christi D. N., a Sacra Rituum Congregatione obtinere studuimus tum Officium proprium, sive B. M. V. titulo Consolationis Matris, jam pridem Archidiœcesi Taurinensi concessum, cum illud B. Margaritæ Mariæ Alacoque, devotionis erga SS Cor Jesu almæ propagatricis. Item, quum, sive in Civitate, sive in Diœcesi multæ sint Ecclesiæ Sanctæ Marthæ Virgini dicatæ, votis complurium Curatorum animarum annuentes, obtinuimus ut festum huius Sanctæ Virginis ad ritum duplicem eveheretur.

Quibus rite ordinatis, mandamus Kalendaria annua, seu directoria divinarum precum deinceps ad tramites hujus editionis omnino confici : universis vero et singulis tam Civitatis quam Diœcesis Ecclesiasticis viris, et Sacrarum laudum lege devinctis, id quoque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut hæc divina Officia pie suscipiant, istumque sibi comparantes libellum ea continentem, publice ac privatim recitent. Vos tandem rogamus, Carissimi et obsecramus in Domino Jesu, ut quorum laudes persolvitis, et præconium facitis, virtutes quoque æmulemini, exempla sequamini, constantiam et robur induamini; ita eveniet, ut divina jugiter officia digne, attente ac devote recitantes, quorum gloriamur triumphis ac præsidiis fruimur, consortium et habere possimus in cœlis.

Eporediæ, e palatio Nostro Episcopali, Nonis Martiis a Sancto Thoma Aquinate solemnibus.

Matthaeus Episcopus.

Kalendarium Ecclesiae et Dioecesis Eporediensis

(APPROBAT. A. S. R. CONGREG. DECRET. 22 SEPTEMB. 1859.)

Asteriscus denotat Festa quæ in hoc PROPRIO *continentur.*

Festa Mobilia.

* *Domin. quavis post Pentec. non impedita in festo dupl.* B. M. V. de Succursu. *dupl. maj.* Com. Dom. 7
* *Domin. III. post Pentec.* Puriss. Cordis B. M. V. *duplex majus.* Commem. Domin. 9

Augustus.

29. Decollatio S. Joannis B. *dupl. maj.* Com. S. Sabinæ M.
30. * S. Bononii Abb. *semid.* Com. Ss. Mm. Felicis etc . . 19
31. S. Raimundi Nonnati C. *dupl.*

Septembris

1. S. Rosæ Liman. (*30. Aug.*) *dupl.* Com S. Ægidii et Ss. Mm. 12 Fratrum.
2. S. Stephani Reg. C. *sem.*
3. * SS. Mm. Cyriaci, etc. (*8 Aug.*) *sem* 20
4. * S. Ludovici Regis C. (*25 Aug.*) *sem* 23
5. S. Laurentii Justiniani Ep. C. *sem.*
6.
7. * S. Grati Ep. August. C. *dup* 26
8. Nativitas B. M. V. *dup. 2 cl. cum Oct.* Com. S. Hadriani M.
9. De Octava, *sem.*
10. S. Nicolai de Tolentino C. *dup.* Com. Oct.
11. De Octava, *sem.* Com. Ss. Mm. Prothi M.
12. De Octava, *sem.*
13. De Octava, *sem.*
14. Exaltatio S. Crucis, *dup. maj.* Com. Oct.
15. Octava Nativ. B. M. V. *dup.* Com. S. Nicomedis M.
16. SS. Mm. Cornelii et Cypriani, *sem.* Com. Ss Mm. Euphemiæ, etc.
17. Impress. Stigmat. S. Francisci Assis. *dup.*
18. * S. Constantii Theban. M. *sem* 27
19. SS. Mm. Januarii et Socior. *dup.*
20. SS. Mm. Eustachii et Socior. *dup. Vigilia.*
21. S. Matthæi Ap. et Evang. *dup. 2. cl.*
22. * SS. Mauritii et Socior. *dup. maj* 30
23. S. Lini Ep. M. *dup.* Com S. Theclæ V. M.
24. B. M. V. de Mercede, *dup. maj.*
25. S. Thomæ de Villanova Ep. C. (*22 hujus*) *dup.*
26. S. Josephi a Cupertino C. (*18 hujus*) *dup.* Com. Ss. Mm. Cypriani, etc.
27. SS. Mm. Cosmæ et Damianæ, *sem.*
28. S. Wenceslai M. *sem.*
29. Dedicat. S. Michaëlis Archang. *dupl. 2. cl.*
30. S. Hieronymi C. D. *dupl.*

Festa Mobilia.

* *Dom. I. Septembris.* Patrocinii B. M.V. *dup. maj.* Com. Dom. 9
Dom. inf. Octav. Nativ. B. M. V. Ss. Nominis B. M. V. *dup. maj.* Com. Dom.
Dom. III. Septembris. Septem Dolorum B. M. V. *dup. maj.* Com. Dom.

October.

1. * S. Germani Ep. C. *sem.* Com. S. Remigii Ep. C . . . 35
2. SS. Angelorum Custodum *dup. maj.*
3.
4. S. Francisci Assis. C. *dup. maj.*
5. SS. Mm. Placidi, etc.
6. S. Brunonis C. *dup.*
7. S. Marci Pp. C. et Ss. Mm. Sergii, etc.
8. S. Birgittæ Vid. *dup.*
9. SS. Mm. Dyonisii et Socior. *dup.*
10. S. Francisci Borgia C. *sem.*
11.
12.
13. S. Eduardi Regis C. *sem.*
14. S. Callisti Pp. M. *dup.*
15. S. Theresiæ Virg. *dup.*
16
17. S. Hedwigis Vid. *sem.*
18. S. Lucæ Evang. *dup. 2 cl.*
19. S. Petri de Alcantara C. *dup.*
20. S. Joannis Cantii C. *dup.*
21. * SS. Mm. Ursulæ et Socior. *dup.* Com. S. Hilarionis Abb. 39
22. * B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. (*17 hujus*) dup. . 42
23.
24. S. Raphaelis Archang. *dup. maj.*
25. * S. Theguli Theban. M. Compatr. Civit. Epored. *dup. maj.* Com. Ss. Mm. Chrysanti, etc 42
26. * B. Thaddæi Machar Ep. C. *dup.* Com.S. Evaristi Pp. M. 45
27. *Vigilia.*
28. SS. Apost. Simonis et Judæ; *dup. 2. cl.*
29.
30.
31. *Vigilia.*

Festa Mobilia.

Dom. I. Octobris. Solemnitas SS. Rosarii B. M. V. *dup. 2. cl.* Com. Dom.
Dom. II. Octobris Maternitatis B. M. V. *dup. maj.* Com. Dom.
Dom. III. Octobris. Puritatis B. M. V. *dup. maj.* Com. Dom.
**Dom. IV. Octobris.* B. M. V. de Gratia, *dup. maj.* Com. Dom. 9

Novembris.

1. Festum Omnium Sanctorum, *dup. 1. cl. cum Oct.*
2. De Octava, *sem.* Com. omn. Fidelium Defunctorum.
3. *S. Benigni Presb. et Mart. *dup.* Com. Oct. 49

4. S. Caroli Ep. Mediolan. C. *dup.* Com. Oct. et Ss. Mm. Vitalis, etc.
5. * S. Malachiæ Ep. C. *sem.* Com. Oct 52
6. De Octava, *sem.*
7. De Octava, *sem.*
8. Octava Omn. Sanctor., *dup.* Com. Ss. Mm. 4. Coronatorum.
9. Dedicat. Basilicæ Ss. Salvatoris, *dup. maj.* Com. S. Theodori M.
10. S. Andreæ Avellini C. *dup.* Com. Ss. MM. Triphonis.
11. S. Martini Ep. Turon. C. *dup.* Com. S. Mennæ, M.
12. S. Martini Pp. M. *dup.*
13. S. Stanislai Kostkæ C. *dup.*
14. S. Josaphat Ep. Polocen. et M. *dup.*
15. S. Gertrudis V. *dup.*
16. S. Didaci C. (*13 hujus*) *sem.*
17. S. Gregorii Thaumat. Ep. C. *sem.*
18. Dedicat. Basilicæ Ss. Ap. Petri et Pauli, *dup. maj.*
19. S. Elisabeth Reg. Vid. *dup.* Com. S. Pontiani Ep. M.
20. * SS. Mm. Solutoris, Adventoris et Octavii, *dup* . . . 56
21. Præsentatio B. M. V. *dup. maj.*
22. S. Cæciliæ V. et M. *dup.*
23. S. Clementis Pp. M. *dup.* Com. S. Felicitatis M.
24. S. Joannis a Cruce C. *dup.* Com. S. Chrisogoni M.
25. S. Catharinæ V. M.
26. S. Silvestri Abb. *dup.* Com. S. Petri Alexandr. Ep. M.
27. * Manifestationis B. M. V. Immaculatae a Sacro Numismate, *dup. maj* 60
28. S. Felicis Valesii C. (*20 hujus*) *dup.*
29. * S. Leonardi a Portu Mauritio C. *dup.* (*26 hujus*) *Vigilia.* Com. S. Saturnini M 61
30. S. Andreæ Ap. *dup. 2. cl.*

Festa Mobilia.

**Dom. inf. Oct. Omn. Sanct. non impedita Festo dup., vel Feria pariter non impedita inf. Oct.* : Com. Omn. Ss. Pontif. Epored., *dup. maj.* Com. Dom. et Octav. 13

Dom. III. Novembris : Dedicatio Eccl. Cathedr. et Singul. Ecclesiar. consecrat. Diœc. Epored., *dup. 1. cl. cum Oct.*

December.

1. * S. Bessi Theban, M. Compatr. Civit. Epored., *dup. maj.* 63
2. S. Bibianæ Virg. et M. *sem.*


Agnus·Dei·qui·tollis·peccata·mundi·miserere·nobis



Sanctæ Eporediensis Ecclesiæ ac totius Diœcesis Proprium.

PARS AUTUMNALIS.

DOMINICA QUAVIS POST PENTEC. NON IMPEDITA FESTO DUPLICI.

B. Mariæ V. de Succursu.

Duplex majus.

Omn. ut in Festis B. M. V. per Annum præter seq.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui matrem esse voluísti : da nobis, quæsumus, ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia, et síncera tibi mente servíre valeámus. Per Dóminum.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. j. *de Assumpt. Virg.*

Lectio iv.

María est turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto : síquidem Deus in médio ejus non commovébitur : de hac Vírgine in cánticis légitur : sicut turris David, quæ ædificáta est cum propugnáculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere turris David, illíus, inquam, David, qui supérbum Góliath quinque lapídibus


Agnus · Dei · qui · tollis · peccata · mundi · miserere · nobis



Sanctæ Eporediensis Ecclesiæ ac totius Diœcesis Proprium.

PARS AUTUMNALIS.

DOMINICA QUAVIS POST PENTEC. NON IMPEDITA FESTO DUPLICI.

B. Mariæ V. de Succursu.

Duplex majus.

Omn. ut in Festis B. M. V. per Annum præter seq.

Oratio.

OMnípotens, et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam Vírginem Maríam unigéniti Fílii tui matrem esse voluísti : da nobis, quæsumus, ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia, et síncera tibi mente servíre valeámus. Per Dóminum.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. j. *de Assumpt. Virg.*

Lectio iv.

MAría est turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto : siquidem Deus in médio ejus non commovébitur : de hac Vírgine in cánticis légitur : sicut turris David, quæ ædificáta est cum propugnáculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere turris David, illíus, inquam, David, qui supérbum Góliath quinque lapídibus

de torrénte, idest quinque vulnéribus, et crucis báculo gloriántem in Calváriæ monte prostrávit. Facta est hæc turris Ecclésiæ propugnáculum, et peccatórum únicum refúgium, ut ad ipsam confúgiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflícti, et ea protegénte liberéntur ab hoste. O homo, in quacúmque tribulatióne ad Maríam fuge, sive peccátis affllíctus, sive persecutiónibus attrítus, sive tentatiónibus turbátus, hanc turrim petíto, ad Maríam confugíto. Mille enim clypei pendent ex ea, et contra omnem æstum tribulántis, et ad omnem fáciem persequéntis dæmonis tutíssimum in ea clypeum invénies, quo te prótegas.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio v.

UBI est enim omnis armatúra fórtium, ibi fides Apostolórum, ibi fortitúdo Mártyrum, ibi púritas Vírginum, Doctórum sapiéntia, Anachoretárum paupértas, devótio Confessórum : ibi dénique ómnium Sanctórum virtus agglomeráta reperítur. Nihil enim unquam alícui Sanctórum speciáli privilégio concéssum est, quod a princípio vitæ, et cumulátius præfúlgeat in María. Ecce castéllum fortíssimum, ecce turrim inexpugnábilem, quæ nunquam diábolo præstitit tribútum, ac fidem. Hanc intrávit Jesus, quando Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, ídeo inimícos expugnatúrus, et regnum suum recuperatúrus, in quo ab inítio dæmon fúerat intrúsus.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vj.

SLécta est ut esset advocáta nostra. Nam licet advocátum habémus apud

Patrem, Fílium, ut ait Joánnes : opus étiam fuit habére Matrem advocátam apud Fílium. Nam peccátis nostris non solum Deus offénditur, cujus præcépta violámus, sed et Fílius Dei, cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei : et ídeo sicut apud Patrem interpéllat Fílius, sic apud Fílium interpéllat Mater. Unde Fílius osténdit Patri latus, et vúlnera, et Mater osténdit Fílio pectus, et úbera; unde facta est idónea advocáta : idónea quia puríssima, idónea quia acceptíssima, idónea quia piíssima : hæc enim ómnia ad advocátam requirúntur. Ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte, ad te in nostris necessitátibus accúrrimus; tuum offícium imple, tuum opus exérce.

℟. Ornátam.

DOM. III. POST PENT.
Puriss. Cordis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliq. locis Dominica post Octavam Assumpt.

DOMIN. I. SEPTEMB.
Patrocinii B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. per Annum præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. Concluditur his verbis : quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Oratio.

Concéde quæsumus, omnípotens Deus, ut fidéles tui, qui sub Sanctíssimæ Vírginis Maríæ protectióne lætántur; ejus pia intercessióne a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cœlis. Per Dóminum.

DOM. IV. OCTOBRIS.
B. Mariæ V. de Gratia.

Omnia ut in Festis B. M. V. per Annum præter sequentia.

℣. Ave María grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Aña. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiæ mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio.

DEus, qui humáno géneri beátæ Maríæ Virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ut quam grátiæ matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

In II. Nocturno.

Sermo S. Thomæ Epíscopi.

Conc. 2. de Annunt.

Lectio iv.

ADmirándam, omníque virtúte præstántem Genitrícem Dei Maríam pro mei ingénii exiguitáte toto ánimi desidério laudáre desíderans, nullum fere in sacris lítteris pótui reperíre præcónium, quod ad lítteram ejus nobis glóriam excellentiámque demónstret. Nam etsi de illa per Prophétas plúrima mystice dicta, fáctaque passim legántur, unde possit virtútis ejus magnitúdo constáre, in Evangélicis tamen, aut Apostólicis scriptis rarus de illa sermo, et multo rárior laus invenítur. Quamvis, ut verum fátear, non ita siléntio trádita sit, ut in eórum dictis virtútum ejus cláritas tenuíssimo rádio, véluti per quasdam verbórum rímulas non eníteat. Sed unde magis ejus glóriam, virtútes, dotésque ánimi potérimus auspicári, quam ex illo mirífico ejus, et Angeli collóquio? In quo præter hoc, quod Angélico elóquio grátia pleníssima, et ómnium feminárum prima mérito prædicátur, ex gestis ejus, et dictis multa nimis præconiórum ejus sylva emícuit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. -Dedi.

Lectio v.

INgréssus Angelus ovánter, salutávit reverénter : Ave, inquit, grátia plena, Dóminus tecum, plena grátia, impléndа deitáte, obumbránda virtúte; grátia plena, de cujus plenitúdine accípiunt univérsi, de cujus abundántia totus repléndus est orbis. Et vere plena, in cujus ánimo nullus peccáto relíctus est locus, nullus iniquitáti pátuit accéssus. Dóminus tecum. Et quó-

modo tecum? Non útique sicut mecum, sed sicut núllibi : tecum in córpore, tecum in mente, tecum in ánimo, tecum in consílio, tecum in útero, tecum in auxílio, tecum in ortu, tecum in éxitu, tecum in fine, tecum sine fine.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vj.

Ex Conc. 1. Annunt.

COelésti ergo legatióne audíta, sic fatur ad Angelum : Ecce ancílla Dómini : fiat mihi secúndum verbum tuum. Grandi ergo mystério, altissimóque Deitátis instínctu conceptúra Deum sui méminit ancillátus, ut oriéntem a se fílium mundi obséquio mancipáret. Fiat mihi, ait, secúndum verbum tuum, et ad verbum ejus statim in útero incarnátum est Verbum. O fiat potens, o fiat éfficax, o fiat super omne fiat perpétuo honóre venerándum! Hoc verbo fiat factus est mundus. Hoc verbo cœléstia, terrestríaque Altíssimus cóndidit, sed tale fiat non sónuit in orbe, quale tu nunc beáta dixísti. Quid enim factum est? quis dícere potest quid factum est? Natúra stupet, judícium hæret, hebéscit sensus, lingua mutéscit, rátio déficit, intelléctus non capit quod factum est in María cum hoc prótulit verbum : fiat mihi secúndum verbum tuum.

℟. Ornátam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* j. *v.* 26

IN illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David; et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. ccxcj. *in Nat. S. Joan. Bapt.* iv.

ANgelus vero idem ipse ad Maríam Vírginem, Ave, inquit, grátia plena, Dó-

minus tecum, jam tecum est qui erit in te. Dic mihi ergo, nuntie Dei, quómodo fiet istud? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Audi quómodo erit virgínitas tua, tu tantum crede veritátem, serva virginitátem, áccipe integritátem. Quóniam íntegra est fides tua intácta erit intégritas tua. Dénique audi quómodo fiet istud : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, quia fide cóncipis, quia credéndo in útero, non concubándo, habébis; proptérea quod nascétur de te Sanctum vocábitur Fílius Dei. Quid es, quæ póstea paritúra es ? unde meruísti ? unde hoc accepísti ? unde fiet in te qui fecit te ? unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovísti, sed multum quod meruísti, immo vero multum quod accepísti.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus. * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos.— Quibus.

Lectio viij.

JAM unde hoc meruísti? Fit in te qui fecit te, fit in te per quem facta es; immo vero per quem factum est cœlum et terra, per quem facta sunt ómnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiéndo carnem, non amitténdo divinitátem. Et Verbum júngitur carni, et Verbum copulátur carni, et hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjúgii, idest Verbi, et carnis thálamus úterus tuus, unde ipse Sponsus prócédit de thálamo suo. Invenit te vírginem concéptus, dimíttit vírginem natus. Dat fecunditátem, non tollit integritátem. Unde tibi hoc? Protérve vírginem vídeor interrogáre, et quasi importúne aures verecúndas ista mea voce pulsáre. Sed vídeo Vírginem verecundántem, et tamen respondéntem, meque admonéntem : Quæris a me, unde mihi hoc ? verecúndor ti-

bi respondére bonum meum: Angeli audi ipsíus salutatiónem, et in me agnósce tuam salútem. Crede cui crédidi. Unde mihi hoc quæris? Angelus respóndeat. Dic mihi, Angele, unde Maríæ hoc? Jam dixi cum salutávi: Ave, grátia plena.

℞. Porta cœli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo; *Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. — Quia omnis. Glória Patri. Quia.

Lectio ix. de Homilia Domin. occur. Si vero Officium transferri contingat Lectio ix. erit sequens.

Lectio ix.

Serm. ccxc. *de Sanct. in Nat. S. Joan. Bapt.* iv.

MAría vero, quando e contra ait, quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco, inquiréndo dixit, non desperándo. Dum interrogávit, non de promissióne dubitávit. O vere grátia plena! sic est enim ab Angelo salutáta: Ave, grátia plena. Quis hanc éxplicet grátiam? quis huic grátiæ grátias agéndo sufficiat? Fit homo, et per líberum arbítrium perit homo, et invenítur homo factus, qui fecit ne períret quem fecit. In princípio Verbum Deus apud Deum, per quod ómnia facta sunt, fit caro: Verbum, caro factum est, et habitávit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accédit ad Verbum, non périit in carne Verbum. O grátia! ut hoc haberémus, quid digni erámus? Te Deum.

DOMIN. INFRA OCT. OMNIUM SANCTORUM VEL FERIA NON IMPEDITA INFRA OCTAV.

Omn. Sanctorum Ep. et Conf. Epored.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ, Capit. et Oratio ut in Laud. Psalmi de Comm. Conf. Pont.

Hymnus.

O Qui pro grégibus das ánimam tuis,
Alto consílio quam bene próvidos
Caros ponis óvili
Quos tu, Christe, vocas duces!

Facti forma Deo quem páriunt gregis
Quæ sermóne docent, móribus éxprimunt;
Cum mandant, amor surget,
Cum damnant, amor árguit.

Hi dum corda sacris légibus ímbuunt,
Discússis ténebris stat fídei decus;
Sese pandit apérta
Pleno lúmine véritas.

Nusquam lenta tenent ótia désides;
Noctes atque dies invígilant agro,
Subrépens inimícus
Ne zizánia séminet.

Quas erráre vident a grege dévias
Caute sollíciti per juga móntium
Per desérta requírunt,
Et portant húmeris oves.

Laus qui Pontífices constítuit Patri;
Pastórum cápiti laus quoque Fílio,
Qui pinguédine mentes
Ungis, laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Exáltent eos in Ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Aña. Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum; servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Pastórum Príncipem, * Veníte, adorémus.

Hymnus ut supra.

In I. Nocturno.

Aña. Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros in generatióne sua.

Psalmi de Comm. Conf. Pont.

Aña. Elégit ipsos Dóminus offérre sacrifícium Deo incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

Aña. Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes; tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

℣. Domus Aaron, benedícite Dómino. ℟. Domus Levi, benedícite Dómino.

Lectiones. Laudémus viros, *de Comm. ij. loco.*

℟. *j.* Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt. * Et in diébus suis habéntur in láudibus. ℣. Operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. — Et in diébus.

℟. *ij.* Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; cum sémine eórum pérmanent

bona. * Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet Ecclésia. ℣. Juxta fidem defúncti sunt isti, confiténtes quia peregríni et hóspites sunt super terram. — Sapiéntiam.

℟. *iij.* Sit memória illórum in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo. * Semen eórum et glória eórum non derelinquétur. ℣. Córpora eórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. — Semen. Glória. Semen.

In II. Nocturno.

Aña. Ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos : facti sumus párvuli in médio vestrum; tamquam si nutrix fóveat fílios suos.

Aña. Mémores estis labóres nostri et fatigatiónis. Nocte ac die operántes, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

Aña. Deprecántes vos, testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam.

℣. Sacríficent sacrifícium laudis. ℟. Et annúntient ópera Dómini in exsultatióne.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *In Festo S. Malachiæ Ep.*

Lectio iv.

Congratulémur, fratres, congratulémur, ut dignum est, Pontifícibus nostris; quia et pium est defúnctos plángere, et pium magis congaudére vivéntibus. Numquid non vivunt? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique jam concíves sanctórum, et doméstici Dei, psallunt páriter, et grátias agunt, dicéntes : transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. Transivérunt plane viríliter, et felíciter pertransiérunt. Transivérunt per ignem et aquam, quos neque trístia frángere, nec detinére móllia potuérunt.

℟. Ergo jam non estis hóspites et ádvenæ : * Sed estis cives sanctórum et doméstici Dei. ℣. Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. — Sed.

Lectio v.

LÆtémur quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro fíliis ca-

ptivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exsultémus, quia cœléstis illa cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cœlis frequénter invéxerant, per semetípsos intravérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ et sacerdótes.

℟. Benefáciat vobis Deus, et memínerit testaménti sui, et det vobis ómnibus ut colátis eum. * Et nunc hic sumus orántes pro vobis. ℣. Omnis namque Póntifex, ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum. — Et.

Lectio vj.

Benedíctus Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam; et nunc assúmptis iis in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis, nostram non désinit consolári captivitátem. Exsúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta, vel terréna matéria prægravántur, quóminus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhæréntes illi, unus sint cum eo spíritus in ætérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantæ frequentátur memória sanctitátis.

℟. Ideóque et nos tantam habéntes impósitam nubem téstium, et deponéntes omne pondus * Currámus ad propósitum nobis certámen. ℣. Fílii Sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. — Currámus. Glória. Currámus.

In III. Nocturno.

Aña. Nunc ergo, o fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum.

Aña. Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum

Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Aña. Mementóte óperum patrum, et accipiétis glóriam magnam et nomen ætérnum.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. Conf. Pont. j. loco.*

℟. *vij.* Fratres : sicut accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti, et superædificáti in ipso, et * Confirmáti in fide, sicut et didicístis. ℣. Mementóte præpositórum vestrórum : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. — Confirmáti.

℟. *viij.* Fecísti, Dómine, patres eléctos, et sanctificásti eos; * Custódi partem tuam, et sanctífica. ℣. Exáudi oratiónes servórum tuórum, et dírige nos in viam justítiæ. — Custódi. Glória. Custódi.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ.

1. Sancti tui, Dómine, * florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

2. In cœléstibus * regnis Sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

3. Córpora Sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4. Spíritus et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

5. Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum. *Hebr.* xiij.

Fratres: mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Sancti Pontífices præsídium gregis,
Vobis una quies contínuus labor,
Vobis vívere Christus,
Vobis grande lucrum mori.

In vos turpis opum nil pótuit fames :
Thesáurus pótior péctora móverat;
Æris pródiga dextra
Sparsit quæ méteret polo.

Qua duxére tuum Pontífices gregem,
Qua nos, Christe, præis cúrrere fac viam :

Duc, ne lóngius errent;
Serva, ne péreant oves.
Laus qui Pontífices constítuit Patri,
Pastórum cápiti laus quoque Filio,
Qui pinguédine mentes
Ungis, laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Vos estis lux mundi : non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt.

Oratio.

Deus, qui in hac plebe tua doctrínæ et sanctitátis sémina, per sanctos Pontífices conservári voluísti : præsta, ut quos in terris nobis constituísti custódes, perpétuos in Cœlo patrónos et defensóres habeámus. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, etc.

℟. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. — Et exsultáte. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Act.* xx.

Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. — In conspéctu. Glória. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

Capitulum. *Hebr.* xiij.

Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℟. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. — In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in j. Vesp. ult. *Ps.* Meménto, Dómine, David.

℣. Elégit eos Dóminus sacerdótes sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Magnif. Aña. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos : stolam glóriæ índuit eos, et ad portas paradísi coronávit eos.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. Bononii

Abbatis Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio. Intercéssio nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bonónius Abbas, monachórum, peregrinántium, et fídei præcónum illústre spéculum, Bonóniæ natus est. Vix háuserat lucem, ánimum ad cœléstia prorsus natum præ se tulit. Tantus in eo fuit perfectiónis amor, et desidérium, ut pueritiam, nondum egréssus, spretis mortálium illécebris, totum se Christo consecráret in Bononiénsi monastério sancti Stéphani. Asperiórem vitam sectátus, priscos monachórum mores diligentíssime servávit. Hinc, júvenis adhuc, ita provectióribus erat exémplo, ut dubitarétur, quanam, præter céteras, virtúte præstáret, cum excélleret in ómnibus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custódivit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Eximiæ Bonónii virtúti majus theátrum jam parabátur. Afflátus enim Divíno Spíritu pétiit, et impetrávit, ut in Asiam navigáret, cœléstis doctrínæ rudiménta bárbaris traditúrus. Cum Babylónem pervénit, in locum desértum, qui prope erat, se cóntulit, ubi, grávibus, quas expetébat a se, pœnis divínam assídue obtestabátur misericórdiam ad barbarórum ténebras dispelléndas. Mox evan-

gélicam lucem circumférre cœpit, et tanta erat ejus virtútis fama, ut ea permóti príncipes viri, multíque Ægyptii, singulári benevoléntia illum complecteréntur. Ipse totum se animárum salúti dévovens, ut cœptæ prædicatiónis fructus manéret, quamplúra monastéria órdinis sancti Benedícti ædificávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum.—Et.

Lectio vj.

CUM navim conscendísset, ut Alexandríam péteret, sævíssimam tempestátem, fusis ad Deum précibus, íllico sedávit. Quo miráculo permóti complúres bárbari Christo nomen dedérunt. Vinctórum patrónus, solámen ægrotántium, páuperum pater sic habebátur, ut omnes accénderet ad óperam Christo navándam in míseros. Cum Babylónem rediísset, ubi cómperit, in ea urbe Petrum Vercellénsem Epíscopum crudéli servitúte premi, supplex ádiit Regem, qui Petrum, ceterósque Christiános, e captivitáte dimísit. Renunciátus Abbas Locediénsis Bonónius in Itáliam revérsus est, ubi, cum prístinos labóres repetiísset, suprémum diem óbiit miráculis clarus. ℟. Iste.

In iij. Noct. Homilia. Grandis fidúcia. *de Communi Abbatum.*

DIE III. SEPTEMBRIS.

SS. Cyriaci, Largi *et* Smaragdi *Mart.*

Semiduplex.

Omnia de Communi plur. Mart. præter seq.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi, et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

CYríacus Diáconus, cum Sisínio, Largo, et Smarágdo diútius inclúsus in cárcere, mul-

ta édidit mirácula, in quibus Arthémiam Diocletiáni fíliam précibus a dæmone liberávit : missúsque ad Sáporem Persárum regem, Jobíam étiam ejus fíliam a nefário spíritu erípuit. Rege vero ejus patre cum quadringéntis ac trigínta áliis baptizátis Romam rédiit : ubi Maximiáni imperatóris jussu comprehénsus, caténis vinctus ante rhedam suam tráhitur : et post dies quátuor e cárcere edúctus, pice liquáta perfúsus, et in catásta exténsus, demum cum Largo, et Smarágdo, aliísque vigínti secúri percússus est, via salária, ad hortos Sallustiános. Quorum córpora in eádem via décimo séptimo Kaléndas Aprílis sepúlta a Joánne Presbytero, póstea sexto Idus Augústi a Marcéllo Pontífice et Lucína nóbili fémina líneis velis involúta, et pretiósis unguéntis cóndita, in ipsíus Lucínæ prædium via Ostiénsi, séptimo ab urbe lápide transláta sunt.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra appáruit.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Serm. j. *de Mart. Tom.* iij.

Lectio v.

Nemo est qui néсiat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur, et nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur : ut dum hæc ita celebrári perspícimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in cœlis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris : quo possímus étiam ipsi tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide : ut Christo præstánte, dimicáre et víncere hostem possímus : ut parta victória, cum iísdem sanctis in regnis cœléstibus triumphémus.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíe-

rent in domo Dñi. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

QUis est enim, qui eórum volens mérito copulári; nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis; eórum glóriam páribus vitæ lineaméntis aut invéniat, aut exquírat? Qui etsi martyrio par esse non possit: tamen múneris tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum præbeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desiderántibus suis aut martyrium præbeat, aut sine martyrio cum sanctis præmia divína retríbuat. ℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* xvj. c

IN illo témpore: Dixit Jesus discípuli suis: Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia xxix. *in Evang. post initium.*

POtest omnis creatúræ nómine omnis nátio Géntium designári. Ante enim dictum fúerat, In viam Géntium ne abiéritis: nunc autem dícitur, Prædicáte omni creatúræ: ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. ℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

NEque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super ra-

tionálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℞. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, qua ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plántamus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

DIE IV. SEPTEMBR.

S. Ludovici

Conf. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus quæsumus méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ludovícus nonus Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab Epíscopo Parisiénsi accépit : deínde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prœlio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex, exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit; prætérea áliquot Christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita : quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

Multa ædificávit monastéria, et páuperum hospítia : beneficéntia egéntes sublevábat : frequens visébat ægrótos; quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quæ opus erant, mánibus ministrábat : vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset; pestiléntia decéssit in illa oratióne : Introíbo in domum tuam, adorábo ad

templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo asservátur, et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ capéllæ. Ipse clarus miráculis a Bonifácio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xix. *b*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. viij. *in Lucam.*

BOnus ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur, Nihil déderat pópulo Judæórum, unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? non medíocris ista est mna, quam supra múlier evangélica quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

DEnique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est, mystica legis, et morália probitátis. Unde et Matthæus quinque talénta et duo talénta pósuit. In quinque taléntis ut sint morália, in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris :

* Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

SEt hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est, legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt; non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fénebris, ália doctrínæ cœléstis usúra.

Te Deum laudámus.

DIE VII. SEPTEMBR.

S. Grati

Episc. Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

Oratio.

DEus, qui hodiérna die, sanctíssimam nobis beáti Grati Confessóris tui atque Pontíficis solemnitátem celebráre tribuísti; adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus, ut cujus gloriátur méritis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRatus natióne Græcus, ab illústri ducum Lacedemonénsium stirpe oríginem traxit. Athénis liberálibus disciplínis ápprime erudítus, ac subínde divínæ contemplatiónis stúdio, monásticæ vitæ juxta Ephesum nomen dedit, ac brevi virtútum ómnium culmen áttigit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

DIU non látuit tanta lucérna sub módio : e solitúdine pro árduis Ecclésiæ negótiis pertractándis ab Adriáno primo evocátur. In concílio œcuménico Nicæno secúndo hæresis

Iconoclastárum profligándæ causa convocáto, velut sidus præ céteris Pátribus cláruit. Ad Cárolum Magnum cum plena potestáte ab eódem Pontífice auxílii peténdi grátia legátus míttitur; et Grato ab eódem rege benévole accépto, Itáliæ simul ac Ecclésiæ pax restitúitur. His glorióse peráctis ad ecclésiam Augustánam pastóre viduátam Deo revelánte Epíscopus dirígitur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

UBI primum ad sedem Augustánam Gratus pervénit grassántem Iconoclastárum errórem, ac relíquias hæresis Ariánæ e fínibus repéllere ságagit. Gregem non verbo et exémplo tantum páscere sollícitus, auxília étiam temporália minístrat : procéllas, et tempestátes a dæmónibus suscitátas cómprimit : insécta agros, et víneas devastántia elíminat : leprósis mundítiam, ægrótis sanitátem óbtinet. Ut libérius Deo vacet, intérdum una cum sócio Jocóndo solitúdinem petit, quæ et hódie sancti Grati erémus vulgo nuncupátur. Tandem signis, ac virtútibus illústris, suscitátis étiam in fínibus Jerosólimæ duóbus mórtuis, migrávit ad Dóminum séptimo Idus Septémbris anno a Vírginis partu círciter supra octingentésimum décimo, iísdem quibus in vita post mortem claríssimus. Ejus relíquiæ in pretiósa capsa argéntea inclúsæ, summo stúdio, et honóre in ecclésia cathedráli Augustána conservántur, una cum pretiosíssimis aliis Relíquiis, præcípueque mento divi Joánnis Baptístæ, quibus idem sanctus Gratus dictam basílicam magnificentíssime ditávit.

℟. Iste.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

DIE XVIII. SEPTEMB.

S. Constantii

Mart. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

Deus certántium fortitúdo, et ægrotántium salus, qui beátum Constántium Mártyrem tuum in perferéndis supplíciis, et sanándis infirmitátibus admirábilem effecísti, concéde propítius, ut ipsíus exémplo, et intercessióne roboráti, et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Sermóne sancti Euchérii Epíscopi.

Lectio iv.

SUB Maximiáno qui románæ reipúblicæ cum Diocletiáno collége impérium ténuit, per divérsas fere províncias laniáti, aut interfécti sunt mártyrum pópuli. Erat in exércitu légio mílitum qui Thebæi appellabántur, viri in rebus béllicis strénui, et virtúte nóbiles, sed nobilióres fide : erga imperatórem fortitúdine, erga Christum devotióne certábant. Evangélici præcépti étiam sub armis non immémores reddébant quæ Dei erant Deo, et quæ Cæsaris, Cæsari restituébant. Itaque cum hi, sicut et céteri mílitum ad pertrahéndam Christianórum multitúdinem destinaréntur, soli crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt, atque hujúsmodi præcéptis se obtemperatúros negant. Igitur Maximiánus cógnito Thebæórum respónso, décimum quemque ex eádem legióne gládio feríri jubet, quo facílius céteri régiis præcéptis, térriti metu, céderent. Ubi vero ad Thebæos denuntiátio iteráta pérvenit, cognitúmque ab eis est, injúngi sibi rursum executiónes profánas, vociferátio passim, ac tumúltus in castris exóritur, affirmántium, nunquam se ulli in tam sacrílega ministéria cessúros, extréma experíri sátius esse, quam advérsus Christiánam fidem veníre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis

non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

HIS deínde compértis Maximiánus omni béll ua cruén tior ímperat, ut íterum décimus eórum morti detur, et céteri nihilóminus ad hæc quæ, spréverant, compelleréntur. Quibus jussis dénuo in castra perlátis segregátus, atque percússus est, qui décimus sorte obvénerat. Réliqua vero se mílitum multitúdo mútuo sermóne instigábat, ut in tam præcláro ópere persísterent. Incitaméntum tamen máximum fídei penes legiónis ejus, sicut tráditur, duces fuit, qui accendébant, exhortándo síngulos, et monéndo fidem, sequendósque admonébant sócios illos et contubernáles suos, qui jam in Cœlum præcésserant. His ítaque primóribus, atque auctóribus animáti, Maximiáno insánia adhuc æstuánti, mandáta mittunt, sicut pia, ita et fórtia Quibus ille audítis despérans gloriósam cohórtis constántiam posse revocári, una senténtia intérfici omnes decrévit, et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus jubet. Qui cum missi ad beatíssimam legiónem veníssent, stringunt in Sanctos ímpium ferrum mori non recusántes. Cædebántur ítaque passim gládiis non reclamántes, sed depósitis armis cervíces persecutóribus præbéntes. Sic interfécta est illa plane angélica légio, quæ, ut crédimus, cum illis Angelórum legiónibus jam colláudat semper in cœlis Dóminum Deum Sábaoth.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

HOrum Agaunénsium Mártyrum córpora multis post passiónem annis reveláta tradúntur; eorúmque relíquiis virtus Dómini mirabíliter operátur, astátque vel in liberándis obséssis, vel in curándis infírmis. Inter primários vero hujus legiónis duces erat sígniter, co-

hortísque præféctus Martyr, cui nomen datur Constántii, qui in marchionáto Salinárum Salutiénsis Diœcésis cólitur in valle Macræ flúminis prope Dronérium, et Villárium castra, apud quæ in colle ecclésia éminet, quæ die décimo octávo Septémbris magno accolárum concúrsu, et religióne frequentátur, ubi lapídeo túmulo inscríptio lítteris inscúlpta exhibétur cum nómine Constántii. Sunt et álibi præcláræ áliquæ hujus sancti Mártyris relíquiæ, quas inter in civitáte sancti Rómuli sub ora Ligústica cólitur inférior mandíbula, étiam respérsa sánguine, theca argéntea in forma cápitis inclúsa, quæ in ecclésia ipsíus nómini dicáta religióse asservátur, ibique fortis Christi athléta per annum, et speciátim eódem die recensíti mensis, in quo cum offício, et missa dies ejus festus solémnis ágitur, véluti beneficentíssimus advérsus febres patrónus tota animi devotióne, ut ab íncolis, et ab ádvenis invocátur.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus diem judícii, *iij. loco.*

DIE XXII. SEPTEMB.
SS. Mauritii et Soc. *Martyrum.*

Duplex majus.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

ANnue, quæsumus omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum Mauritii et sociórum ejus, nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres. *de Comm.*

In II. Nocturno.

Ex Epístola sancti Euchérii Epíscopi ad Sálvium Epíscopum.

Lectio iv.

SUB Maximiáno qui Románæ Reipúblicæ cum Diocletiáno collega impérium ténuit, per divérsas fere províncias laniáti aut interfécti sunt Mártyrum pópuli. Idem namque Maximiánus, sicut avarítia, libídine, crudelitáte, ceterísque vítiis obséssus furébat, ita étiam

execrándis gentílium rítibus déditus, et erga Deum cœli profánus, impietátem suam ad exstinguéndum christianitátis nomen armáverat. Erat ejus in exércitu légio mílitum, qui Thebæi appellabántur. In auxílium ei ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis strénui, et virtúte nóbiles, sed nobilióres fide : erga imperatórem fortitúdine, erga Christum devotióne certábant. Evangélici præcépti étiam sub armis non immémores, reddébant quæ Dei erant, Deo, et quæ Cæsaris, Cæsari restituébant. Itaque cum hi, sicut et céteri mílitum, ad pertrahéndam christianórum multitúdinem destinaréntur, soli crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt, atque hujúsmodi præcéptis se obtemperatúros negant. Eo cógnito Maximiánus, qui se circa Octodúrum itínere fessus tenébat, præcípiti ira férvidus, Agáunum mittit, ubi octávo ab Octodúro milliário inter Alpína juga consé-derant, et décimum quemque ob neglécta impéria gládio feríri jubet; redintegratísque mandátis edícit, ut réliqui in persecutiónem christianórum cogántur. Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pérvenit, vociferátio passim in castris exóritur affirmántium, nunquam se ulli in hæc tam sacrílega ministéria cessúros; idolórum profána semper detestatúros; sacræ et divínæ religiónis cultui institúros; unum se æternitátis Deum cólere; extréma experíri sátius esse, quam advérsus christiánam fidem veníre. His compértis, Maximiánus ímperat ut íterum décimus eórum morti detur, et céteri nihilóminus ad ea quæ spréverant, compelleréntur. Quibus jussis dénuo in castra perlátis, segregátus est atque percússus, qui décimus sorte obvénerat; réliqua vero se mílitum multitúdo mútuo sermóne instigábat, ut in tam præcláro ópere persísterent.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam per-

cússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

INcitaméntum máximum fídei penes sanctum Maurítium fuit, primicérium tunc legiónis, qui cum Exupério campiductóre, et Cándido senatóre mílitum, accendébat, exhortándo síngulos et monéndo fidem; commilitónum étiam Mártyrum exémpla íngerens, pro sacraménto Christi, pro divínis légibus, si ita necéssitas ferret, ómnibus moriéndum suadébat, sequendósque admonébat sócios illos et conturbernáles suos, qui jam in cœlum præcésserant. His ítaque primóribus suis atque auctóribus animáti, Maximiáno mandáta mittunt sicut pia, ita et fórtia, in hunc modum : « Mílites sumus, imperátor, tui, sed tamen servi, quod líbere confitémur, Dei. Tibi milítiam debémus, illi innocéntiam; a te stipéndium labóris accépimus, ab illo vitæ exórdium súmpsimus. Sequi te imperatórem in hoc nequáquam póssumus ut auctórem negémus Deum, útique auctórem nostrum, Dóminum, auctórem, velis nolis, et tuum. Vídimus labórum periculorúmque nostrórum sócios, nobis quoque eórum sánguine aspérsis, trucidári ferro; et tamen sanctissimórum commilitónum mortes, et fratrum fúnera non flévimus, non dolúimus; sed pótius laudávimus, et gáudio prosecúti sumus, quia digni hábiti essent pati pro Dómino Deo eórum. Et nunc non nos vel hæc última vitæ necéssitas in rebelliónem coégit : non nos advérsum te, imperátor, ipsa saltem, quæ fortíssima est in perículis, desperátio. Tenémus ecce arma, et non resístimus : quia mori quam occídere satis málumus, et innocéntes interíre, quam nóxii vívere peroptámus. Si quid in nos ultra statúeris, si quid adhuc jusséris, si quid admovéris, ignes, torménta, ferrum subíre paráti sumus. Christiános nos fatémur, pérsequi Christiános non póssumus.

℞. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fie-

rent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

CUM hæc tália Maximiánus audísset, obstinatósque in fide Christi cérneret eórum ánimos, despérans gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia intérfici omnes decrévit, et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus jubet. Qui cum missi ad beatíssimam legiónem veníssent, stringunt in sanctos ímpium ferrum, mori non recusántes vitæ amóre, sed depósitis armis, cervíces persecutóribus, et júgulum, vel intéctum corpus offeréntes. Non vel ipsa suórum multitúdine non armórum munitióne eláti sunt, ut ferro conaréntur assérere justítiæ causam; sed hoc solum reminiscéntes, se illum confitéri, qui nec reclamándo ad occisiónem ductus est, et tamquam agnus non apéruit os suum, ipsi quoque tamquam grex dominicárum óvium, laniári se tamquam ab irruéntibus lupis passi sunt. Sic interfécta est illa plane angélica légio. ℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : cum audiéritis prœlia et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Cypriáni, Epíscopi et Mártyris.

Ex Ep. lviij. *alias* lvj. *quæ est de Exhort. ad Martyrium, ad Thibaritanos.*

GAudére nos et exsultáre vóluit in persecutiónibus Dóminus, quia quando persecutiónes fiunt, tunc dantur corónæ fídei, tunc probántur mílites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodo cogitáre, et detrectáre et recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et tolerántiæ et passiónis magíster; ut quod fíeri dócuit, prior fáceret, et quod pati hortátur, prior

pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, Fratres dilectíssimi, quod qui omne judícium a Patre solus accépit, et qui ventúrus est et judicatúrus, jam judícii sui et cognitiónis futúræ senténtiæ protúlerit, prænúntians et contéstans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, et negatúrum negántes. Si mortem possémus evádere, mérito mortem timerémus. Porro autem cum mortálem mori necésse sit, amplectámur occasiónem de divína promissióne et dignatióne veniéntem, et fungámur éxitu mortis cum præmio immortalitátis; nec vereámur occídi, quos constet, quando occídimur, coronári.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viii.

AD agónem sæculárem exercéntur hómines et parántur, et magnam glóriam cómputant honóris sui, si illis, spectánte pópulo et imperatóre præsénte, contígerit coronári. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cœléstis præmio gloriósus, ut spectet nos certántes Deus, et super eos quos fílios fácere dignátus est, óculos suos pandens certáminis nostri spectáculo perfruátur. Prœliántes nos et fídei congressióne pugnántes, spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsénte Deo cóngredi, et Christo Júdice coronári! Armémur, fratres dilectíssimi, víribus totis; et parémur ad agónem, mente incorrúpta, fide íntegra, virtúte devóta. Armat nos et præparat Apóstolus, dicens : indúite vos arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo; ut cum ómnia perfecéritis, stetis accíncti lumbos vestros in veritáte, indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis, assuméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia ignita jácula nequíssimi exstínguere, et gáleam

salútis et gládium spíritus, qui est sermo Dei.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis ; * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

HÆC arma sumámus, his nos tutaméntis spirituálibus et cœléstibus muniámus, ut in die nequíssimo resístere diáboli minis et repugnáre possímus. Induámus lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus et tutum. Calceáti sint Evangélico magistério et armáti pedes, ut cum serpens calcári a nobis et óbteri cœperit, mordére et supplantáre non possit. Portémus fórtiter scutum fídei, quo protegénte quidquid jaculátur inimícus, possit exstíngui. Accipiámus quoque ad teguméntum cápitis gáleam salutárem; ut muniántur aures, ne áudiant edícta ferália : muniántur óculi, ne vídeant detestánda simulácra : muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur : muniátur os ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et déxteram gládio spirituáli, ut sacrifícia funésta fórtiter réspuat, et Eucharistíæ memor quæ corpus Dómini accépit, ipsum complectátur, póstea a Dómino sumptúra præmium cœléstium coronárum. Te Deum.

DIE I. OCTOBRIS.

S. Germani

Episc. et Conf. Semidupl. Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequ.

Oratio.

DEus, qui ad conferéndos supérnæ grátiæ tuæ hostes beátum Germánum Confessórem tuum atque Pontíficem cœlésti virtúte roborásti: ejus nobis méritis, et intercessióne concéde, ut tuis muníti præsídiis hostem víncere. et perpétuam pacem cónsequi mereámur. Per Dñum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GErmánus Antisiodóri in Gállia nóbili génere natus, a prima ætáte liberálibus disci-

plínis, et jurisprudéntia instrúctus, pro senátu Románo Burgúndiæ ducátum gessit : cui cum sanctus Amátor Antissiodorénsis Epíscopus eum sibi in episcopátu successórem prædixísset, atque in clericórum órdinem cooptásset, illo defúncto, commúni totíus pópuli voluntáte, invítus atque coáctus ad pastorále offícium promótus est. Inter céteras ejus virtútes abstinéntia fuit plane admirábili; non enim triticeum panem, non vinum, non acétum, non óleum, legúmen, aut sal unquam gustávit; sed hordeáceo pane conténtus, in refectióne étiam primum cínerem prælibábat; et cibus hic ádeo ténuis, et paláto ingrátus, numquam ab eo ante vésperam sumebátur. Intérdum ad hebdómadam médiam, nec raro ad séptimum diem omníno jejúnus perseverábat. Assíduas ad Deum preces perpétuis sociábat gemítibus : super nudis tábulis, iísque cínere conspérsis, somnum capiébat : induméntum, quod illi únicum erat, nunquam mutábat; ínsuper corpus suum cilíciis, vigíliis, aliísque castigatiónibus exercébat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Quamvis ádeo in corpus suum sævíret céteros tamen, tum vero máxime páuperes, et peregrínos, patérna caritáte fovébat, et pro animárum salúte sollícitus assídue laborábat. In Angliam ob Pelagianórum hæresim confutándam semel, et íterum profectus, tres mórtuos in itínere suscitávit, gentémque illam doctrínæ soliditáte, ac miraculórum magnitúdine ad cathólicæ veritátis agnitiónem redúxit, et ab irruénti hóstium multitúdine ingénti prodígio liberávit. Prophetíæ étiam dono non cáruit; cumque inter Pastorális offícii curas amóris solitúdine tenerétur. Monastérium construxit, quo frequénter secédens, ánimam suávi cœléstium rerum

dulcédine recreábat. Postrémo ut Aramóricis Gálliæ pópulis, qui ab imperatóre defécerant, véniam impetráret, Ravénnam ad Valentiniánum Cæsarem venit, a quo, et Placídia matre, ac cunctis cívibus, quamquam nocte, ut óbvios vitáret, urbem ingrederétur, summa honóris significatióne excéptus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

QUanta autem esset illíus sánctitas, plura, quæ in urbe patrávit, mirácula declarárunt; nam multos ægros ad valetúdinem revocávit, obséssum a dæmone liberávit, et defúnctum vitæ restítuit. Cum vero instántem sui óbitus diem prævidísset, ac prænunciásset, jam gravis ætáte, ac conf?cta inédia, et castigatiónibus córpore, in febrim incidens, séptimo, postquam laboráre cœperat, die vitam cum morte commutávit, prídie Kaléndas Augústi anno salútis quadringentésimo quinquagésimo. Ægrotántem illum Galla Placídia Augústa invísit, ejúsque defúncti cápsulam cum Sanctórum relíquiis sibi accívit. Petrus Chrysólogus Archiepíscopus cucúllum, ac cilícium sumpsit. Sex Antístites, qui áderant, et perpétuo ipsi, dum Ravénnæ fuit, assidébant, unus pállium, alter cíngulum, duo ságulum habuérunt. Ejus autem corpus aromátibus cónditum, Valentiniáno imperatóre cómites, qui illud prosequeréntur, tribuénte, in Gálliam, quemádmodum ípsemet móriens petíerat, honoríf?ce translátum fuit, et Kaléndis Octóbris Antissiodóri magna totíus pópuli celebritáte suscéptum.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum

multum : quia sine me nihil potéstis fácere. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. lxxxij. *in Joann.*

IN hoc, inquit, clarificátus est, Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sive glorificátus, sive clarificátus dicátur, ex uno Græco verbo utrúmque translátum est. Doxa enim quæ Græce dícitur, latíne glória est. Hæc est ad Deum glória, qua glorificátur non homo, sed Deus, si non ex opéribus, sed ex fide justificátur, ut ex Deo illi sit quod étiam bene operátur: quóniam palmes, sicut jam supérius dixi, non potest ferre fructum a semetípso: Unde et álibi, cum dixísset : sic lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona; ne a semetípsis putárent esse bona ópera sua, mox áddidit : et glorífìcent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

MAnéte, inquit, in dilectióne mea. Quómodo manébimus? audi quid séquitur : si præcépta mea, inquit, servavéritis, manébitis in dilectióne mea. Diléctio facit præcépta servári, an præcépta serváta fáciunt dilectiónem? Sed quis ámbigat, quod diléctio præcédit? Unde enim præcépta servet, non habet, qui non díligit. Quod ergo ait : si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; osténdit, non unde diléctio generétur, sed unde monstrétur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

QUamvis quod ait : manéte in dilectióne mea, non appáret quam díxerit di-

lectiónem, utrum qua eum dilígimus, an qua ipse díligit nos : sed ex verbo superióre dignóscitur. Díxerat quippe : et ego diléxi vos : cui verbo contínuo subjúnxit : manéte in dilectióne mea. Illa ergo, qua diléxit eos. Quid est ergo, manéte in dilectióne mea, nisi manéte in grátia mea ? Et quid est, si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, nisi, ex hoc sciétis, quod in dilectióne mea, qua vos dílígo, manébitis, si præcépta mea servábitis ? Non ergo, ut nos díligat, prius ejus præcépta servámus, sed nisi nos díligat, præcépta ejus serváre non póssumus.

Te Deum laudámus.

DIE XXI. OCTOBRIS.
SS. Ursulæ et Sociarum

Virg. et Mart. Duplex.
Omnia de Comm. Virg. Mart. præter sequentia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

URsulam et plúrimas ejus sócias domo Britónes fuísse, vetus et constans tradítio profértur. Quod forte pátria tentarétur ab Anglis et Saxónibus, aliísque e Septentrióne prædónibus, éxiit e terra sua beátum agmen, eo fere témpore, quo plures sacerdótes ac clérici, multíque álii viri, e Británnia migrántes, líttora Armóricæ petébant. Per Rheni óstia in Germániam secúndam venérunt Ursula et sóciæ ejus, et Colóniæ Agrippínæ resedérunt, ubi pietátem aliquándo coluérunt, ceterásque virtútes, quæ sponsas Christi vírgines decent. Dum autem, ut diligentíssimus Sigebértus auctor est, illic dégerent, Attila dux Hunnórum, Rhenum tránsiens, in Gállias pro-

rúpit, ruínis et terróre ubíque sparsis. Inter bellórum turbas atque excídia úrbium, stragésque cívium, Colóniam, quæ véterum vallórum munitióne, et Rheni flúvio validíssimum castrum habebátur, confúgerant plures sancti Præsules, multíque viri ac mulíeres ibidem vitæ ac bonis præsídium quæsitúri. At frustra, cum intra annum quadringentésimum quinquagésimum primum, Hunnórum petulántiam et feritátem Ubii bis expérti sint. Nec quispiam unquam díxerit quam atrócia pertulére mala. Quod álibi patrátum scriptóres coævi tradidérunt, id quoque Colóniæ factum : pópulus in ore gládii trucidátus, sacerdótes Dómini ante altária ferro perémpti. Sed ut nulla in his tempóribus acérbior, sic étiam nulla gloriósior pássio fuit quam sanctæ Ursulæ, et innumerabílium Vírginum, quæ cum ómnia pótius parátæ essent subíre torménta quam pudicítiæ detriméntum fácere, sagíttis demum transfíxæ sunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Postquam vero abiérunt bárbari, Colonienses beatárum Mártyrum ossa pretiósa collegérunt; nec diu post in agro, ubi quies illis fúerat data, basílicam ædificárunt, quæ jam médio sæculo séptimo Ecclésiæ sanctárum Vírginum dicebátur; et sæculo nono monastérium facta, ut pleræque basílicæ cœmeteriáles, incolebátur a moniálibus. Máximo número fuísse sanctæ Ursulæ sodáles, non ullo témpore dubitátum est. Jam sæculo nono Wandelbértus vicíni Pruménsis monastérii abbas, testátus est numerósa trophæa virgíneis manípulis erécta, ad Rheni lítora, in Agrippínæ urbe fulgére. atque olim ab ímpio furóre ínclyta míllia, ductrícibus sanctis, mactáta fuísse. Sæculo vero ineúnte décimo, Wicfrídus Coloniénsis Archiepíscopus prædícto

sanctimoniálium cœnóbio multa bona trádidit, propter reveréntiam úndecim míllium sanctárum Vírginum inibi requiescéntium. Non omnes quidem virginitátis corónam meruísse Mártyres Colonienses compértum est, síquidem plúrimi sacerdótes aliíque viri ac mulíeres iis accenseántur. Sed cum Ursulæ et sóciæ ejus laudem ceterórum, qui pro asserénda fide et pietáte tuénda sánguinem profudérunt, splendóre certáminis superássent, univérso ágmini virgíneum suum candórem, noménque indidérunt.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Minuére ab antíquis sæculis Sancti complúres in coléndis beátis Vírginibus Mártyribus. Dum in eárum ecclésia sacra operarétur sanctus Cunibértus, qui médio sæculo séptimo sedem tenébat Coloniénsem, colúmba prius in vértice beáti Antístitis, deínde in sepúlcro uníus Vírginis consedére visa est. Sanctum Floriánum regem Scotórum, et sanctum Audœnum Rhotomagénsem Archiepíscopum ad Mártyrum Sanctárum túmula peregrinatiónem suscepísse; nec non sanctum Willebrórdum Apóstolum Frisónum, una cum sanctis Adalbérto et Verenfrído, óperam dedísse in elevándo córpore beátæ Lunéræ, uníus e virgíneo sodalítio, jamprídem lítteris consignátum est. At pietáte in sanctas Vírgines prælúxit ómnibus sanctus Anno, Coloniénsis Archiepíscopus, cui in more pósitum erat, síngulis fere nóctibus eárum adíre altária ibíque férvidas effúndere preces. Nec eas negléxit sanctus Norbértus, qui ipse Colóniam véniens, corpus uníus Vírginum cum áliis relíquiis Præmonstrátum transferéndum curávit. Sed et sacra beatárum Mártyrum pígnora plúrimas Galliárum Ecclésias ditavérunt. Inter eas præcípue nominánda est ecclésia collégii Sorbónici Parisiénsis,

quæ Ursulæ patrocínio consecráta, duo Sanctárum Mártyrum cápita in sacrário suo diu honestíssime servávit. Tandem in his últimis sæculis, novum beátæ Ursulæ et Sociábus decus áddidit sancta Angela Merícia, quæ novam Vírginum Societátem instítuens, invíctæ tot Vírginum ducis patrocínio ac nómine insigníri vóluit.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos. *de Communi.*

DIE XXII. OCTOBR.

B. Margaritæ Mariæ Alacoque

Virg. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xvij. Octobris.

DIE XXV. OCTOBR.

S. Theguli

Mart. Comp. Epored. Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Thégulum Mártyrem tuum post gloriósa certámina ad justítiæ corónam perduxísti; da nobis ejus patrocínio atque exémplo, ita fídei et caritáti adhærére in terris, ut ejúsdem glóriæ partícipes esse mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres, Debitóres.

In II. Nocturno.

De Epístola sancti Euchérii Epíscopi ad Sálvium.

Lectio iv.

Sub Maximiáno, qui Románæ Reipúblicæ cum Diocletiáno collégа impérium ténuit, per divérsas fere províncias, laniáti, aut interfécti sunt Mártyrum pópuli. Erat eódem témpore in exércitu légio mílitum, qui Thebæi appellabántur. Hi in auxílium Maximiáno ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis strénui, et virtúte nóbiles, sed nobilióres fide, erga imperatórem fortitúdine, erga Christum devotióne certábant. Itaque cum hi, sicut et céteri mílitum ad pertrahéndam Christianórum multitúdinem destinaréntur, soli crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt, atque hu-

júsmodi præcéptis se obtemperatúros negant. Cógnito Maximiánus Thebæórum respónso, præcípiti ira férvidus, ob neglécta impéria, quemque décimum ex eádem legióne gládio feríri jubet, quo facílius céteri régiis præcéptis térriti metu céderent, redintegratísque mandátis edíxit ut réliqui in persecutiónem Christianórum cogántur. Ubi vero ad Thebæos denuntiátio iteráta pérvenit, vociferátio passim ac tumúltus in castris exóritur affirmántium numquam se ulli in hæc tam sacrílega ministéria cessúros; idolórum profána semper detestatúros, sacræ et divínæ religiónis cúltui institúros; unum se æternitátis Deum cólere; extréma experíri sátius esse, quam advérsus Christiánam fidem veníre. His compértis, Maximiánus omni béllua cruéntior, ímperat ut íterum décimus eórum morti detur, et céteri nihilóminus ad hæc, quæ spréverant, compelleréntur. Quibus jussis dénuo in castra perlátis, segregátus est atque percússus qui décimus sorte obvénerat : réliqua se vero mílitum multitúdo mútuo sermóne instigábat, ut in tam præcláro ópere persísterent.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

Flagrábat enim jam tunc in beatíssimis viris martyrii gloriósus ardor : Maximiáno insánia adhuc æstuánti mandáta mittunt sicut pia, ita et fórtia, quæ ferúntur fuísse in hunc modum : Mílites sumus, imperátor, tui; sed tamen servi, quod líbere confitémur, Dei. Tibi milítiam debémus, illi innocéntiam : a te stipéndium labóris accépimus, ab illo vitæ exórdium súmpsimus. Sequi te imperatórem in hoc nequáquam póssumus, ut auctórem negémus Deum útique auctórem nostrum, Dóminum, auctórem, velis nolis, et tuum. Si non ad tam funésta compéllimur, ut hunc offendámus, tibi ut fécimus háctenus ad-

huc parébimus: sin áliter, illi parébimus pótius quam tibi. Offérimus nostras in quémlibet hostem manus, quas sánguine innocéntium cruentáre nefas dúcimus. Déxteræ istæ pugnáre advérsus ímpios, atque inimícos sciunt : laniáre pios et cives nésciunt. Mémínimus nos pro cívibus pótius, quam advérsus cives arma sumpsísse. Pugnávimus semper pro justítia, pro pietáte, pro innocéntium salúte : hæc fuérunt háctenus prétia periculórum. Pugnávimus pro fide, quam quo pacto conservábimus tibi, si hanc Deo nostro non exhibémus? Jurávimus primo in sacraménta divína : jurávimus deínde in sacraménta régia : nihil nobis de secúndis, credas, necésse est, si prima perrúmpimus. Christiános ad pœnam per nos requíri jubes. Jam tibi ex hoc álii requiréndi non sunt : habes hic nos confiténtes Deum Patrem auctórem ómnium, et Fílium ejus Jesum Christum Deum crédimus. Vídimus labórum periculorúmque nostrórum sócios, nobis quoque eórum sánguine aspérsis, trucidári ferro : et tamen sanctissimórum commilitónum morte, et fratrum fúnera non flévimus : non dolúimus, sed pótius laudávimus, et gáudio prosecúti sumus, quia digni hábiti essent pati pro Dómino Deo eórum. Et nunc non nos vel hæc última vitæ necéssitas in rebelliónem coégit : non nos advérsum te, imperátor, armávit ipsa saltem, quæ fortíssima est in perículis, desperátio. Tenémus ecce arma, et non resístimus : quia mori quam occidére satis málumus, et innocéntes interíre, quam nóxii vívere peroptámus Si quid in nos ultra statúeris, si quid adhuc jússeris, si quid admovéris, ignes, torménta, ferrum subíre paráti sumus. Christiános nos fatémur, pérsequi Christiános non póssumus

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine. * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

CUum hæc tália Maximiánus audísset despérans tam gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia intérfici omnes decrévit et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus. Qui cum missi ad beatíssimam legiónem veníssent, stringunt in sanctos ímpii ferrum mori non recusántes vitæ amóre. Dum hæc gereréntur áliquot ex felíci legióne, Deo ad populórum salútem eos reservánte incólumes inde evasérunt, atque in álias terras peragrántes Jesu Christi evangélium plúribus attulérunt. Fuit in iis Thégulus, ceu omni antiquitáte relátum est, qui Eporédiæ alpes pétiit, ac deínde per subalpínas regiónes multis Christianórum fidem ingéssit. Fertur ille piam ádeo duxísse vitam, ut solo córpore deténtus in terris corde et ánimo conversarétur in cœlis. A Cæsariánis demum non longe ab Eporédia deprehénsus quod firmíssime idóla spérneret, divinámque prædicáret religiónem martyrii palmam assecútus est. Ejus proptérea nomen mansit gloriósum, quamquam ipsíus corpus diu latuísset. Demum supérna revelatióne a beáto Veremúndo Epíscopo invéntum, célebri pompa in majus Eporédiæ templum translátum est, ubi peculiári religióne cólitur. Quum cives Théguli opem crebre sint expérti, præsértim crassánte lue, ipsum uti patrónum habent, ejúsque solémnia hac translatiónis die celebrántur.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus diem judícii. *de Communi iij. loco.*

DIE XXVI. OCTOBR.

B. Thaddæi Machar

Episc. Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia. (*m. t. v.*)

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui hanc sanctam Ecclésiam beáti Thaddæi óbitu et miráculis illustráre dignátus es : concéde propítius ; ut cujus hospítio et cinéribus gloriámur in terris, ejúsdem societátis et glóriæ partícipes

esse mereámur in cœlis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

THaddæus nobilíssima MacCartheórum família ortus est médio sæculo décimo quinto in agro Corcagiénsi in Momónia, Austráli Hibérniæ província, ejúsque majóribus accensétur ínclytus princeps Cormácus, hábitu quidem rex, sed ánimo discípulus, patrónus et amícus beáti Malachíæ, de quo laus est apud sanctum Bernárdum. Egrégiam sortítus ánimi índolem, ab ineúnte ætáte óptimis móribus institútus, studiórum vix eménsus currículum, despéctis mundi illécebris, clericáli milítiæ nomen dedit. Quum ejus doctrínæ, pietátis, atque insígnium virtútum fama longe latéque in dies increbrésceret a Summo Pontífice Xisto quarto, júvenis adhuc sed sanctitátis splendóre corúscus, Ecclésiæ Rosséensis regímini præféctus, apud Apostólicam Sedem episcopális consecratiónis múnere est auctus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

FActus forma gregis ex ánimo, Ecclésiæ sibi commíssæ sanctíssime præfuit, verbi Dei prædicatióne, religiónis stúdio, animárum zelo óptimi pastóris laudem apud suos obtínuit. Sed magna obórta reipúblicæ perturbatióne, in qua diu de régio Angliæ sólio ácriter dimicátum est, Thaddæus e sede sua primum exturbátur; mox æmulórum ártibus apud Apostólicam Sedem accusátus, imméritas pœnas sine queréla patientíssime tulit, ut ejus virtus ad lydium tribulatiónis lápidem probáta in acerbíssimis dolóribus perferéndis brevi nitidióri lúmine effúlserit. Attamen non multo post Thaddæi est innocéntia compérta, ejusdémque sánctitas co-

ram Innocéntio octávo Pontífice máximo ádeo elúxit, ut ipse Póntifex non modo illum in prístinos honóres restitúere, sed ad majóra vocáre proposúerit; unde nec mínime cogitántem ad Ecclésias Corcagiénsem et Cloynénsem, magnísque benefíciis cumulátum destinávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

DUum vero ob potentiórum rapáces ausus bonis et júribus suæ Ecclésiæ, magno animárum detriménto prohíbitus esset, paupérrimo cultu et peregríni hábitu Romam pétiit, et Apostolórum límina venerátus, Christi Vicário causam suam détulit, qui eum benigníssime compléxus, amplíssimis datis lítteris, in ecclesiásticæ libertátis osóres severíssime animadvértit. Dum in pátriam remeáret, quum Eporédiæ apud Subalpínos substitisset, pauper et incógnitus in hospítio peregrinórum excéptus est, ibíque ærúmnis et labóribus fractus, itineribúsque deféssus, cœlo matúrus ánimam Deo réddidit, nono Kaléndas Novémbris, anno millésimo quadringentésimo nonagésimo secúndo, ætátis suæ trigésimo séptimo. Ejus óbitum mire corúscans flamma cœlitus demíssa decorávit; reique novitátis permótus Eporediénsis Antístes, comitánte clero, ingénti fidélium turma stipátus, sacrum ejus corpus solémni pompa per urbem circúmtulit, et in Cathedráli ecclésia, suis ipse mánibus sub altári compósuit. Insígnem servi sui sanctitátem, multis quæ ad ejus túmulum patráta sunt mirículis Deus testátam vóluit, cultúmque ab immemorábili témpore ei delátum Leo tertiusdécimus Póntifex máximus rite probávit et confirmávit. ℟. Iste est.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum persequéntur vos in civi-

táte ista fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Epíscopi.

In Apolog. de fuga sua.

IN lege præcéptum erat ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : Cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem prophétam, consisténtem in loco sancto (qui legit intélligat) tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.

HÆC cum scirent sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in sanctis : et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indígnum putávit, cum quærerétur quemádmodum et nos, abscóndere se; et cum persecutiónem paterétur, fúgere et insídias declináre : cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dómi-

nus vester ventúrus sit. —Et vos. Glória. Et vos.

Lectio ix. de S. Evaristo ut in Brev.

DIE III. NOVEMBRIS.

S. Benigni *Presb. et Mart. Duplex.*

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

SAncti Mártyris tui Benígni mérita nos, Dómine, pretiósa tueántur, in quibus tuæ majestátis ópera prædicántes, et præsens capiámus adjutórium et futúrum. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occur.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEnígnus Présbyter a beáto Polycárpo Epíscopo, véteri perhibénte traditióne, in Gállias ab Oriénte cum Andóchio compresbytero, Thirso, et Andéolo diacónibus diréctus, quum Lugdúnum pervenísset, a Zacharía Epíscopo Irenæi mártyris successóre summo caritátis stúdio excéptus est, ab eóque excitátus, ut per regiónes ámbulans Minister Jesu Christi in géntibus esset, fírmiter testíficans Evangélium Dei. Hinc ígitur discédens, ad Augustodunénsem properávit urbem, ibique Symphoriánum Fausti cujúsdam nóbilis viri fílium, qui martyrio deínde consummátus est, Andóchio suscipiénte, baptizávit. Quod quum intellexísset Leonílla ejúsdem Fausti soror Lingónicæ urbis matróna, Benígnum hospítio invitávit eníxeque rogávit, ut tres ex fílio nepótes salutáribus aquis laváret, quos fertur et ipsos non multo post martyrii palmam pro Christi nómine assecútos fuísse. Tandem dum longe, latéque religiónis ac fervóre spíritus plenus verbum Dei annunciáret Diviónem redit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

INterim Marco Aurélio, ob Germánicam expeditiónem in Gálliis agénte,

quum gravíssimi in christiános persecutiónum motus concitáti essent, Teréntius castro Diviononénsi præféctus Benígnum perquíri, et in cárcerem cónjici jussit. Imminénte vero salutáris passiónis die coram furénte præside statúitur, accusationibúsque impétitus, divína opitulánte grátia, álacri ánimo regem suum Jesum Christum verum Deum esse certa ratióne públice protestátus est. Quo facto impiíssimus Teréntius diabólica face succénsum Benígnum per trocheléas exténdi, subulísque decem in dígitis pungi aliísque torméntis afflígi, tandem collum ejus vecte férreo tundi, et corpus láncea confódi immaníssime præcépit. Hoc ígitur pacto vir, qui toto vitæ témpore suæ in Christum fídei absolutíssimum quoddam et venerábile exémplum éxstitit, instar nóbilis athlétæ illústri martyrio exornátus sempitérnam corónam accépit. Venit deínde sancta Leonílla, et cónditum aromátibus corpus non longe ab ipso cárcere sepelívit, ejúsque natális diéi memória Kaléndis Novémbris recólitur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

CUM vero in prænóbili quodam sarcóphago sacrum Mártyris corpus repósitum fuísset, beátus Gregórius Turonénsium Antístes narrat invaluísse opiniónem quiéscere fortásse in eo gentílis cujúsdam poténtis viri cadáver; rústicos tamen majórum suórum pietátis non oblítos sæpe in cryptam descéndere sólitos, ibique vota nuncupántes, quæ petébant, ab omnipoténti Deo per Jesum Christum se obtinére dicébant; quod cum Gregórius Lingonénsis Epíscopus superstitiónis osor máxime detestarétur, ab ipso Dei teste Benígno per visum admónitus est, ne débitis eum priváret offíciis. Qua visióne concússus et ipse venerabún-

dus sepúlcrum solémniter ádiit, locúmque tanto prosecútus est cultu, ut super cryptam illam basílicam ædificári jússerit, et monastérium adjécerit, cui Eustádium virum sanctíssimum præfecit. Hinc oríginem sumpsit célebre Divionénse sancti Benígni ascetérium, in quo ordinátus est abbas sanctus ille Guliélmus natióne Italus; qui constrúctis pene quadragínta monastériis, quum ad pátriam aliquándo revertísset, Fructuariénse hoc ádeo illústre cœnóbium sub beáti Benedícti régula, quam ipse a sancto Májolo abbáte in Cluniacénsi monastério didícerat, in patérno rure Deo in honórem sancti Benígni mártyris ædificávit.

℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

QUÆ ista divísio est? Inter prima enim legis præcépta accípimus : honóra patrem tuum, et matrem tuam : et ipse Dóminus ait : pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici, ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas impietáti præferrétur. Ubíque ódia, ubíque bella et gládius Dómini, inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desæviens.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

GLádius telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis, et judícii sevéritas, et ani-

madvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in Prophétis auctóritas est. Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio : qui gládius missus in terram est, idest, prædicátio ejus hóminum córdibus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca : quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére, et intérior et extérior, idest, et corpus, et ánima in spíritu novitátis gaudébit.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória. Qui.

Lectio ix.

CErgit deínde eódem præceptórum, et intelligéntiæ decúrsu. Nam posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit : qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus : qua qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis et concupiscéntia. Et indígnus est Christo, qui non crucem, in qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc Sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.

DIE V. NOVEMBRIS.

S. Malachiæ

Episc. et Conf. Semid.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

Oratio.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut beáti Malachíæ Confessóris tui atque Pontíficis adjuvémur méritis, cujus instrúimur exémplis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAlachías in Hibérnia natus paréntes hábuit, ut génere et poténtia, sic virtúte nóbiles

A pueritia, pietáte et lítteris erudítus, quia ecclésias frequentáre propter stúdia nondum póterat, leváre puras manus in omni loco satagébat. Adoléscens jugum Christi ferre dídicit sed diáconus, invíte licet ordinátus, ad omne pietátis opus, mórtuos páuperes sepeliéndo, se accínxit. Non multo post sacérdos factus vices epíscopi sibi commíssas diligénter administrávit : indefésse verbum Dei prædicávit, véteres superstitiónes abolévit, et ritus ecclesiásticos instítuit. Zelo divíni cultus incénsus, Malcum Lesmorénsem Epíscopum ádiit, ut de ipsis rítibus Ecclésiæ plénius instruerétur : ubi regi Momóniæ, qui sceptro depósito vitam solitáriam elégerat, tráditus in magístrum, sorórem purgatórii pœnis laborántem précibus suis liberávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim.

Lectio v.

Revocátus a Lesmor, monastérium Benchorénse a pirátis destrúctum restítuit, et illi aliquándiu in omni sanctitáte et justítia præfuit. Consecrátus Epíscopus tantum labóre, oratióne, et vigíliis profécit, ut, vexátus licet úndique, plebem illam a pravis sénsibus ad Christiános mores convérterit : ædificántur ecclésiæ, ordinátur clerus, Sacramentórum solémnia celebrántur. Totíus Hibérniæ Primas ordinátus, episcopátum in duas partes distínxit : relícta sede própria, Dunum ipse se cóntulit, ubi famíliam regulárium clericórum de fíliis suis instítuit, et rigórem disciplínæ monásticæ cum ministériis ecclesiásticis temperávit. Romam proféctus, ut pállii usum impetráret, ab Innocéntio secúndo Summo Pontífice benígne suscéptus est : neque tamen in Claravallénsi monastério vivéndi facultátem quam ab eo pétiit, impetrávit; sed per univérsam Hibérniam legátus ab eódem Summo Pontífice constitúitur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

AD suos revérsus, factus ipse forma gregis sine próprio vixit : nec quidquam redítuum, sive ecclesiasticárum, sive seculárium in ipso episcopátu obtínuit. Domum própriam non hábuit, sed ecclésias incessánter circuívit, Evangélio sérviens, et de Evangélio vivens. Intérdum si quiéscere oportéret, in sanctis manébat locis, commúni mensa conténtus et vita. Miraculórum génere omni cláruit : prophétiæ spíritu insígnis, mortis suæ locum et diem ipse prædíxit. Romam secúndo profectúrus, ad Claramvállem accéssit : ubi febri corréptus, úngitur óleo sacro; et sumpto viático, fratrum se oratiónibus, et fratres commendans Deo, vivénti simílior móritur, anno ætátis quinquagésimo quarto. Sepelítur in oratório beátæ Maríæ, anno Christi millésimo centésimo quadragésimo octávo, quarto Nonas Novémbris. ℟. Iste.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxiv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

In transitu S. Malachiæ Ep. Sermo ij.

LIquet dilectíssimi, quod dum in córpore retinémur, peregrinámur a Dómino : ac per hoc luctum magis, quam gáudium miserándum nobis indícit exsílium, et consciéntia delictórum. Quia tamen Apostólico ore gaudére cum gaudéntibus admonémur, in omnem nos suscitári lætítiam, tempus, et causa requírit. Nam si vere, quod Prophéta sentit : exsúltant justi in conspéctu Dei, exsúltat sine dúbio Malachías, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus. In

sanctitáte, et justítia coram ipso ministrávit; plácuit ministérium, plácuit minister. Quid ni placúerit? Pósuit sine sumptu Evangélium, replévit Evangélio pátriam, suórum máxime ferálem edómuit barbáriem Hibernórum; levi jugo Christi gládio spíritus éxteras súbdidit natiónes, usque ad extréma terræ restítuens hereditátem suam illi. O ministérium fructuósum! O ministérium fidélem!

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.

QUod opus pietátis prætériit Malachías? Pauper sibi, sed dives paupéribus erat; pater orphanórum, marítus viduárum, patrónus éxstitit oppressórum, hílaris dator, petítor rarus, accéptor verecúndus. Pacis reformándæ inter discordántes fuit illi cura máxima, et efficácia multa. Quis æque pius ad compatiéndum, ad subveniéndum promptus, ad corripiéndum liber? Nam et zelans erat, nec déerat sciéntia zeli ipsíus moderátrix. Et quidem infírmus infírmis, sed nihilóminus poténtibus potens, supérbis resistébat, et tyránnos verberábat, regum magíster et príncipum. Quanta audívimus et cognóvimus de zelo viri, et ultióne inimicórum, cum tamen esset suávis, et mitis, et multæ misericórdiæ ómnibus necessitátem patiéntibus! Qui quasi unus ómnium parens vivébat ómnibus, quasi gallína pullos suos sic fovébat omnes, et in velaménto alárum suárum protegébat. Non sexus, non ætas, non condítio discernebátur, aut persóna : déerat némini, expánso ómnibus grémio pietátis.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

DE quacúmque tribulatióne clamarétur ad eum, própriam reputábat, nisi quod in sua pátiens, in aliéna compátiens erat, plerúmque et impátiens. Nonnúmquam síquidem replétus zelo pro áliis in álios movebátur, ut erípiens ínopes, et répri mens fortes, consúleret proínde ómnibus in salútem. Itaque irascebátur, sed ne irascéndo peccáret, juxta illud de Psalmo : irascímini, et nolíte peccáre; non ira illi, sed ipse ánimo dominabátur. Magna illi tamen in hoc quam in cunctis utriúsque hóminis sui mótibus regéndis, vel cohibéndis, censúræ diligéntia, et circumspéctio multa. Non enim in ómnibus intendébat, ut se solum expóneret, solum curæ excíperet generáli : erat et sui sollícitus. Seípsum custodiébat. Ita dénique totus suus, et totus ómnium erat, ut nec cáritas a custódia sui, nec propríetas ab utilitáte commúni eum impedíre, vel retardáre in áliquo viderétur. Si vidéres hóminem médiis immérsum turbis, et implícitum curis, díceres pátriæ natum, non sibi. Si vidéres hóminem solum et secum habitántem, putáres soli Deo vívere, et sibi. Sine turbatióne versabátur in turbis : sine ótio tempus, quod ótio déderat, transigébat. Quómodo otiósus, qui exercebátur in justificatiónibus Dómini? Nam etsi habébat tempus líberum a necessitátibus plébium, non tamen a sanctis meditatiónibus feriátum, non orándi stúdio, non ipso ótio contemplándi. Pro hujúsmodi ergo diléctus Deo, et homínibus, non immérito hódie Malachías in consórtio Angelórum recípitur, re adéptus quod nómine dicebátur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritáte quam nómine; sed nunc felícius gloriósi in eo interpretátio nóminis adimplétur, quando pari cum Angelis glória et felicitáte lætátur. Te Deum.

DIE XX. NOVEMBR.
SS. Solutoris, Adventoris, et Octavii *Martyrum. Duplex.*

Omnia de Communi

plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus qui per beátos Mártyres Solutórem, Adventórem, et Octávium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es; concéde propítius ut eórum muníti præsídio, fídei constántiam imitémur, et temporálibus numquam destituámur auxíliis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MUlta et magna sunt quæ de sanctórum Mártyrum Solutóris, Adventóris et Octávii certamínibus débeant Christianórum méntibus imitánda próponi. Nam seniórum traditióne compértum est beátos Mártyres ex illa fuísse gloriosíssima sanctórum Agaunénsium Thæbeórum legióne, de quibus nullus omníno périit, dum nullus evásit Martyrium. Enímvero multi ex ipsa, quando Maximiáni jussu semel iterúmque décimus eórum quisque várie tortus et excruciátus fuit, atque univérsi persecutiónes passi sunt, gladiatórum manus evasísse referúntur, quibus per divérsa dispérsis, quam plúrimas regiónes Christus Dóminus ad religiónem cóndere dignátus est, ac patrocíniis decoráre sanctórum. Ex quibus Solútor, Advéntor, et Octávius sicut propinquitáte víscerum tenebántur, ita et vínculo caritátis, et fídei, quo in Christo pollébant, unánimes permansérunt ut pares essent fide, pares palma martyrii.

. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

QUI persecutórum fugiéntes ferocitátem, quum ad Taurinénsem perveníssent urbem, illic repérti sunt, ac tenti a satellítibus : et ultra torréntem, qui éminus a muris fluit ci-

vitátis in Christi fidem perseverántes, ejúsque nomen cum magna exsultatióne confiténtes Advéntor, et Octávius gládio interfécti pretiósum sánguinem gloriósa morte fudérunt. Solútor vero ætáte június, et gressu velócior, licet ictu lánceæ jam vulnerátus cursu rapidíssimo e mánibus persecutórum evásit, et usque Eporédiam perréxit, seque ábdidit in crypta, ubi ædes arénæ videbántur ópere magnífico. At próditus a quodam párvulo, comprehénsus est ab iísdem persecutóribus, et procul ab ipsa aréna juxta flúvium Duria nuncupátum in palústribus locis perdúctus, dum Christiánum se plena voce confiterétur super quemdam lápidem decollátus est, cujus sánguinis gloriosíssimus cruor manifésto indício usque ad præséntem diem pérmanet, ibique Ecclésia super ædificáta, virtútum, ac sanitátum operatiónes indesinénter divínitus exercéntur.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

Martyris corpus venerábilis múlier Juliána operíri curávit, et quum a satellítibus didicísset et Adventórem, et Octávium in território Taurinénsi fuísse interféctos, Solutóris corpus in quadrígæ suæ levans vehículum ad Taurinénsem pérgere civitátem noctúrnis horis properávit, et absque ullo obstáculo felíci profectióne ad beatórum Adventóris et Octávii locum martyrii perdúxit. Quorum sacratíssima membra cum omni veneratióne jungens exúviis Solutóris, in álteram partem tránstulit civitátis, et illic sepelívit : atque in eórum honórem ibidem céllulam constrúxit oratóriam, sibi in próximo memóriam sepultúræ conjúngens. Illam vero Victor sæculo quinto Taurinénsis Antístes amplióri spátio, ac miro ópere decóram basílicam cum átrio ædificávit; cui decimoséxto sæculo dírutæ, miríficum templum mé-

dia fere in civitáte sufféctum fuit a sanctis Martyribus nuncupátum, ubi ad ipsórum virtútes universárum provinciárum pópuli natále Mártyrum celebrántes quotánnis convéniunt, et illórum benefíciis perfruéntes, ac devotiónis cultu eorúmdem prœmia adépti gratulántur. Plura quoque templa in honórem sancti Solutóris Eporediénsi in Diœcési Deo dicáta sunt, ibique locus, ac vestígia martyrii singulári veneratióne colúntur, et ipse uti Patrónus invocátur.

℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore dixit Jesus discípulis suis : cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Epíscopi.

IN lege præcéptum erat, ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud Verbum Patris, quod Moysi ántea locútum fúerat rursus hoc præcéptum dedit : cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit, cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consisténtem in loco sancto (qui legit, intélligat), tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes, et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua, et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

HÆC cum scirent Sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éa-

dem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in Sanctis; et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum propter nos homo factum non indígnum putávit, cum quærerétur, quemádmodum et nos, abscóndere se, et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre. Cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro se ipsum trádidit insidiántibus.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

At vero sancti hómines, cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent (ab ipso enim et ántea, et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres, ut legítime certárent, fugiébant, et ab ipsis quæsíti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere : sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre et vivificáre, pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis, et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus, cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset.

Te Deum laudámus.

DIE XXVII. NOVEM.

Manifestationis Immac. V. Mariæ a Sacro Numismate. *Duplex majus.*

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXIX. NOVEMB.

S. Leonardi a Portu Mauritio

Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui in obstinátis peccatórum córdibus ad pœniténtiam flecténdis beátum Leonárdum Confessórem tuum ópere ac sermóne poténtem effecísti : da, quæsumus ; ut per ejus preces et mérita e córdibus nostris contritiónis lácrimas elícere valeámus. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LEonárdus in Portu Maurítio ad ora Ligústica Itáliæ ortus est paréntibus pietáte egrégiis pótius, quam génere claris; qui púerum ánimam sortítum bonam, divína favénte grátia, in timóre Dómini omni cura instituérunt. Mirándum erat eum in templo vel domi vidére et audíre, sive férvidas ad Deum effúndere preces, sive hortári coætáneos ad religiónis aliarúmque virtútum ópera exercénda. Adoléscens studiórum causa Romam missus ad instar novi síderis in Gregoriáno Collégio tum litterárum ac scientiárum proféctu, tum potíssimum vitæ sanctitáte effúlsit. Jam de virtúte in virtútem quotídie magis progrédiens, ut intímius Deo inservíret ac proximórum utilitáti vacáret, de religióso institúto amplecténdo cogitávit. Et licet pátruus pro víribus nitetétur, ut hunc nepótem ápprime carum ab hujúsmodi consílio retráheret, ipse tamen, ejúsdem blandítiis minísque posthábitis, fratrum Minórum excalceatórum rigidióris observántiæ consórtio cooptári obtínuit, eórum præsértim modéstia captus, ac extréma paupertáte.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

A Primo tyrocínio, et, quoad in eo supérfuit vitæ anhélitus, nil hábuit antíquius, quam ut Seráphici Patris exémpla perfectíssime imitarétur, præsértim cum vix ac cléricus efféctus, desidério incénsus fuit migrándi in bárbaras terras, ut sánguinem suum profúnderet ad infidélium ánimas Christo lucrándas. Verum divínæ providéntiæ consíliis ánimum compónens suum, disciplínas theológicas sédulo excólere satégit, ut ad omne opus bonum instrúctus foret. Sacris deínde ordínibus initiátus, ac sacerdotáli charactére insignítus, prótinus in cultíssimis étiam Itáliæ úrbibus evangélii præcónis múnere fungi cœpit. Apostólicam vivéndi formam secútus, única conténtus túnica atque abjéctis cálceis, quamvis ténui esset corpúsculo, tamen perículis, difficultátibus, asperitátibus laboribúsque haud fractum se unquam sensit. Sic réliquam vitam per annos quátuor supra quadragínta strénue impéndit, cum ingénti ubíque animárum lucro et religiónis increménto.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.— Et.

Lectio vj.

Imménsa porro fuit populórum ad eum audiéndum frequéntia, et innumerábiles conversiónes inde subsecútæ. Ipsa enim sáxea ac férrea corda, eo audíto, veheménter scindebántur ad pœniténtiam tum ob miram sermónis efficáciam, ac ardentíssimum loquéntis zelum, tum præsértim ob præcláram ejus vitæ sanctimóniam, quæ suavíssimum Christi odórem ubíque efflábat. Sénio tandem ac innúmeris labóribus consúmptus, cum Summo Pontífici Benedícto décimo quarto fidem dedísset núllibi se nisi Romæ moritúrum, in almam hanc Urbem rédiens e Bononiénsi missióne, morbo tentári cœpit, quo sibi brevi decedéndum esse palam edíxit. Cum ígitur sancti Bonaventúræ cœ-

nóbium ingréssus esset, íllico Ecclésiæ sacraméntis muníri vóluit, quibus admirábili fervóre atque inexplébili ánimi gáudio suscéptis, placidíssime in Dómini ósculo quiévit. Leonárdi óbitum plúrima secúta sunt prodígia, quibus rite probátis, a Pio sexto Pontífice Máximo idem inter beátos cœlites adnumerátus est. Novis deínde cum coruscáre cœpísset signis, tandem Pius nonus Póntifex máximus præclaríssimum hunc verbi Dei præcónem Sanctórum catálogo accénsuit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus et Salvátor. *de Comm. Evangelistarum, cum* ℟℟. *de Comm. Conf. non Pont.*

DIE I. DECEMBRIS.

S. Bessi

Mart. Epor. Comp.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart. præter seq.

Oratio.

Ræsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Bessi Mártyris tui patrocínio suffúlti, discámus mundi oblectaménta despícere, ac pótius ómnia pérpeti mala quam ánimæ detriméntum. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres. *de Communi plur. Mart. cum* ℟℟. *de Comm. unius Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Essus, ceu ab antíquis tempóribus est tráditum, e Thebæórum legióne fuit, quæ felix atque angélica nuncupáta est, et ex qua nullus omníno périit, dum nullus evásit Martyrium. Hanc Maximiánus ab Oriénte adscíverat ad Bagáudos coercéndos, qui ab império descíverant, éaque viris constábat in rebus béllicis strénuis, et christiána religióne præcípuis. Verum Maximiánus ipse barbarórum ferme óblitus, hos sicut céteros mílites ad dilaniándos Christiános hómines destinávit. Sed Thebæa légio fácinus detestáta in Agaunénsibus angústiis súbstitit. Quod dum rescivísset Maximiánus semel, atque íterum décimum quemque e legióne ipsa gládio feríri jussit, edixítque simul ut ad persequéndos Christi

fidéles réliqui omníno adigeréntur.

℟. Honéstum. 49.

Lectio v.

Attamen pia légio commilitónum cæde mínime commóta palam proféssa est se ignem, torménta, ferrum subíre parátam. Tunc Maximiánus ira pércitus, omnes simul intérfici jussit. Sed Thebæi mílites neque loci munitióne, neque suo número, neque armis eláti, uti grex dominicárum óvium, laniári se tamquam ab irruéntibus lupis sunt passi. Haud vero omnes ea tempestáte periére; quum nonnúlli incólumes eváserint sive divína ope, sive quod a castris tunc áberant. Hosce Deus ad iterátum fídei certámen relíquit,quos inter Bessus, uti seniórum traditióne compértum.

℟. Desidérium. 50.

Lectio vj.

Bessus ítaque, sícuti memóriæ próditum est, ad Suanénsium vallem confúgit, quæ Dúriam inter et Orcum jacet in Eporediénsi Diœcési, ibique Christi fidem disseminávit. Demum pro eádem fide Martyrium súbiit in monte Fauténio in fínibus Campíliæ. Primum síquidem, uti fertur, e rupe dejéctus, subínde glá-dio jugulátus est. Subest in ipso monte specus, in quo exstat sacéllum a priscis tempóribus eídem Mártyri nuncupátum, ibique corpus ejus diu jácuit. Lapis étiam íbidem cérnitur, in quo Bessus sua vestígia impressísse dícitur; et ad idem sacéllum quotánnis finítimi pópuli religióse concúrrunt. Póstea ejúsdem Mártyris fama per inférius Canapítium diffúsa, Eugéniæ in ejus honórem ædes sacra erécta est, eóque ipsíus delátæ exúviæ ubi duóbus ferme sæculis fuére. Hæ demum ineúnte sæculo undécimo célebri pompa ad majus Eporédiæ templum dedúctæ sunt, ejúsque urbis Compatrónus adléctus est Bessus, et solémni ritu cultus. Hujus Mártyris præséntem opem Eporédia sæpe expérta est.

℟. Stola.

In iij. Nocturno Homilia. Si considerémus. *de Communi unius Mart. j. loco.*

SUFFRAGIA SANCTORUM.

De Ss. Sabino, Besso et Thegulo, *Mart.*

Ad Vesp. Aña. Mártyres Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos Mártyres Sabínum, Bessum et Thégulum fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Ad Laud. Aña. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

℣. Exsúltent. *ut supra.*

Oratio.

PRopitiáre nobis quæsumus, Dómine, fámulis tuis, per horum sanctórum Mártyrum tuórum Sabíni, Bessi et Théguli, qui in præsénti requiéscunt ecclésia, mérita gloriósa, ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper muniámur advérsis.

De omnibus Sanctis.

Ad Vesp. Aña. Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte Justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Vel ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Vel ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio.

DEus, qui nos concédis ómnium Sanctórum tuórum memóriam ágere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Aña et ℣. ut ad Vesp.

Oratio.

INfirmitátem et fragilitátem nostram, quæsumus, Dómine, propítius réspice, et mala ómnia, quæ juste merémur, ómnium Sanctórum tuórum intercessióne, avérte.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 2 Aprilis 1901.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.



Typis Societatis S. Joannis Evang. —Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
Dioeceseos Nucerinae.

PARS HIEMALIS.

DIE XXVII. NOVEMB.
(D. a. ex heri.)

S. Leonardi a Portu Mauritio

Conf. Dupl.

Oratio.

DEus, qui ad obstináta peccatórum corda per evangélicam prædicatiónem ad pœniténtiam flecténda, beátum Leonárdum Confessórem tuum admirábili sanctitáte, et invícto dicéndi robóre suscitásti: da quæsumus, ut contritiónis lácrymas, ad quas ob durítiam cordis nostri sine te promovéri non póssumus, per ejus preces, ac mérita consequámur. Per Dóminum.

DIE XXVIII. NOVEMB.

S. Jacobi de Marchia

Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis hac die.

Oratio.

DEus, qui ad animárum salútem, et peccatóres e vitiórum cœno ad viam virtútis revocándos, beátum Jacóbum Confessórem tuum Evangélii præcónem exímium effecísti: concéde propítius, ut ejus intercessióne a peccátis ómnibus expiáti, vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Jacóbus Monte Prandóno Picéni óppido, in diœcési Asculána, piis paréntibus natus, ab ipsa pueritia bonárum ártium et litterárum stúdia magna cum pietáte conjúnxit. Adoléscens mundi vanitátem cógitans, Carthusianórum institúto nomen dare constitúerat : Deo tamen, qui eum ad animárum salútem, et fídei propagatiónem destináverat, ducénte, Minórum famíliam ingréssus est. In ipso tirocínio, quod in cœnóbio Cárcerum apud Assísium pósuit, obediéntia, paupertáte, ceterísque virtútibus ita excélluit, ut religiósæ perfectiónis exémplar absolutíssimum ab ómnibus haberétur. Virginitátem perpétuo illibátam servávit, trium horárum somno conténtus, réliquam noctem divínis in láudibus, cruéntis flagellatiónibus rerúmque cœléstium contemplatióne transigébat. Lorícam férream supra nudas carnes annis gestávit prope vigínti, quam póstea jussu sacerdótis, qui ejus confessiónes excipiébat, cilício aspérrimo commutávit. Semel in die pane et aqua vescebátur, ádditis raro crudis fabis herbísque silvéstribus obsónii loco. Quam duríssimam vivéndi ratiónem ténuit, donec ætáte provéctum, et ob assíduos labóres mala afféctum valetúdine, ut mítius aliquándo secum ágeret, sancti Bernardíni Senénsis auctóritas ímpulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Sacérdos factus, et ad munus conciónandi deléctus, vivo et efficáci sermóne flagítia hóminum constánter et líbere increpábat : nec viros nóbiles ac poténtes reprehéndere est véritus, si quos crimínibus irretítos offendísset; tantúsque fiébat ad eum audiéndum concúrsus, ut cum frequéntiam cápere

vel magna templa non possent, in platéis atque áreis suggésta érigi passim oportéret. Hinc imperatóres, reges et Præsules amplíssimi certátim apud se eum concionántem habére voluérunt. Medioláni de Magdalénæ lácrymis dicens, sex et trigínta impudícas mulíeres a turpi quæstu avocávit, quibus étiam pecúnia corrogáta ad pie vivéndum domicílium exstrúxit. Tum Sfórtia duce ac cívibus veheménter instántibus, ut archiepiscopále munus suscíperet, eam dignitátem constantíssime recusávit. Bis centéna infidélium míllia baptísmi lavácro tinxísse, et in Hungária brevi témpore quinquagínta hæreticórum míllia ad Ecclésiæ sinum reduxísse fertur. In Itália nequíssimam Fraticellórum sectam, íterum ac tértio reviviscéntem, pénitus exstínxit. Ferrariénsi concílio, quod póstea Floréntiam translátum fuit, intérfuit. Sigismúndum et Albértum imperatóres in máximis regni difficultátibus, præsértim vero in expeditióne in Turcas promovénda, et hæréticis debellándis, consílio et ópera adjúvit. Sancto Joánni a Capistráno sacri sociális belli advérsus Turcas, pontifíciæ legatiónis consiliário in Hungária defúncto suffécțus fuit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

MArtíni quinti, Eugénii quarti, Nicolái quinti, Callísti tértii, Pii secúndi, Pauli item secúndi et Sixti quarti contra hæréticos Fraticéllos, Manichæos redivívos, Paterénos, Hussítas, Taborítas legatiónibus functus est. Quibus in expeditiónibus Itáliam univérsam non semel percucúrrit : Illyricum tértio, Pannóniam, Sarmátiam, Bohémiam, finitimásque províncias peragrávit. Tot autem itínera sine sácculo et pera, Apostolórum more pédibus confécit, ope divína únice fretus ; quæ tum máxime pátuit, cum rejéctus a nauta Padum amnem, pállio super aquas instráto, cum sócio per-

tránsiit. Dénique Neápoli, quo Sixti quarti jussu, instánte Ferdinándo rege, proféctus erat, extrémo morbo corréptus, Ecclésiæ sacraméntis rite suscéptis, anno millésimo quadringentésimo septuagésimo sexto, ætátis octogésimo quinto, quarto Kaléndas Decémbris, spíritum Deo réddidit. Multis post óbitum miráculis cláruit, quibus rite cógnitis, Urbánus octávus ejus Officium et Missam ab órdine fratrum Minórum et a clero Neápolis celebrári permísit, quæ Jácóbum inter álios patrónos cooptáverat, Corpus ejus in æde sacra sanctæ Maríæ Novæ incorrúptum adhuc et flexíbile pérmanet. Quod cum Vincéntius Cardinális Ursínus, qui post Benedíctus décimus tértius fuit, suis mánibus contrectáret, et Philíppo quinto Hispániæ regi venerándum offérret, odórem suavíssimum exspiráre compértum est. Idem vero Póntifex anno millésimo septingentésimo vigésimo sexto, Jacóbum novis miráculis coruscántem, in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia de Comm. ij. loco.

DIE V. DECEMBRIS.

(*D. a. ex heri*)

S. Barbaræ

Virg. et Mart. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis ex heri.

DIE X. DECEMBRIS.

Translat. Almæ Domus Lauret.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XVIII. DECEMB.

Exspectat. Partus B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XV. JANUARII.

B. Angeli de Valido Tadino

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beátum Angelum Confessórem tuum in solitúdinem misericórditer deduxísti, et admirábile pœniténtiæ exémplar ef-

fecísti, ejus, quæsumus, intercessióne concéde, ut segregáti a tabernáculis peccatórum, dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Hilarii, Aña. O Doctor. ℣. Elégit *et S. Mauri Aña.* Euge. ℣. Justum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANgelus prope Válidum Nucerínæ Diœcésis in Umbria óppidum humílibus ortus paréntibus, óvibus pascéndis addíctus, bonam sortítus índolem, pietátem impénse cóluit. Grándior factus cum ad iram quandóque excitátus, dira fuísset inconsideráte precátus : in se revérsus, et piáculi gravitátem agnóscens, illud expiáre pœniténtia satégit : quamóbrem sancti Jacóbi Apóstoli exúvias veneratúrus Gallécíam pétiit. In pátriam regréssus, sæculáris vitæ perículis commótus patris, fortunæque bonis valedíxit, et religiósum Camalduléńsium hábitum eníxis précibus impetrávit. Voti compos factus, majórem áppetens perfectiónem, de sui abbátis licéntia erémum conténdit, pervenítque ad locum, qui dícitur Caput Aquæ prope Válidum, ibíque arctíssimam cellam ingréssus est. In ea occlúsus solitáriam vitam ad extrémum usque spíritum duxit. Jejúniis, vigíliis, aliísque asperitátibus carnem suam, ut Christi esset, crucifíxit, cum vítiis, et concupiscéntiis, ánimum vero rerum cœléstium contemplatióne recreábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

ANgelórum pane sæpe réfici consuévit, mórtuus sæculo, ac sibi ipsi : vivo ego, usúrpans Apóstoli verba aiébat, jam non ego, vivit vero in me Christus : vita mea est

abscóndita cum Christo in Deo. Cum talis miles Angelus evasísset, váriis eum antíquus hostis aggréditur insídiis : quas tamen Deo fretus fórtiter superávit. Epíscopus Nucerinus Angeli vitæ ratiónem, quem hypócritam injúria vocábant, probávit, nec non in sancto propósito pastoráli cohortatióne, et benedictióne confirmávit. Amóri in Deum flagrantíssimo caritátem in próximos adjúnxit, præsértim a salútis via aberrántes, quorum plúrimos verbo, exémplo, prece Christo lucrifécit. Prophetíæ, ac miraculórum dono fuit illústris, inter quæ illud célebre, quod cujúsdam júvenis falsi críminis incusáti, propstereáque cápite damnáti innocéntiam, cerasórum canístro hybérno témpore júdici id múneris irónice postulánti, transmísso patefécerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Meritis tandem cumulátus quintum supra quinquagésimum círciter annum agens, décimo octávo Kaléndas Februárii pretiósam mortem in Dómino oppétiit, quam nonnúllis miráculis Deum manifestásse fertur. Cum lácrymis, cánticis, ac lumináribus clerus, populúsque Validénsis istíus corpus in ecclésiam abbatiálem S. Benedícti detulérunt. Nova signa a Deo patráta in Angeli fúnere narrántur. Sacræ exúviæ honorífico lóculo eádem in ecclésia includúntur, quæ étiam nunc ab immemorábili témpore venerántur, miraculísque corúscant. Apud Validénses, finitimósque magna in veneratióne est, qui ejus opem non raro vário in discrímine præséntem expérti sunt.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Veníte ad me omnes. *de Communi Abbatum ij. loco.*

Lect. ix. de S. Mauro et ejusd. Commem. in Laud. Aña. Similábo. ℣. Amávit.

DIE XXIII. JANUAR.

Desponsationis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXIV. JANUAR.

S. Feliciani

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

In Utrisque Vesperis et Laudibus.

℣. Ora pro nobis sancte Feliciáne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif., *Aña.* Sancte Feliciáne Martyr Dómini pretióse, adésto nostris précibus pius, ac propítius.

Oratio.

DEus, qui beáti Feliciáni Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne christiánæ religiónis sémina fœcundásti : concéde propítius, nos ejus semper patrocínio muníri, cujus salutári doctrína sumus ad veram pietátem institúti. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FEliciánus Fulgíniæ in Umbria oriúndus, a christiánis, et nobílibus Paréntibus in timóre Dei diligénter instrúctus, a pueritia, singulári virtúte, spécimen exhíbuit futúræ sanctitátis. Ingénio pollens, et humanióribus lítteris imbútus, Romam amandátus est, altióribus formándus disciplínis. Pietáti tamen magisquam lítteris addíctus, ecclésias, et loca sacra frequentábat. Eleuthérius Papa, cógnita adolescéntis virtúte, pie cogitávit eum per ecclesiástica rudiménta ad sacerdótii promovére dignitátem. Commíssa ítaque ejus cura Victóri Archidiácono, inter pontifícios educári jussit alúmnos, et veste ornári clericáli. Lítteris demum, et pietáte inter sócios præfulgéntem, Sacerdotáli órdine insignívit, et pátriam remísit, ut concíves, et finitímos pópulos ab erróribus revocáret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :

* Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

INjúnctum sibi munus tanto Feliciánus fídei ardóre exórsus est, ut brevi quamplúrimos ad Christum convérterit, et vitæ sanctimónia ad pietátem excitárit. Decedénte ínterim Epíscopo Fulgináte, fidélium votis, et cleri suffrágio succéssor elígitur : diúque relúctans, tandem a Victóre Papa ejus olim nutritóre Romæ consecrátur: magnísque auctus honóribus, et potestáte accépta, per finitímas províncias prædicándi, et rem ecclesiásticam rite constituéndi, ad destinátam sibi sedem regréditur. Interámnæ prædicatiónem auspicátus, multos Christo lucrifécit : et Valentínum Diáconum, insígnem mox Christi Mártyrem, jubénte Victóre, Epíscopum consecrávit. Spoléti, et quacúmque, per Umbriam præsértim, et Picénum, iter fáceret, multis, magnísque patrátis miráculis, et nonnúllis ecclésiis constrúctis, fidem propagávit. Assísii a Lúcio Flávio præside plúrimis afféctus injúriis, et verbéribus, Urbe pulsus discípulos, quos Christo pepérerat, in húmili tugúrio, doctrína, et cœléstibus prodígiis, in fide confirmávit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

FUlgíniæ demum óptimi Pastóris partes exércens, dum illuc Décius imperátor Persis, Medísque debellátis, pertránsit, apud eum accusátur, quod christiános génere illústres, inter quos erant Abdon, et Sennen Persárum réguli, quos captívos ante rhedam ducébat, in cárcere sæpe visitávit, et christianórum relígio per eum magna percepísset increménta. Comprehénsus ítaque, magnísque largitiónibus, et promíssis frustra tentátus, tandem equúleo suspénsus,

virgis férreis percússus, iísque ignítis adústus, tum nováculis, úngulis férreis, aliísque instruméntis excarnificátus, detrúditur in cárcerem cum prædíctis christiánis Romam in vínculis pertrahéndus. Sed gravi senectúte pressus, atrocibúsque confráctus torméntis, dum ante rhedam addúcitur, haud procul a Fulgínia, génibus flexis, oculísque in cœlum eréctis, ætátis anno nonagésimo quarto, in cœlum migrávit. Sacrum ejus corpus Fulginátes honorífice cónditum, tamquam suæ urbis Patróni, summa prosequúntur veneratióne.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus diem judícii. *de Comm. iij. loco.*

Ad Bened. Aña. O Gemma clara Mártyrum, qui sidus cœli factus es, Feliciáne, quæsumus, sis memor tui mémorum.

DIE XXVIII. JANUAR.

(D. a. ex xxiij. hujus)

S. Raymundi de Pennafort

Conf. Semidupl.

Omnia ut in Breviario die xxiij. Januarii cum Commem. S. Agnetis, et ix. Lectione.

DIE III. FEBRUARII.

S. Blasii

Episc. Mart. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis.

Lectiones ij. Nocturni ibidem ij. loco.

In iij. Noct. Homilia de Communi j. loco.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Josephi a Leonissa *Conf. Duplex.*

Omnia de Communi Confess. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus fidélium remunerátor servórum, qui beátum Joséphum exímium in Evangélica prædicatióne operárium effecísti: ejus, quæsumus, intercessióne concéde, ut a grato tibi servítio nunquam cessémus in terris, et plenam a te mercédem recipiámus in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadr. Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOséphus Leoníssæ in Aprútio piis honestísque paréntibus natus, a pueritia cœpit cla-

rére virtútibus. Nam et certos sibi indíxit jejúnii dies, et in pietátis opéribus máxime delectabátur. Factus adolescéntior obláta sibi óptima conjúgia, castimóniæ sédulus cultor, strénue recusávit, et consanguineórum blandiméntis superátis, Cappuccinórum Institúto nomen dedit. In religióne austeríssimum vitæ genus sectátus est. Aliquándo enim fabárum corruptárum pugíllo, módico pane, eóque múcido, et cœnósa aqua, étiam dum sacris conciónibus óperam daret, vitam transigébat. Sæpe étiam ad sex, et octo dies omni prorsus cibo abstínuit, diris, cruentísque verbéribus, aspérrimo cilício, ferreáque caténa corpus domábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Ardentíssima caritáte, et stúdio dilatándæ christiánæ religiónis accénsus, Constantinópolim proféctus Christi fidélibus in captivitáte degéntibus sédulo opitulabátur. Fídei desertóres reducébat. Nutántes in religióne confirmábat, verbéribus licet, cárcere, et contumóliis vexátus. Quare cum finem verbi Dei disseminándi non fáceret, alta e trabe péndere jussus, manu, pedéque déxtero unco férreo perforátis, fumóque, ut suffocarétur, suppósito, in eo cruciátu Christi athléta tríduo permánsit. Indeque ab Angelo mirabíliter eréptus, sanátis vulnéribus, martyrii mérito cumulátus, in Itáliam revérsus est, ibíque evangelizándis paupéribus cum ingénti animárum lucro totus incúbuit. Finitímas regiónes, et famílias factiónibus, ódiis, rixísque prope conféctas, précibus, conciónibus, continénti virtútum exémplo ad tranquillitátem redégit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

LUdos, chóreas, aliósque tum véteres, cum gliscéntes abúsus ácriter insectabátur; illúdque plane admirábile, quod vir Dei neque solis æstu, neque ímbrium vi, neque locórum asperitáte, ægra alióquin, et advérsa sæpe valetúdine præpedítus, sex, et octo eádem die conciónes habúerit. Tot inter apostólici múneris labóres cœléstium contemplatióni addíctus, crebro in écstasim raptus est, divinóque spíritu afflátus, córdium arcána penetráre, et futúra prospícere frequens illi fuit. Grátia étiam miraculórum illústris, Truéntum, exténso super aquas pállio, cum sócio, et Marójam flúvium bis sicco vestígio transívit. Prænunciáta dénique mortis suæ die, Ecclésiæ Sacraméntis reféctus, placidíssime in ósculo Dómini occúbuit. Defúncti corpus præ mácie squálidum, miram íllico venustátem índuit. Cor ejus usque in præsens molle, suavémque spirans odórem summa ómnium admiratióne asservátur. Illum miráculis clarum Clemens duodécimus beátum appellávit, ac Benedíctus décimus quartus solémni pompa Sanctórum cánoni ascrípsit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Perféctus ille est. *de Communi Evangelist.* ℟℟. *vero de Comm. Conf. non Pont.*

DIE IX. FEBRUARII.

S. Raynaldi

Episc. Patroni civit. et diœc. Nuceriæ.

Duplex j. classis. cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Ad Vesperas Añæ. et Capit. de Laudibus.

Hymnus.

QUis tuas digne, Raynálde, laudes
Cóncinat, nostræ cólumen salútis,
Quem sibi legit Nucerína rite
Terra Patrónum?
Sæculi spernens bona blandiéntis
Tendis ad sacros némorum recéssus,
Factus a primis generósus annis
Tránsfuga mundi.
Hic humo stratus gélida, flagéllis

Membra vix parcis dápibus refécta
Edomans, noctis vígiles precándo
Prótrahis horas.
Interim terris ánimo relíctis,
Mente conscéndis súperas ad arces
Sponte ubi cœli tibi tota sese
Régia pandit.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Raynálde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Aña. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, Pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos fámulos tuos sancti Confessóris tui atque Pontíficis Raynáldi virtútum exémplis erudíre voluísti : tríbue, quæsumus, ut ejus patrocínio suffúlti, per viam salútis gradiéntes, ad ætérna gáudia perveníre mereámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Tanta lux autem módio repósta
Débuit cæco mínime recóndi;
Tanta nec virtus médiis latére
Abdita silvis.
Ergo, ut in domo média nitéret
Jussa silvárum látebras relínquit.
Díceris Pastor, meritósque cingit
Infula crines.
Pastor efféctus téneros paréntis
Induis sensus, satagísque primum
Créditos tibi pópulos sacráto
Páscere verbo.
Córporum duros míserans labóres,
Dulce mox affers sédulus levámen
Omnibus, Christo súbigas ut omnes,
Omnia factus.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

In j. Nocturno, Lect. Fidélis sermo. *ut in Comm.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

RAynáldus ex Cómitum Germániæ, qui in Umbria post barbarórum excursiónes ad fines Nucerínæ urbis consséderant, nobilíssima stirpe oriúndus, Neapoleónis fílius, sánguinis splendórem sanctitátis fulgóre superávit. Optimis enim et disciplínis, et móribus vel a prima ætáte erudítus, tantos in sanctórum sciéntia fecit progréssus, ut in ipso juventútis flore divítias, quæ illi affluénter ex amplíssimo património parátæ erant, contémpserit, omnémque mundi fastum calcáverit. Erat non longe a Nucerínis fínibus pósita erémus, in qua multi mónachi institúta sectántes sanctíssimi patriárchæ Benedícti, magnum sanctimóniæ odórem undíque diffundébant. Nominabátur hæc erémus sanctæ Crucis Fontis Avellánæ, quod nomen adhuc rétinet, incolitúrque a mónachis Congregatiónis Camaldulénsis. Eo Raynáldus divíno actus spíritu convolávit, obtinuítque, ut inter mónachos reciperétur. Mirum quantas in hac solitúdine ascensiónes in corde suo disposúerit Raynáldus cui nihil áliud in votis erat, quam ut jejúniis, oratiónibus, ac sacra contemplatióne Deo constánter adhæréret.

℞. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

TAnti viri exímiam virtútem admiráti mónachi, eum ascetérii Priórem éligunt, atque constítuunt; quo múnere sancte ádeo, integréque perfúnctus est, ut non apud suos modo, sed apud éxteros étiam sanctíssimi, ac prudentíssimi viri magnam fúerit opiniónem adéptus. Hac sanctitátis, prudéntiæque fama, qua Raynáldi nomen longe, latéque celebrabátur, permóti clerus, et pópulus Nucerínus, illum sibi Epíscopum, Hugóne mórtuo, non sine singulári Dei

providéntia, atque afflátu postulárunt, assentiénte et probánte Honório tértio Románo Pontífice. Ægre quidem avélli se passus est a sua solitúdine, et ab ampléxu quiétis, contemplationísque; húmeros tamen, ne divínæ obsísteret voluntáti, pastoráli óneri vel ínvitus suppósuit. Quam inter mónachos suscéperat vivéndi ratiónem, eámdem in Episcopáli dignitáte retínuit. Benígnus áliis, sibi sevérus, ténui, vulgaríque victu, ac paupérrima supelléctile conténtus, ne léctulum quidem sibi a fámulis sterni patiebátur; totúmque ferme noctis tempus in oratióne, rerúmque divinárum contemplatióne insúmens, cum somno opprimerétur, aut humi cubábat, aut supra mensam. Egénos, víduas, pupíllos, órphanos, peregrínos patérna semper caritáte compléxus, in eos erogátum vóluit quidquid honéstæ educatióni, ac vestítui clericórum, suæque famíliæ supérerat. In suis ædibus infántem páuperem paréntibus orbátum patérno afféctu educávit, quem étiam ad mensam quotídie sibi præséntem sistébat, ut Christi páuperis memória in sua, et convivárum mente excitarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Ætérnæ ómnium salútis procurándæ zelo ita flagrábat, ut contrítos corde benigníssime semper excípiens, in peccátis obdurátos severíssima étiam quandóque animadversióne ad pœniténtiam conarétur addúcere. Itaque non mirum, si a probis, piísque homínibus única diligebátur: contra ímprobi, scelestíque eum si ódio habébant, plurimúmque metuébant. Sancti Francísci Assisiénsis amicítiam cóluit, alumnósque ínclyti Ordinis ab eo institúti summo semper amóre est prosequútus. Dénique non tam sénio, quam vigíliis, jejúniis, laboribúsque conféctus, post exáctum in pastorálì múnere triénnium, corpóreis

vínculis solútus ánimam Creatóri suo réddidit quinto idus Februárii, Deo signis mirabílibus ejus sanctitátem declaránte. Sacrum ejus corpus bálsamo cónditum, loculóque inclúsum, canónici, ac clérici cum multa pópuli frequéntia in cathedráli Ǽde, in ejus póstea honórem Deo dicáta, sepeliérunt; ubi post sexcéntos círciter annos ad hodiérnam diem intáctum vísitur, civiúmque veneratióne frequentátur, qui sanctum Epíscopum urbis suæ Patrónum præcípuum et colunt, et experiúntur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Dabo vobis * Pastórem juxta cor meum, et pascet vos sciéntia, et doctrína.

2. Lex veritátis * fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis suis.

3. In pace, * et in æquitáte ambulávit cum Deo, et multos avértit ab iniquitáte.

4. Fecit * quod plácuit Deo, et fortis ivit in viam Patris sui.

5. Osténdit * ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c*

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

LAudis ætérnæ méritis corónis
Ornet ut servum Dóminus fidélem,
Córporis tandem láqueo solútus
Ǽthera scandis.
Factus hinc illi própior beáta
Pace secúrus frúeris, poténsque
Factus es nobis étiam, poténti
Númine fretus.
Quare age, humános míserans labóres
Aspice, et casus vários tuórum,
Quæque nos angunt mala pelle summo
Dexter ab axe.
Si tuas laudes cánimus frequénter,
Si tuas votis cumulámus aras,

Nostra sint tanto bene fulta semper
Vota Patróno.
Nunc age, his nostris précibus vocátus
Prótege hanc Urbem tibi dedicátam,
Et tuos serva, bonus o, cliéntes
Tempus in omne.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Non recédet memória ejus. ℟. Et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

Ad Bened. Aña. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur.

In ij. Vesperis, Añæ et Capit. de Laud., Hymnus ut in j. Vesp.

℣. Méritis, et intercessióne beáti Raynáldi. ℟. Propítius esto Dómine plebi tuæ.

Ad Magnif. Aña. Ecce verus Israelíta, in quo dolus non est. Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.

DIE XII. FEBR.
(*D. a. ex vj. hujus.*)

S. Hyacinthæ de Mariscottis

Virg. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die vj. hujus.

DIE XIII. FEBR.

S. Dominici

Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

AD VESPERAS.

Hymnus.

LÆtáre jam Campánia,
Et unda Liris júbila,
Hymnis sacris Domínico
Sorána, plaude, cívitas.
Qui caritáte sáucius
Amóris ictu cóncidit,
Desérta quærit áspera,
Corpus cruéntat lánguidum.
Ardet beátas ággredi
Apostolórum sémitas,
Præco supérni Núminis
Ubíque pandit glóriam.
Qui fébrium contágia,
Canúmque morsus nóxios,
Venéna quæque, et úlcera,
Morbósque sanat síngulos.
Adésto votis ómnium,

Qui te geméntes ínvocant,
Soræ benígnus cívibus
Opem petítam pórrige.
Simul Cucúllum júgiter,
Nuceriámque prótege;
Supérna dona súpplices
Cunctis, rogámus, ímpetres.
Tu lux perénnis Unitas,
Nobis, beáta Trínitas,
Da per preces Domínici
Vitæ supérnæ múnera.
Amen.

℣. Super áspidem, et basilíscum ambulábis. ℟. Et conculcábis leónem, et dracónem.

Ad Magnif. Aña. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci, et nihil vobis nocébit.

Oratio.

Deus, qui antíquum serpéntem per Fílii tui mortem contérere dignátus es, fac nos, quæsumus, méritis beáti Domínici Abbátis diabólica vitáre contágia, et a cunctis malis imminéntibus liberári. Per eúmdem.

Et fit Commemoratio S. Hyacinthæ, et Octavæ.

Ad Matutin. Hymnus ut in Vesperis.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurrente. In Quadrages. Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Domínicus Fulgínii in Umbria illústri génere natus, a puerílibus ábstinens, ac præcláræ sanctitátis spécimen præferens, a paréntibus monáchis sancti Benedícti in eádem pátria excoléndus tráditur, sub quorum disciplína pietáte, et sciéntia támdiu profécit, ut in sacris initiári merúerit. A Deo ad majóra vocátus, tamquam Abraham a pátria egréssus in Sabínam se cóntulit ad Dionysium Abbátem mira sanctitáte conspícuum, a quo reguléri indútus hábitu, et sancti Benedícti régulam proféssus, monásticæ perfectiónis exémplar ita se exhíbuit, ut commúnem hóminum exspectatiónem superáverit. Ibi aliquándo commorátus solitúdinis, et sanctióris vitæ desidério flagrans, ásperi Sabínæ montis ápicem conscéndit, ubi jejúniis, vigíliis, aliísque córporis afflictatiónibus se exér-

cens, assídua cœléstium meditatióne uni prorsus Deo ab homínibus sejúnctus vacábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

VErum ejus fama sanctitátis ubíque diffúsa, ab Hubérto potentíssimo marchióne, aliísque nobílibus viris eníxe rogátus, ut in eórum terris monachórum cœnóbia exstrúeret, eórum votis acquiéscens, plúribus in locis vária monastéria excitávit, ex quibus ápprime memorábile est, quod império Domínici Petrus Rainérii Soræ dóminus pro suórum críminum satisfactióne in honórem sanctíssimæ Dei Genitrícis juxta Soram constrúxit, eorúmque ómnium, quæ cœnóbio necessária fuíssent, munífica largitióne ditávit. At admirábilis vitæ exémplo non tantum vir Dei clarus éxstitit, verum étiam prodigiórum glória mire refúlsit, uti usque ad hodiérnum diem mirácula crebra testántur. Advérsus nempe grándinem, et tempestátes præcípue illíus implorári patrocínium solet, raro populórum pietátem frustráto succéssu. Invocant ejus quoque, et præséntem experiúntur opem, qui fébribus conflictántur, aut rabidórum morsu canum, ac serpéntum læsi; præsértim loco, qui Cucúlla dícitur, ubi sancti viri dens religióse servátur, ac in eódem território nóxii serpéntes ita prorsus venéno carére noscúntur, ut juxta illud Prophétæ, púeri cum eis tamquam cum agnis lúdere conspiciántur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

TAndem vir sanctus cum verbi Dei prædicatióne plures e vitiórum cœno ad salútis trámitem reduxísset, et per áliquot an-

nos Soráno monastério præfuísset, méritis plenus, et Ecclésiæ sacraméntis rite munítus undécimo Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino anno salútis millésimo trigésimo primo. Post multa vero sæcula, scílicet décimi octávi sæculi inítio Clemens undécimus Póntifex máximus Casamárii, ac Soráni monastérii Abbas olim commendatárius sacrum ejus corpus ex antíquo túmulo in álium pretiósis lapídibus sua profusíssima munificéntia exstrúctum, per Episcopórum manus transférri jussit. Dénique exeúnte sæculo, ne veneránda hæc beáti Domínici Lipsana periclitaréntur, ex templo, in quo asservabántur, amóta ad insígnem collegiátam sanctæ Restitútæ transláta sunt. Sed perículi metu cessánte, illuc, univérso comitánte clero, et pópulo, ingentíque finitimárum géntium multitúdine revécta, sub altári, quo ante quiéverant, die vigésima séptima Aprilis anno millésimo octingentésimo Domínica secúnda post Pascha solémni pompa fuére recóndita.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio dicéntes : Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. iij. *Genes.*

DIxit Dóminus Deus serpénti, quia fecísti hoc, quia tali, inquit, malítiæ ministrásti, ut fraus illa ópere compleréur, malum consílium afferéndo, et lethále póculum temperándo, quia sic fecísti, et a mea benevoléntia exclúdere voluísti creatúras meas, ministério malígni dæmonis senténtiæ exhíbito, qui ob invídiam, et ingéntem supérbiam suam e cœlis in terram dejéctus est : proptérea quia te in his, ut instruménto est usus, perpétuam tibi pœnam impóno, ut per ea, quæ tibi inferúntur, et ille scire possit, quodnam ipsum máneat supplícium, et futúri hómines erudiántur, ne seducántur diá-

boli consíliis, neque illíus fraudes admíttant, ne in ejúsdem íncidant pœnas.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Proptérea maledíctus es tu inter omnes béstias, quia calliditáte male, et non ut oportébat, es usus: sed privilégium, quod supra ómnia animántia possidébas, hoc tibi in ómnium malórum cessit occasiónem. Inquit enim: Serpens erat prudentíssima ómnium bestiárum, quæ erant super terram. Proptérea maledíctus tu inter ómnia juménta, et omnes béstias terræ futúrus es. Et quia maledíctio non erat sensíbilis, neque óculis vidéri póterat, propter hoc sensíbilem illi pœnam infert, ut contínuo ante óculos vidére póssimus supplícii ejus moniméntum. Super pectus, et super ventrem gradiéris, et terram cómedes ómnibus diébus vitæ tuæ : quia forma tua abúsus es, et in familiaritátem rationális animális a me condíti veníre non formidásti. Sicut ígitur diábolus, qui per te operátus, et te instruménto usus est, e cœlo deórsum depúlsus est, quia plusquam dignitátis suæ erat, sápere volébat : ita simíliter ímpero, ut et tu áliam formatiónis figúram hábeas, et super terram repas, eáque aláris : atque ádeo ne líceat tibi posthac suspícere, sed semper in hoc máneas statu, et solus ex animálibus terra pascáris, et neque hoc solum ; nam et inimicítias ponam inter te, et inter mulíerem, inter semen tuum, et semen ejus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

NEque hoc conténtus ero, quod super terram reptes; sed et inimícam, fœderísque nésciam fáciam tibi mulíerem : neque eam solum, sed et semen ejus sémini tuo hostem perpétuum fáciam. Ipsa tuum observábit caput, et tu ejus observábis calcáneum. Tantum enim illi robur concédam, ut continuo incúmbat cápiti tuo, te autem fáciam sub pédibus ejus jacére. Vide hic, dilécte, per pœnam huic béstiæ deputátam, quantam humáni géneris curam nobis demónstret. Et hoc quidem de visíbili serpénte : licet autem voléηti póstea consideráre scriptórum sériem, et cognóscere, si de sensíbili serpénte hæc dicta sunt, multo magis accipiénda esse de spirituáli serpénte. Etenim illum pédibus nostris subjécit humiliátum, et id præstitit, ut nos ejus cápiti incumbámus. An non hoc signíficat, dicens: Calcáte super serpéntes, et scorpiónes? Deínde ne putémus de sensibílibus feris esse dictum, subdit : Et super omnem virtútem inimíci. Te Deum.

AD LAUDES,

Hymnus.

HEros refúlget inclytus
Decóre cinctus áureo,
Qui luce clarus spléndidæ
Auget decus Campániæ.
Instar colúmbæ spíritum
Mors sancta cœlo cónsecrat,
Sertis corónant fúlgidis
Aulæ beátæ Príncipes.
Cœli recéptus sédibus
Cultu sacrátur ómnium,
Sorána plaudit cívitas,
Plaudunt orántes ádvenæ.
Tu lux perénnis Unitas,
Nobis, beáta Trínitas,
Da per preces Domínici
Vitæ supérnæ múnera.
Amen.

℣. Lætábitur desérta, et ínvia, et exsultábit solitúdo. ℟. Et florébit quasi lílium.

Ad Bened. Aña. Delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis : et in cavérna réguli qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt, et non occídent in univérso monte sancto meo.

Vesp. a Cap. de sequenti, Comm. præc. ut infra. Deinde Octavæ et simpl.

Membra vix parcis dápibus refécta
Edomans, noctis vígiles precándo
Prótrahis horas.
Interim terris ánimo relíctis,
Mente conscéndis súperas ad arces
Sponte ubi cœli tibi tota sese
Régia pandit.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Raynálde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Aña. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, Pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos fámulos tuos sancti Confessóris tui atque Pontíficis Raynáldi virtútum exémplis erudíre voluísti : tríbue, quæsumus, ut ejus patrocínio suffúlti, per viam salútis gradiéntes, ad ætérna gáudia perveníre mereámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

TAnta lux autem módio repósta
Débuit cæco mínime recóndi;
Tanta nec virtus médiis latére
Abdita silvis.
Ergo, ut in domo média nitéret
Jussa silvárum látebras relínquit.
Díceris Pastor, meritósque cingit
Infula crines.
Pastor efféctus téneros paréntis
Induis sensus, satagísque primum
Créditos tibi pópulos sacráto
Páscere verbo.
Córporum duros míserans labóres,
Dulce mox affers sédulus levámen
Omnibus, Christo súbigas ut omnes,
Omnia factus.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

In j. Nocturno, *Lect.* Fidélis sermo. *ut in Comm.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

RAynáldus ex Cómitum Germániæ, qui in Umbria post barbarórum excursiónes ad fines Nucerínæ urbis consséderant, nobilíssima stirpe oriúndus, Neapoleónis fílius, sánguinis splendórem sanctitátis fulgóre superávit. Optimis enim et disciplínis, et móribus vel a prima ætáte erudítus, tantos in sanctórum sciéntia fecit progréssus, ut in ipso juventútis flore divítias, quæ illi affluénter ex amplíssimo património parátæ erant, contémpserit, omnémque mundi fastum calcáverit. Erat non longe a Nucerínis fínibus pósita erémus, in qua multi mónachi institúta sectántes sanctíssimi patriárchæ Benedícti, magnum sanctimóniæ odórem undíque diffundébant. Nominabátur hæc erémus sanctæ Crucis Fontis Avellánæ, quod nomen adhuc rétinet, incolitúrque a mónachis Congregatiónis Camaldulénsis. Eo Raynáldus divíno actus spíritu convolávit, obtinuítque, ut inter mónachos reciperétur. Mirum quantas in hac solitúdine ascensiónes in corde suo disposúerit Raynáldus cui nihil áliud in votis erat, quam ut jejúniis, oratiónibus, ac sacra contemplatióne Deo constánter adhæréret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

TAnti viri exímiam virtútem admiráti mónachi, eum ascetérii Priórem éligunt, atque constítuunt; quo múnere sancte ádeo, integréque perfúnctus est, ut non apud suos modo, sed apud éxteros étiam sanctíssimi, ac prudentíssimi viri magnam fúerit opiniónem adéptus. Hac sanctitátis, prudéntiæque fama, qua Raynáldi nomen longe, latéque celebrabátur, permóti clerus, et pópulus Nucerínus, illum sibi Epíscopum, Hugóne mórtuo, non sine singulári Dei

providéntia, atque afflátu postulárunt, assentiénte et probánte Honório tértio Románo Pontífice. Ægre quidem avélli se passus est a sua solitúdine, et ab ampléxu quiétis, contemplationísque; húmeros tamen, ne divínæ obsísteret voluntáti, pastoráli óneri vel ínvitus suppósuit. Quam inter mónachos suscéperat vivéndi ratiónem, eámdem in Episcopáli dignitáte retínuit. Benígnus áliis, sibi sevérus, ténui, vulgaríque victu, ac paupérrima supelléctile conténtus, ne léctulum quidem sibi a fámulis sterni patiebátur; totúmque ferme noctis tempus in oratióne, rerúmque divinárum contemplatióne insúmens, cum somno opprimerétur, aut humi cubábat, aut supra mensam. Egénos, víduas, pupíllos, órphanos, peregrínos patérna semper caritáte compléxus, in eos erogátum vóluit quidquid honéstæ educatióni, ac vestítui clericórum, suæque famíliæ superérat. In suis ædibus infántem páuperem paréntibus orbátum patérno afféctu educávit, quem étiam ad mensam quotídie sibi præséntem sistébat, ut Christi páuperis memória in sua, et convivárum mente excitarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea ; * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Ætérnæ ómnium salútis procurándæ zelo ita flagrábat, ut contrítos corde benigníssime semper excípiens, in peccátis obdurátos severíssima étiam quandóque animadversióne ad pœniténtiam conarétur addúcere. Itaque non mirum, si a probis, piísque homínibus únice diligebátur : contra ímprobi, scelestíque eum si ódio habébant, plurimúmque metuébant. Sancti Francísci Assisiénsis amicítiam cóluit, alumnósque ínclyti Ordinis ab eo institúti summo semper amóre est prosequútus. Dénique non tam sénio, quam vigíliis, jejúniis, laboribúsque conféctus, post exáctum in pastoráli múnere triénnium, corpóreis

vínculis solútus ánimam Creatóri suo réddidit quinto idus Februárii, Deo signis mirabílibus ejus sanctitátem declaránte. Sacrum ejus corpus bálsamo cónditum, loculóque inclúsum, canónici, ac clérici cum multa pópuli frequéntia in cathedráli Æde, in ejus póstea honórem Deo dicáta, sepeliérunt; ubi post sexcéntos círciter annos ad hodiérnam diem intáctum vísitur, civiúmque veneratióne frequentátur, qui sanctum Epíscopum urbis suæ Patrónum præcípuum et colunt, et experiúntur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Dabo vobis * Pastórem juxta cor meum, et pascet vos sciéntia, et doctrína.

2. Lex veritátis * fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis suis.

3. In pace, * et in æquitáte ambulávit cum Deo, et multos avértit ab iniquitáte.

4. Fecit * quod plácuit Deo, et fortis ivit in viam Patris sui.

5. Osténdit * ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ.

Capítulum. *Eccli.* xliv. *c*

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

LAudis ætérnæ méritis corónis
Ornet ut servum Dóminus fidélem,
Córporis tandem láqueo solútus
Æthera scandis.
Factus hinc illi própior beáta
Pace secúrus frúeris, poténsque
Factus es nobis étiam, poténti
Númine fretus.
Quare age, humános míserans labóres
Aspice, et casus vários tuórum,
Quæque nos angunt mala pelle summo
Dexter ab axe.
Si tuas laudes cánimus frequénter,
Si tuas votis cumulámus aras,

Nostra sint tanto bene fulta semper
Vota Patróno.
Nunc age, his nostris précibus vocátus
Prótege hanc Urbem tibi dedicátam,
Et tuos serva, bonus o, cliéntes
Tempus in omne.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Non recédet memória ejus. ℟. Et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

Ad Bened. Aña. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur.

In ij. Vesperis, Añæ et Capit. de Laud., Hymnus ut in j. Vesp.

℣. Méritis, et intercessióne beáti Raynáldi. ℟. Propítius esto Dómine plebi tuæ.

Ad Magnif. Aña. Ecce verus Israelíta, in quo dolus non est. Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.

DIE XII. FEBR.

(*D. a. ex vj. hujus.*)

S. Hyacinthæ de Mariscottis

Virg. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die vj. hujus.

DIE XIII. FEBR.

S. Dominici

Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

AD VESPERAS.

Hymnus.

LÆtáre jam Campánia,
Et unda Liris júbila,
Hymnis sacris Domínico
Sorána, plaude, cívitas.
Qui caritáte sáucius
Amóris ictu cóncidit,
Desérta quærit áspera,
Corpus cruéntat lánguidum.
Ardet beátas ággredi
Apostolórum sémitas,
Præco supérni Núminis
Ubíque pandit glóriam.
Qui fébrium contágia,
Canúmque morsus nóxios,
Venéna quæque, et úlcera,
Morbósque sanat síngulos.
Adésto votis ómnium,

Qui te geméntes ínvocant,
Soræ benígnus cívibus
Opem petítam pórrige.
Simul Cucúllum júgiter,
Nuceriámque prótege;
Supérna dona súpplices
Cunctis, rogámus, ímpetres.
Tu lux perénnis Unitas,
Nobis, beáta Trínitas,
Da per preces Domínici
Vitæ supérnæ múnera.
Amen.

℣. Super áspidem, et basilíscum ambulábis.
℟. Et conculcábis leónem, et dracónem.

Ad Magnif. Aña. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci, et nihil vobis nocébit.

Oratio.

DEus, qui antíquum serpéntem per Fílii tui mortem contérere dignátus es, fac nos, quæsumus, méritis beáti Domínici Abbátis diabólica vitáre contágia, et a cunctis malis imminéntibus liberári. Per eúmdem.

Et fit Commemoratio S. Hyacinthæ, et Octavæ.

Ad Matutin. Hymnus ut in Vesperis.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurrente. In Quadrages. Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DOmínicus Fulgínii in Umbria illústri génere natus, a puerílibus ábstinens, ac præcláræ sanctitátis spécimen præferens, a paréntibus monáchis sancti Benedícti in eádem pátria excoléndus tráditur, sub quorum disciplína pietáte, et sciéntia támdiu profécit, ut in sacris initiári merúerit. A Deo ad majóra vocátus, tamquam Abraham a pátria egréssus in Sabínam se contulit ad Dionysium Abbátem mira sanctitáte conspícuum, a quo regulári indútus hábitu, et sancti Benedícti régulam proféssus, monásticæ perfectiónis exémplar ita se exhíbuit, ut commúnem hóminum exspectatiónem superáverit. Ibi aliquándo commorátus solitúdinis, et sanctióris vitæ desidério flagrans, ásperi Sabínæ montis ápicem conscéndit, ubi jejúniis, vigíliis, aliísque córporis afflictatiónibus se exér-

cens, assídua cœléstium meditatióne uni prorsus Deo ab homínibus sejúnctus vacábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

VErum ejus fama sanctitátis ubíque diffúsa, ab Hubérto potentíssimo marchióne, aliísque nobílibus viris eníxe rogátus, ut in eórum terris monachórum cœnóbia exstrúeret, eórum votis acquiéscens, plúribus in locis vária monastéria excitávit, ex quibus ápprime memorábile est, quod império Domínici Petrus Rainérii Soræ dóminus pro suórum críminum satisfactióne in honórem sanctíssimæ Dei Genitrícis juxta Soram constrúxit, eorúmque ómnium, quæ cœnóbio necessária fuissent, munífica largitióne ditávit. At admirábilis vitæ exémplo non tantum vir Dei clarus éxstitit, verum étiam prodigiórum glória mire refúlsit, uti usque ad hodiérnum diem mirácula crebra testántur. Advérsus nempe grándinem, et tempestátes præcípue illíus implorári patrocínium solet, raro populórum pietátem frustráto succéssu. Invocant ejus quoque, et præséntem experiúntur opem, qui fébribus conflictántur, aut rabidórum morsu canum, ac serpéntum læsi; præsértim loco, qui Cucúlla dícitur, ubi sancti viri dens religióse servátur, ac in eódem território nóxii serpéntes ita prorsus venéno carére noscúntur, ut juxta illud Prophétæ, púeri cum eis tamquam cum agnis lúdere conspiciántur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

TAndem vir sanctus cum verbi Dei prædicatióne plures e vitiórum cœno ad salútis trámitem reduxísset, et per áliquot an-

nos Soráno monastério præfuísset, méritis plenus, et Ecclésiæ sacraméntis rite munítus undécimo Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino anno salútis millésimo trigésimo primo. Post multa vero sæcula, scílicet décimi octávi sæculi inítio Clemens undécimus Póntifex máximus Casamárii, ac Soráni monastérii Abbas olim commendatárius sacrum ejus corpus ex antíquo túmulo in álium pretiósis lapídibus sua profusíssima munificéntia exstrúctum, per Episcopórum manus transférri jussit. Dénique exeúnte sæculo, ne veneránda hæc beáti Domínici Lipsana periclitaréntur, ex templo, in quo asservabántur, amóta ad insígnem collegiátam sanctæ Restitútæ transláta sunt. Sed perículi metu cessánte, illuc, univérso comitánte clero, et pópulo, ingentíque finitimárum géntium multitúdine revécta, sub altári, quo ante quiéverant, die vigésima séptima Aprilis anno millésimo octingentésimo Domínica secúnda post Pascha solémni pompa fuére recóndita.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio dicéntes : Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. iij. *Genes.*

DIxit Dóminus Deus serpénti, quia fecísti hoc, quia tali, inquit, malítiæ ministrásti, ut fraus illa ópere compleretur, malum consílium afferéndo, et lethále póculum temperándo, quia sic fecísti, et a mea benevoléntia exclúdere voluísti creatúras meas, ministério malígni dæmonis senténtiæ exhíbito, qui ob invídiam, et ingéntem supérbiam suam e cœlis in terram dejéctus est : proptérea quia te in his, ut instruménto est usus, perpétuam tibi pœnam impóno, ut per ea, quæ tibi inferúntur, et ille scire possit, quodnam ipsum máneat supplícium, et futúri hómines erudiántur, ne seducántur diá-

boli consíliis, neque illíus fraudes admíttant, ne in ejúsdem íncidant pœnas.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

PRoptérea maledíctus es tu inter omnes béstias, quia calliditáte male, et non ut oportébat, es usus: sed privilégium, quod supra ómnia animántia possidébas, hoc tibi in ómnium malórum cessit occasiónem. Inquit enim: Serpens erat prudentíssima ómnium bestiárum, quæ erant super terram. Proptérea maledíctus tu inter ómnia juménta, et omnes béstias terræ futúrus es. Et quia maledíctio non erat sensíbilis, neque óculis vidéri póterat, propter hoc sensíbilem illi pœnam infert, ut contínuo ante óculos vidére póssimus supplícii ejus moniméntum. Super pectus, et super ventrem gradiéris, et terram cómedes ómnibus diébus vitæ tuæ : quia forma tua abúsus es, et in familiaritátem rationális animális a me condíti veníre non formidásti. Sicut ígitur diábolus, qui per te operátus, et te instruménto usus est, e cœlo deórsum depúlsus est, quia plusquam dignitátis suæ erat, sápere volébat : ita simíliter ímpero, ut et tu áliam formatiónis figúram hábeas, et super terram repas, eáque aláris : atque ádeo ne líceat tibi posthac suspícere, sed semper in hoc máneas statu, et solus ex animálibus terra pascáris, et neque hoc solum ; nam et inimicítias ponam inter te, et inter mulíerem, inter semen tuum, et semen ejus.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

NEque hoc conténtus ero, quod super terram reptes; sed et inimícam, fœderísque nésciam fáciam tibi mulíerem : neque eam solum, sed et semen ejus sémini tuo hostem perpétuum fáciam. Ipsa tuum observábit caput, et tu ejus observábis calcáneum. Tantum enim illi robur concédam, ut contínuo incúmbat cápiti tuo, te autem fáciam sub pédibus ejus jacére. Vide hic, dilécte, per pœnam huic béstiæ deputátam, quantam humáni géneris curam nobis demónstret. Et hoc quidem de visíbili serpénte : licet autem voléntì póstea consideráre scriptórum sériem, et cognóscere, si de sensíbili serpénte hæc dicta sunt, multo magis accipiénda esse de spirituáli serpénte. Etenim illum pédibus nostris subjécit humiliátum, et id præstitit, ut nos ejus cápiti incumbámus. An non hoc signíficat, dicens : Calcáte super serpéntes, et scorpiónes? Deínde ne putémus de sensibílibus feris esse dictum, subdit : Et super omnem virtútem inimíci. Te Deum.

AD LAUDES.

Hymnus.

HEros refúlget inclytus
Decóre cinctus áureo,
Qui luce clarus spléndidæ
Auget decus Campániæ.

Instar colúmbæ spíritum
Mors sancta cœlo cónsecrat,
Sertis corónant fúlgidis
Aulæ beátæ Príncipes.

Cœli recéptus sédibus
Cultu sacrátur ómnium,
Sorána plaudit cívitas,
Plaudunt orántes ádvenæ.

Tu lux perénnis Unitas,
Nobis, beáta Trínitas,
Da per preces Domínici
Vitæ supérnæ múnera.
Amen.

℣. Lætábitur desérta, et ínvia, et exsultábit solitúdo. ℟. Et florébit quasi lílium.

Ad Bened. Aña. Delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis : et in cavérna réguli qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt, et non occídent in univérso monte sancto meo.

Vesp. a Cap. de sequenti, Comm. præc. ut infra. Deinde Octavæ et simpl.

DIE XIV. FEBR.

S. Apolloniæ.

Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart. præter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

Et fit Commem. S. Dominici.

Aña. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami, et junci. Et erit ibi sémita, et via, et via sancta vocábitur

℣. Fluent ad eum omnes gentes. ℟. Et ibunt ad eum pópuli multi.

Deinde Octavæ, et S. Valentini ut in Breviario.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Confitébor.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

APollónia virgo Alexandrína sub Décio imperatóre, cum ingravescénte jam ætáte ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse prædicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt, et evúlsi dentes; ac nisi Christum detestáta Deos cóleret, accénso rogo, combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram, respóndit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

ITaque comprehénsa, ut comburerétur, cum paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum, majóris Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam Martyrii corónam evolávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam. — Proptérea.

Lectio vj.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

RÉcte per Salómonem dícitur: Fortis est, ut mors, diléctio; quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occíditur. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim Sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus enim in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, prǽmia calcávit.

℟. Afferéntur.

In iij. Noct., Homilia. Dóminus noster. *de Communi Virg. Mart.*

Ad Laudes Commem. Oct. et S. Valentini.

Vesperæ a Cap. de seq.

DIE XV. FEBR.

(*D. a. ex vj. hujus.*)

S. Titi

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario die vj. hujus.

Comm. præced. Octavæ. et SS. Fausti et Jovitæ Mm. ut in Brev. nona Lectio SS. Mart. et in Laud. Comm. Octavæ et SS. Faustini et Jovitæ.

DIE XVI. FEBRUAR.

In Octava

S. Raynaldi

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Secunda par. pastor. cap. j.

Lectio iv.

TAntum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege vita Pastóris. Opórtet namque, ut metíri se sollícite stúdeat, quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necésse est cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per ze-

lum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum sollicitúdine non relínquens.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

CONsiderándum quoque est, quia cum curam pópuli eléctus Præsul súscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt, qua præsumptióne percússum medéri própe-rat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens jam spirituáliter vivit, qui próspera mundi postpónit : qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens nec ómnino per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciam repúgnat spíritus. Qui ad aliéna cupiénda non dúcitur, sed própria largítur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

UNde ipsum quoque Episcopátus offícium boni óperis expressióne definítur, cum dícitur : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopátum non áppetit, qui non per hunc boni óperis ministérium, sed honóris glóriam quærit. Sacrum quippe offícium non solum non díligit ómnino, sed nescit, qui ad culmen regíminis anhélans in occúlta meditatióne cogitatiónis ceterórum subjectióne páscitur, laude própria lætátur, ad honórem cor élevat, rerum affluéntium abundántia exsúltat. Mundi ergo lucrum quæritur, sub ejus honóris spécie, quo mundi déstrui lucra debúerant.

℟. Iste est.

In III. Nocturno.
Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.
Secunda de vocat. gent. c. ij.

DAtur unicuíque hic sine mérito, unde tendat ad méritum, et datur ante ullum labórem, unde quisque mercédem accípiat secúndum suum labórem ; quod ita esse étiam evangélicæ veritátis testimónio agnóscitur, ubi per comparatiónem dícitur, quod homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis substántiam suam, et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum próprium virtútem : id est, secúndum própriam, et naturálem possibilitátem, non autem secúndum próprium méritum : quia áliud est posse operári, áliud operári : et áliud est posse habére caritátem, áliud habére caritátem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

NON ítaque omnis reparábilis reparátur, nec omnis sanábilis sanátus est, quia reparábilem et, sanábilem esse de natúra est; reparátum autem et sanátum esse de grátia est. Dénique isti, quibus secúndum módulum capacitátis suæ, quem in eis distribútor substántiæ prævidébat, dispar créditus est númerus talentórum; non mériti remuneratiónem sed óperis accepére matériam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

IN qua duórum servórum vigilantíssima indústria, non solum gloriósis láudibus honestátur, sed étiam in intérna Dómini sui gáudia intráre præcípitur. Tértii vero pigrum ótium, et desidiósa nequítia sic punítur, ut et vituperatiónis dedecorétur oppróbrio, et portióne, quam accéperat, exuátur. Dignus enim erat pérdere inútilem fidem, qui non exercúerat caritátem.

Te Deum laudámus.

Vesp. a Cap. de seq. Comm. præc.

DIE XVII. FEBRUAR.
(*D. a. ex xxiv. Jan.*)

S. Timothæi

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia ut in Breviario die xxiv. Januarii. Vesp. a Cap. de seq. Comm. præc. et S. Simeonis Episc. et Mart.

DIE XVIII. FEBRUAR.
(*D. a. ex xv. Jan.*)

S. Pauli

Primi Erem. Duplex.

Omnia ut in Breviario xv. Januarii. ix. Lect. et Commem. in Laud. S. Simeonis ut in Brev. hac die. Vesp. a Cap. de seq. Comm. præced.

DIE XIX. FEBRUARI
(*D. a. ex v. hujus.*)

SS. xxvi. Martyrum Japonensium.

Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die v. hujus.

DIE XX. FEBRUARII.
(*D. a. ex ix. hujus.*)

S. Cyrilli Alexandrini

Episc. Conf. Doct. Dupl.

Omnia ut in Breviario die ix. hujus.

DIE XXVI. FEBR.
(*D. a. ex die xxiij. huj.*)

S. Margaritæ de Cortona

Pœnitentis. Semiduplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xxiij. Febr.

DIE I. MARTII.

S. Herculani

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. Mart. præter seq.

Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui admirábili providéntia beátum Herculánum Mártyrem in Ecclé-

sia tua pastórem fidélem elígere dignátus es : tríbue quæsumus, ita nos ejus caritátis vestígia imitári, ut cœléstium gaudiórum mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex lib. tértio Dialogórum sancti Gregórii Papæ.

VIR sanctíssimus Herculánus Perusínæ civitátis Epíscopus, fuit ex conversatióne monastérii ad sacerdotális órdinis grátiam dedúctus. Tótilæ autem pérfidi regis tempóribus eámdem urbem annis septem contínuis Gothórum exércitus obsédit : ex qua multi cívium fugérunt, qui famis perículum ferre non póterant. Anno vero séptimo nondum finíto obséssam urbem Gothórum exércitus intrávit. Tunc Comes, qui eídem exercítui præérat, ad regem Tótilam núncios misit, exquírens, quid de Epíscopo vel pópulo fíeri jubéret? Cui ille præcépit, dicens : Epíscopo prius, a vértice cápitis usque ad calcáneum corrígiam tolle, et tunc caput ejus ámputa : omnem vero pópulum qui illic invéntus est, gládio exstíngue.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

TUnc idem Comes venerábilem virum Herculánum Epíscopum super urbis murum ductum cápite truncávit, ejúsque cutem jam mórtui a vértice usque ad calcáneum incídit, ut ex ejus córpore corrígia subláta viderétur : moxque corpus illíus extra murum projécit. Tunc quidam humanitátis pietáte compúlsi, abscíssum caput cervíci, apponéntes cum uno párvulo infánte, qui illic exstínctus invéntus est, juxta murum corpus Epíscopi sepultúræ tradidérunt. Cumque post eámdem cædem die quadragésimo rex Tótila jussísset, ut cives urbis illíus,

qui quólibet dispérsi essent, ad eam sine áliqua trepidatióne remeárent, hi qui prius fame fúgerant, vivéndi licéntia accépta, revérsi sunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

SED cujus vitæ Epíscopus fúerat mémores, ubi sepúltum esset corpus illíus, quæsiérunt, ut hoc juxta honórem débitum in Ecclésia beáti Petri Apóstoli humárent. Cumque itum esset ad sepúlcrum, effóssa terra, invenérunt corpus púeri páriter humáti, útpote jam die quadragésimo, tabe corrúptum, et vérmibus plenum; corpus vero Epíscopi, ac si die eódem esset sepúltum. Et quod est adhuc magna admiratióne venerándum, quia ita caput ejus unítum fúerat córpori, ac si nequáquam fuísset abscíssum, sic vidélicet ut nulla vestígia sectiónis apparérent. Cumque hoc et in terga vérterent, exquiréntes, si quod signum, vel de ália monstrári cicatríce potuísset, ita sanum atque intemerátum omne corpus invéntum est, ac si nulla hoc incísio ferri tetigísset. Quis non obstupéscat tália signa mortuórum, quæ fiunt pro exercitatióne viventium?

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

Index.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.

Tornaci, die 4 Decembris 1900.

Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
Dioeceseos Nucerinae.

PARS VERNA.

DIE IX. FEBRUARII.

S. Raynaldi

Episc. Patroni Civit. et Diœc. Nuceriæ.

Duplex j. classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Ad Vesp. Añæ et Capit. de Laud.

Hymnus.

Quis tuas digne, Raynálde, laudes
Cóncinat, nostræ cólumen salútis,
Quem sibi legit Nucerína rite
Terra Patrónum?
Sæculi spernens bona blandiéntis
Tendis ad sacros némorum recéssus,
Factus a primis generósus annis
Tránsfuga mundi.
Hic humo stratus gélida, flagéllis
Membra vix parcis dápibus refécta
Edomans, noctis vígiles precándo
Prótrahis horas.
Interim terris ánimo relíctis,
Mente conscéndis súperas ad arces
Sponte ubi cœli tibi tota sese
Régia pandit.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus

Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Raynálde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Aña. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, Pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos fámulos tuos sancti Confessóris tui, atque Pontíficis Raynáldi virtútum exémplis erudíre voluísti : tríbue, quæsumus, ut ejus patrocínio suffúlti, per viam salútis gradiéntes, ad ætérna gáudia perveníre mereámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Tanta lux autem módio repósta
Débuit cæco mínime recóndi;
Tanta nec virtus médiis latére
Abdita silvis.
Ergo, ut in domo média nitéret
Jussa silvárum látebras relínquit.
Díceris Pastor, meritósque cingit
Infula crines.
Pastor effectus téneros Paréntis
Induis sensus, satagísque primum
Créditos tibi pópulos sacráto
Páscere verbo.
Córporum duros míserans labóres,
Dulce mox affers sédulus levámen
Omnibus, Christo súbigas ut omnes,
Omnia factus.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

In j. Noct. Lect. Fidélis sermo. *ut in Comm.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Raynáldus ex Cómitum Germániæ, qui in Umbria post barbarórum excursiónes ad fines Nucerínæ urbis consséderant, nobilíssima stirpe oriúndus, Neapoleónis fílius, sánguinis splendórem sanctitátis

fulgóre superávit. Optimis enim et disciplínis, et móribus vel a prima ætáte erudítus, tantos in sanctórum sciéntia fecit progréssus, ut in ipso juventútis flore divítias, quæ illi affluénter ex amplíssimo património parátæ erant, contémpserit, omnémque mundi fastum calcáverit. Erat non longe a Nucerínis fínibus pósita erémus, in qua multi mónachi institúta sectántes sanctíssimi patriárchæ Benedícti, magnum sanctimóniæ odórem undíque diffundébant. Nominabátur hæc erémus sanctæ Crucis Fontis Avellánæ, quod nomen adhuc rétinet, incolitúrque a mónachis Congregatiónis Camaldulénsis. Eo Raynáldus, divíno actus spíritu convolávit, obtinuítque, ut inter mónachos reciperétur. Mirum quantas in hac solitúdine ascensiónes in corde suo disposúerit Raynáldus cui nihil áliud in votis erat, quam ut jejúniis, oratiónibus, ac sacra contemplatióne Deo constánter adhæréret.

℞. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

TAnti viri exímiam virtútem admiráti mónachi, eum ascetérii Priórem éligunt, atque constítuunt; quo múnere sancte ádeo, integréque perfúnctus est, ut non apud suos modo, sed apud éxteros étiam sanctíssimi, ac prudentíssimi viri magnam fúerit opiniónem adéptus. Hac sanctitátis, prudentiæque fama, qua Raynáldi nomen longe, latéque celebrabátur, permóti clerus, et pópulus Nucerínus, illum sibi Epíscopum, Hugóne mórtuo, non sine singulári Dei providéntia, atque afflátu postulárunt, assentiénte et probánte Honório tértio Románo Pontífice. Ægre quidem avélli se passus est a sua solitúdine, et ab ampléxu quiétis, contemplationísque; húmeros tamen, ne divínæ obsísteret voluntáti, pastorális óneri vel ínvitus suppósuit. Quam inter mónachos suscéperat vivéndi

ratiónem, eámdem in Episcopáli dignitáte retínuit. Benígnus áliis, sibi sevérus, ténui, vulgaríque victu, ac paupérrima supelléctile conténtus, ne léctulum quidem sibi a fámulis sterni patiebátur; totúmque ferme noctis tempus in oratióne, rerúmque divinárum contemplatióne insúmens, cum somno opprimerétur, aut humi cubábat, aut supra mensam. Egénos, víduas, pupíllos, órphanos, peregrínos patérna semper caritáte compléxus, in eos erogátum vóluit quidquid honéstæ educatióni, ac vestítui clericórum, suæque famíliæ supérerat. In suis ædibus infántem páuperem paréntibus orbátum patérno afféctu educávit, quem étiam ad mensam quotídie sibi præséntem sistébat, ut Christi páuperis memória in sua, et convivárum mente excitarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

ÆTérnæ ómnium salútis procurándæ zelo ita flagrábat, ut contrítos corde benigníssime semper excípiens, in peccátis obdurátos severíssima étiam quandóque animadversióne ad pœniténtiam conarétur addúcere. Itaque non mirum, si a probis, piísque homínibus única diligebátur : contra ímprobi, scelestíque eum si ódio habébant, plurimúmque metuébant. Sancti Francísci Assisiénsis amicítiam cóluit, alumnósque ínclyti Ordinis ab eo institúti summo semper amóre est prosequútus. Dénique non tam sénio, quam vigíliis, jejúniis, laboribúsque conféctus, post exáctum in pastoráli múnere triénnium, corpóreis vínculis solútus ánimam Creatóri suo réddidit quinto Idus Februárii, Deo signis mirabílibus ejus sanctitátem declaránte. Sacrum ejus corpus bálsamo cónditum, loculóque inclúsum, canónici, ac clérici cum multa pópuli frequéntia in cathedráli Æde, in ejus póstea honórem Deo dicáta, sepe-

liérunt; ubi post sexcéntos círciter annos ad hodiérnam diem intáctum vísitur, civiúmque veneratióne frequentátur, qui sanctum Epíscopum urbis suæ Patrónum præcípuum et colunt, et experiúntur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Dabo vobis * Pastórem juxta cor meum, et pascet vos sciéntia, et doctrína.

2. Lex veritátis * fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis suis.

3. In pace, * et in æquitáte ambulávit cum Deo, et multos avértit ab iniquitáte.

4. Fecit * quod plácuit Deo, et fortis ivit in viam Patris sui.

5. Osténdit * ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c*

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

Laudis ætérnæ méritis corónis
Ornet ut servum Dóminus fidélem,
Córporis tandem láqueo solútus
Æthera scandis.

Factus hinc illi própior beáta
Pace secúrus frúeris, poténsque
Factus es nobis étiam, poténti
Númine fretus.

Quare age, humános míserans labóres
Aspice, et casus vários tuórum,
Quæque nos angunt mala pelle summo
Dexter ab axe.

Si tuas laudes cánimus frequénter,
Si tuas votis cumulámus aras,
Nostra sint tanto bene fulta semper
Vota Patróno.

Nunc age, his nostris précibus vocátus
Prótege hanc Urbem tibi dedicátam,
Et tuos serva, bonus o, cliéntes
Tempus in omne.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi compar utriúsque
virtus
Spíritus, semper Deus
unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Non recédet memória ejus. ℟. Et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

Ad Bened. Aña. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur.

In ij. Vesperis, Añæ et Capit. de Laud., Hymnus ut in j. Vesp.

℣. Méritis, et intercessióne beáti Raynáldi. ℟. Propítius esto Dómine plebi tuæ.

Ad Magnif. Aña. Ecce verus Israelíta, in quo dolus non est. Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.

DIE XII. FEBRUARII.

(*D. a. ex vj. huj.*)

S. Hyacinthæ de Mariscottis

Virg. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die vj. hujus.

DIE XIII. FEBRUAR.

S. Dominici

Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

AD VESPERAS.

Hymnus.

LÆtáre jam Campánia,
Et unda Liris júbila,
Hymnis sacris Domínico
Sorána, plaude, cívitas.

Qui caritáte sáucius
Amóris ictu cóncidit,
Desérta quærit áspera,
Corpus cruéntat lánguidum.

Ardet beátas ággredi
Apostolórum sémitas,
Præco supérni Núminis
Ubíque pandit glóriam.

Qui fébrium contágia,
Canúmque morsus nóxios,
Venéna quæque, et úlcera,
Morbósquesanatsíngulos.

Adésto votis ómnium,
Qui te geméntes ínvocant,
Soræ benígnus cívibus
Opem petítam pórrige.

Simul Cucúllum júgiter,
Nuceriámque prótege;
Supérna dona súpplices
Cunctis, rogámus, ímpetres.

Tu lux perénnis Unitas,
Nobis, beáta Trínitas,
Da per preces Domínici
Vitæ supérnæ múnera.
Amen.

℣. Super áspidem, et basilíscum ambulábis. ℟. Et conculcábis leónem, et dracónem.

Ad Magnif. Aña. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci, et nihil vobis nocébit.

Oratio.

DEus, qui antíquum Serpéntem per Fílii tui mortem contérere dignátus es, fac nos, quæsumus, méritis beáti Domínici Abbátis diabólica vitáre contágia, et a cunctis malis imminéntibus liberári. Per eúmdem.

Et fit Commem. S. Hyacinthæ.

Ad Matutin. Hymnus ut in Vesperis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrages. Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DOmínicus Fulgínii in Umbria illústri génere natus, a puerílibus ábstinens, ac præcláræ sanctitátis spécimen præferens, a paréntibus mónachis sancti Benedícti in eádem pátria excoléndus tráditur, sub quorum disciplína pietáte, et sciéntia támdiu profécit, ut in sacris initiári merúerit. A Deo ad majóra vocátus, tamquam Abraham a pátria egréssus in Sabínam se cóntulit ad Dionysium Abbátem mira sanctitáte conspícuum, a quo regulári indútus hábitu, et sancti Benedícti régulam proféssus, monásticæ perfectiónis exémplar ita se exhíbuit, ut commúnem hóminum exspectatiónem superáverit. Ibi aliquándo commorátus solitúdinis, et sanctióris vitæ desidério flagrans, ásperi Sabínæ montis ápicem conscéndit, ubi jejúniis, vigíliis, aliísque córporis afflictatiónibus se exércens, assídua cœléstium meditatióne uni prorsus Deo ab homínibus sejúnctus vacábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

VErum ejus fama sanctitátis ubíque diffúsa, ab Hubérto potentíssimo marchióne, aliísque nobílibus viris eníxe rogátus, ut in eórum terris monachórum cœnóbia exstrúeret, eórum votis acquiéscens, plúribus in locis vária monastéria excitávit, ex quibus appríme memorábile est, quod império Domínici Petrus Rainérii Soræ dóminus pro suórum críminum satisfactióne in honórem sanctíssimæ Dei Genitrícis juxta Soram constrúxit, eorúmque ómnium, quæ cœnóbio necessária fuíssent, muníﬁca largitióne ditávit. At admirábilis vitæ exémplo non tantum vir Dei clarus éxstitit, verum étiam prodigiórum glória mire refúlsit, uti usque ad hodiérnum diem mirácula crebra testántur. Advérsus nempe grándinem, et tempestátes præcípue illíus implorári patrocínium solet, raro populórum pietátem frustráto succéssu. Invocant ejus quoque, et præséntem experiúntur opem, qui fébribus conflictántur, aut rabidórum morsu canum, ac serpéntum læsi; præsértim loco, qui Cucúlla dícitur, ubi sancti Viri dens religióse servátur, ac in eódem território nóxii serpéntes ita prorsus venéno carére noscúntur, ut juxta illud Prophétæ, púeri cum eis tamquam cum agnis lúdere conspiciántur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

TAndem Vir sanctus cum verbi Dei prædicatióne plures e vitiórum cœno ad salútis trámitem reduxísset, et per áliquot annos Soráno monastério præfuísset, méritis plenus, et Ecclésiæ Sacraméntis rite munítus undécimo Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino anno salútis millésimo trigésimo primo. Post multa vero sæcula, scílicet décimi octávi sæculi inítio Clemens undécimus Póntifex máximus Casamárii, ac Soráni monastérii Abbas olim com-

mendatárius sacrum ejus corpus ex antíquo túmulo in álium prætiósis lapídibus sua profusíssima munificéntia exstrúctum, per Episcopórum manus transférri jussit. Dénique exeúnte sæculo, ne veneránda hæc beáti Domínici Lipsana periclitaréntur, ex templo, in quo asservabántur, amóta ad insígnem collegiátam sanctæ Restitútæ transláta sunt. Sed perículi metu cessánte, illuc, univérso comitánte clero, et pópulo, ingentíque finitimárum géntium multitúdine revécta, sub altári, quo ante quiéverant, die vigésima séptima Aprílis anno millésimo octingentésimo Domínica secúnda post Pascha solémni pompa fuére recóndita.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio dicéntes : Dómine, étiam Dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. iij. *Genes.*

DIxit Dóminus Deus serpénti, quia fecísti hoc, quia tali, inquit, malítiæ ministrásti, ut fraus illa ópere complerétur, malum consílium afferéndo, et lethále póculum temperándo, quia sic fecísti, et a mea benevoléntia exclúdere voluísti creatúras meas, ministério malígni Dæmonis senténtiæ exhíbito, qui ob invídiam, et ingéntem supérbiam suam e cœlis in terram dejéctus est : proptérea quia te in his, ut instruménto est usus, perpétuam tibi pœnam impóno, ut per ea, quæ tibi inferúntur, et ille scire possit, quodnam ipsum máneat supplícium, et futúri hómines erudiántur, ne seducántur diáboli consíliis, neque illíus fraudes admíttant, ne in ejúsdem incídant pœnas.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo

sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

PRoptérea maledíctus es tu inter omnes béstias, quia calliditáte male, et non ut oportébat, es usus: sed privilégium, quod supra ómnia animántia possidébas, hoc tibi in ómnium malórum cessit occasiónem. Inquit enim : Serpens erat prudentíssima ómnium bestiárum, quæ erant super terram. Proptérea maledíctus tu inter ómnia juménta, et omnes béstias terræ futúrus es. Et quia maledíctio non erat sensíbilis, neque óculis vidéri póterat, propter hoc sensíbilem illi pœnam infert, ut contínuo ante óculos vidére póssimus supplícii ejus moniméntum. Super pectus, et super ventrem gradiéris, et terram cómedes ómnibus diébus vitæ tuæ : quia forma tua abúsus es, et in familiaritátem rationális animális a me cónditi veníre non formidásti. Sicut ígitur diábolus, qui per te operátus, et te instruménto usus est, e cœlo deórsum depúlsus est, quia plusquam dignitátis suæ erat, sápere volébat : ita simíliter ímpero, ut et tu áliam formatiónis figúram hábeas, et super terram repas, eáque aláris : atque ádeo ne líceat tibi posthac suspícere, sed semper in hoc máneas statu, et solus ex animálibus terra pascáris, et neque hoc solum; nam et inimicítias ponam inter te, et inter mulíerem, inter semen tuum, et semen ejus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

NEque hoc conténtus ero, quod super terram reptes; sed et inimícam, fœderísque nésciam fáciam tibi mulíerem : neque eam solum, sed et semen ejus sémini tuo hostem perpétuum fáciam. Ipsa tuum observábit caput, et tu

ejus observábis calcáneum. Tantum enim illi robur concédam, ut contínuo incúmbat cápiti tuo, te autem fáciam sub pédibus ejus jacére. Vide hic, dilécte, per pœnam huic béstiæ deputátam, quantam humáni géneris curam nobis demónstret. Et hoc quidem de visíbili serpénte : licet autem voléntí póstea consideráre scriptórum sériem, et cognóscere, si de sensíbili serpénte hæc dicta sunt, multo magis accipiénda esse de spirituáli serpénte. Etenim illum pédibus nostris subjécit humiliátum, et id præstitit, ut nos ejus cápiti incumbámus. An non hoc signíficat, dicens : Calcáte super serpéntes, et scorpiónes? Deínde ne putémus de sensibílibus feris esse dictum, subdit : Et super omnem virtútem inimíci.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

Hymnus.

Eros refúlget ínclytus
Decóre cinctus áureo,
Qui luce clarus spléndidæ
Auget decus Campániæ.

Instar colúmbæ spíritum
Mors sancta cœlo cónsecrat,
Sertis corónant fúlgidis
Aulæ beátæ Príncipes.

Cœli recéptus sédibus
Cultu sacrátur ómnium,
Sorána plaudit cívitas,
Plaudunt orántes ádvenæ.

Tu lux perénnis Unitas,
Nobis, beáta Trínitas,
Da per preces Domínici
Vitæ supérnæ múnera.
Amen.

℣. Lætábitur desérta, et ínvia, et exsultábit solitúdo. ℟. Et florébit quasi lílium.

Ad Bened. Aña. Delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis : et in cavérna réguli qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt, et non occídent in univérso monte sancto meo.

Vesp. a Cap. de sequenti, Commem. præc. ut infra.

DIE XIV. FEBRUAR.

S. Apolloniæ

Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. Virg. et Mart. præter seq.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

Et fit Commem. S. Dominici.

Aña. In cubílibus, in

quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami, et junci. Et erit ibi sémita, et via, et via sancta vocábitur.

℣. Fluent ad eum omnes gentes. ℟. Et ibunt ad eum pópuli multi.

Deinde S. Valentini ut in Breviario.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Confitébor.

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

Apollónia Virgo Alexandrína sub Décio imperatóre, cum ingravescénte jam ætáte ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse prædicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt, et evúlsi dentes; ac nisi Christum detestáta Deos cóleret, accénso rogo, combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram, respóndit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet

Lectio v.

Itaque comprehénsa, ut comburerétur, cum paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum, majóris Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam Martyrii corónam evolávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : *Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Lectio vj.

Recte per Salomónem dícitur : Fortis est, ut mors, diléctio; quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occíditur. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim Sancta hæc,

cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus enim in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, præmia calcávit.

℞. Afferéntur.

In iii. Noct. Homilia. Dóminus noster. *de Communi Virg. Mart.*

Ad Laudes, Commem. Oct. et S. Valentini.

Vesperæ a Cap. de seq.

DIE XV. FEBRUARII.

(*D. a. ex vj. hujus.*)

S. Titi

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario die vj. hujus.

Comm. præced. et SS. Faustini et Jovitæ MM. ut in Brev.

Lectio nona SS. Mart. et in Laud. Comm. SS. Faustini et Jovitæ.

DIE XVII. FEBRUAR.

(*D. a. ex. xxiv. Jan.*)

S. Timothei

Episcopi et Martyris.

Duplex. (m. t. v.)

Omnia de Comm. unius Martyris, præter seq.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Communi j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Timótheus, Lystris in Lycaónia natus ex patre Gentíli, et matre Judæa, christiánam colébat religiónem, cum in ea loca venit Paulus Apóstolus. Qui fama commótus, quæ de Timóthei sanctitáte percrebúerat, ipsum adhíbuit sócium suæ peregrinatiónis : sed propter Judæos, qui se ad Christum convérterant, sciéntes Timóthei patrem esse Gentílem, eum circumcídit. Cum ígitur ambo Ephesum veníssent, ibi ordinátus est Epíscopus ab Apóstolo, ut eam Ecclésiam gubernáret.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit illi.

Lectio v.

AD quem Apóstolus duas Epístolas scripsit, álteram Laodicéa, álteram Roma : quibus in pastorális offícii cura confirmátus,

cum sacrifícium, quod uni Deo debétur, fíeri dæmonum simulácris, ferre non posset; pópulum Ephesínum, Diánæ in ejus celebritáte immolántem, ab illa impietáte removére conátus, lapídibus óbrutus est : ac pene mórtuus, a Christiánis eréptus, et in montem óppido vicínum delátus, nono Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xliv. *de Sanctis.*

Lectio vj.

TRiumphális beáti Mártyris Timóthei dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus : quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem : Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Si quis venit. *de Comm. unius Mart.*

DIE XVIII. FEBR.

(*D. a. die xv. Jan.*)

S. Pauli

primi Eremitæ et Conf.

Duplex. (m. t. v.)

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter seq.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Pauli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dñum.

In j. Nocturno, Lectiones de Communi j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PAulus, Eremitárum auctor et magíster, apud inferiórem Thebáidem natus, cum quíndecim esset annórum, orbátus paréntibus est. Qui póstea declinándæ causa persecutiónis Décii et Valeriáni, et Deo libérius inserviéndi, in erémi spelúncam se cóntulit : ubi, palma ei victum et vestítum præbénte, vixit ad centésimum et décimum tértium annum, quo témpore ab António nonagenário Dei admónitu invísitur. Quibus inter se, cum ántea non nossent, próprio nómine consalutántibus, et multa de regno Dei colloquéntibus, corvus, qui ántea semper Paulo dimidiátum panem attúlerat, íntegrum détulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

POst corvi discéssum, Eia, inquit Paulus, Dóminus nobis prándium misit, vere pius, vere misérícors. Sexagínta jam anni sunt, cum accípio quotídie dimídii panis fragméntum, nunc ad advéntum tuum milítibus suis Christus duplicávit annónam. Quare cum gratiárum actióne ad fontem capiéntes cibum, ubi tantísper recreáti sunt, íterum grátiis de more Deo actis, noctem in divínis láudibus consumpsérunt. Dilúculo Paulus de morte, quæ sibi instáret, ádmonens Antónium, hortátur, ut pállium, quod ab Athanásio accéperat, ad involvéndum suum corpus afférret. Quo ex itínere rédiens ille, vidit inter Angelórum choros, inter Prophetárum, et Apostolórum cœtus Pauli ánimam in cœlum ascéndere.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

CUmque ad ejus cellam pervenísset, invénit génibus complicátis, erécta cervíce, extensísque in altum mánibus corpus exánime : quod pállio obvólvens, hymnósque et Psalmos ex christiána traditióne decántans, cum sárculum, quo terram fóderet, non habéret; duo leónes ex interióre erémo rápido cursu ad beáti senis corpus ferúntur : ut fácile intelligerétur, eos, quo modo póterant, plorátum édere : qui certátim terram pédibus effodiéntes, fóveam, quæ hóminem cómmode cáperet, effecérunt. Qui cum abiíssent, Antónius sanctum corpus in eum locum íntulit : et injécta humo, túmulum ex christiáno more compósuit : túnicam vero Pauli, quam in sportæ modum ex palmæ fóliis ille sibi contexúerat, secum áuferens, eo vestítu diébus solémnibus Paschæ et Pentecóstes, quoad vixit, usus est.
℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia in Evang. Confíteor tibi Pater. *de Comm. Abbatum ij. loco.*

DIE XIX. FEBRUAR.

(D. a. ex v. hujus.)

SS. xxvi. Martyrum Japonensium.

Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die v. hujus.

DIE XX. FEBRUARII.

(D. a. ex ix. hujus.)

S. Cyrilli Alexandrini

Episc. Conf. Doct. Dupl.

Omnia ut in Breviario die ix. hujus.

DIE I. MARTII.

S. Herculani

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. Mart. præter seq.

Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui admirábili providéntia beátum Herculánum Mártyrem in Ecclésia tua pastórem fidélem elígere dignátus es : tríbue quæsumus, ita nos ejus caritátis vestígia imitári, ut cœléstium gaudiórum mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex lib. tértio Dialogórum sancti Gregórii Papæ.

VIR sanctíssimus Herculánus Perusínæ civitátis Epíscopus, fuit ex conversatióne monastérii ad sacerdotális órdinis grátiam dedúctus. Tótilæ autem pérfidi regis tempóribus eámdem urbem annis septem contínuis Gothórum exércitus obsédit : ex qua multi cívium fugérunt, qui famis perículum ferre non póterant. Anno vero séptimo nondum finíto obséssam urbem Gothórum exércitus intrávit. Tunc Comes, qui eídem exercítui præerat, ad regem Tótilam núncios misit, exquírens, quid de Epíscopo vel pópulo fíeri jubéret? Cui ille præcépit, dicens : Epíscopo prius, a vértice cápitis usque ad calcáneum corrígiam tolle, et tunc caput ejus ámputa : omnem vero pópulum qui illic invéntus est, gládio exstíngue.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi clarítátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

TUnc idem Comes venerábilem virum Herculánum Epíscopum super urbis murum ductum cápite truncávit, ejúsque cutem jam mórtui a vértice usque ad calcáneum incídit, ut ex ejus córpore corrígia subláta viderétur : moxque corpus illíus extra murum projécit. Tunc quidam humanitátis pietáte compúlsi, abscíssum caput cervíci, apponéntes cum uno párvulo infánte, qui illic exstínctus invéntus est, juxta murum corpus Epíscopi sepultúræ tradidérunt. Cumque post eámdem cædem die quadragésimo rex Tótila jussísset, ut cives urbis illíus, qui quólibet dispérsi essent, ad eam sine áliqua trepidatióne remeárent, hi qui prius fame fúgerant, vivéndi licéntia accépta, revérsi sunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

SED cujus vitæ Epíscopus fúerat mémores, ubi sepúltum esset corpus illíus, quæsiérunt, ut hoc juxta honórem débitum in Ecclésia beáti Petri Apóstoli humárent. Cumque itum esset ad sepúlcrum, effóssa terra, invenérunt corpus púeri páriter humáti, útpote jam die quadragésimo, tabe corrúptum, et vérmibus plenum; corpus vero Epíscopi, ac si die eódem esset sepúltum. Et quod est adhuc magna admiratióne venerándum, quia ita caput ejus unítum fúerat córpori, ac si nequáquam fuísset abscíssum, sic vidélicet ut nulla vestígia sectiónis apparérent. Cumque hoc et in terga vérterent, exquiréntes, si quod signum, vel de ália monstrári cicatríce potuísset, ita sanum atque intemerátum omne corpus invéntum est, ac si nulla hoc incísio ferri tetigísset Quis non obstupéscat tália signa mortuórum, quæ fiunt pro exercitatióne vivéntium? ℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XVIII. MARTII.
S. Gabrielis
Archangeli.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXII. MARTII.
(*D. a. ex xviij. huj.*)
S. Cyrilli Hierosol.
Ep. C. et Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die xviij. Martii.

DOM. II. POST PASCHA
Dedicat. Ecclesiæ Cathedralis et omnium Eccl. Diœc.

Duplex j. classis cum Octava.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

DIE XXIII. APRILIS.
S. Georgii
Mart. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius, ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Script. occurr.

In II. Nocturno.

De sermóne sancti Lauréntii Justiniáni Patriárchæ Venetiárum.

Lectio iv.

GEórgius propugnátor exímius terrénæ obrenunciávit milítiæ, ut Christi miles efficerétur egrégius : facultátes quas habébat, dispérsit paupéribus, ut divítias perénnes possidéret in cœlo : suam quoque áninam odívit in mundo, ut in vitam illam custodíret ætérnam. Repérerat pretiósam margarítam, latitántem in agro, per quod, distráctis ómnibus, mercátus est eam. Dóminum dixísse audíerat : nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus : prætulit discipulátum Christi ópibus, honóribus, voluptátibus, córpori et temporáli vitæ : ídeo intrépidus, armátus et nudus secútus est Christum. Non cárceres, gládios, fustes, víncula, acúleos, tortóres, ignem, tyránnos expávit, nec mortem : nudus nudum Christum attendébat in stípite, illíus accendebátur exémplo, ejúsque passiónis dolóribus augebátur. O beáta mens Mártyris, quæ nec tribulatióne nec angústia nec plagis nec labóribus nec præséntibus nec futúris a Christo váluit separári.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum, gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et ætérnitas.

Lectio v.

VIvébat in carne, et corde cum Christo jam pendébat in cruce, ideóque dicébat Christo : cruci confíxus sum; vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus. Longe excelléntius Martyr, sic mórtuus vivébat

in Christo, quam si feliciter florens, aliénus esset a Christo. Vides quam lócuples talis sit mors, quæ vitam cum Christo præstat ætérnam. Sic plane mórtuus erat beátus Geórgius vivens in Christo. Mórtuus quippe erat vítiis, mórtuus erat sæculo, mórtuus erat et sibi. Nisi táliter fuísset mórtuus, mínime Christo vívere potuísset. An non mórtuus erat sæculo, qui oblátas dignitátes et gáudia, pro amóre Christi et spe ætérnæ mercédis repulsávit ut stércora? Nonne vítiis erat defúnctus, qui labóribus, abstinéntia, paupertáte, virtutibúsque céteris corpus quotidiána maceratióne domábat? De tálibus Pauli voce dícitur : qui autem sunt Christi carnem suam crucifixére cum vítiis et concupiscéntiis. Quómodo vero sibi ipsi vixísse Sanctus iste dicéndus est, qui Verbum Dei circumquáque disséminans Christi glóriam audiéntium áuribus insonábat? Quos valébat auférre diábolo, lucrabátur Christo : magnanimitáte namque præcínctus et caritátis bono suffúltus, coram régibus et terræ princípibus Christum líbera confitebátur voce.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

Hinc factum est ut cárceri mancipa-rétur; laniarétur, torquerétur, perimerétur. In his, quóniam vivébat Christo, se exhibébat ut mórtuum. Nulla plane in illo quærimóniæ resonábat vox, nullus repugnándi motus. Tanquam bellátor præcípuus arbitrátus est fore incóngruum, ut patiénte rege, atque pro animárum occumbénte salúte, ipse ségniter víveret, et sine certáminis exercitatióne defíceret : frequénter ánimo illud evangélicum revolvébat : majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Quamóbrem dilectiónem quam habébat ad Dóminum, factis máluit osténdere, quam verbis. Redemptórem útique suum non ingrá-

tus de múnere est imitátus in morte, de quo ait Prophéta : sicut ovis ad occisiónem ductus est : et tanquam agnus coram tondénte sine voce, sic non apéruit os suum. Obmútuit plane iste et os suum, nisi orándo apéruit, quátenus hóstia Deo acceptábilis fíeret, nec illi in longanimitáte patiéntiæ inveniréture dissímilis, qui in crucis perpessióne supplícii elóquium nullum contradictiónis emísit. Hinc gestum est, ut Dómini sui, sicut sócius éxstitit pœnæ, ita párticeps illíus efficerétur glóriæ, qui in cœlésti Regno cum Patre et Spíritu sancto triúmphat in sæcula.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Noct. Homilia. Iste locus : *temp. Pasch. j. loco.*

DIE XXVI. APRILIS.
B. M. V. de Bono Consilio.
Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXVII. APRILIS.
(*D. a. ex xiij. Maii*)
S. Peregrini Latiosi
Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xiij. Maii.

DIE XI. MAII.
S. Francisci de Hieronymo
Conf. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XIII. MAII.
(*D. a. ex xxvj. Aprilis*).
SS. Cleti et Marcellini *Pp. Mart.*
Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die xxvj. Aprilis.

DIE XV. MAII.
S. Isidori Agricolæ
Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter hic notata.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. *Jac.* v.

Ecce Agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat temporáneum et serótinum. Patiéntes ígitur estóte et vos, et confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit.

Ad Magnif. Aña. Labóres mánuum suárum quia

manducávit, esuriéntem implévit bonis Dóminus Deus noster, allelúia.

Oratio.

DA nobis quæsumus misericors Deus, beáto Isidóro Agrícola Confessóre tuo intercedénte, supérbe non sápere : sed ejus méritis et exémplis plácita tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. *Cap.* v.

PAtiéntes ígitur estóte, fratres, usque ad advéntum Dómini. Ecce Agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat temporáneum, et serótinum. Patiéntes estóte et vos, et confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Nolíte ingemíscere, fratres, ecce judex ante jánuam assístit. Exémplum accípite, fratres, éxitus mali, labóris, et patiéntiæ, prophétas, qui locúti sunt in nómine Dómini.

℟. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui, allelúia. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.— Intra.

Lectio ij.

ECce beatificámus eos, qui sustinuérunt. Sufferéntiam Job audístis, et finem Dómini vidístis, quóniam miséricors Dóminus est, et miserátor. Ante ómnia autem, fratres mei, nolíte juráre neque per cœlum, neque per terram, neque áliud quodcúmque juraméntum. Sit autem sermo vester : est, est : non, non : ut non sub judício decidátis. Tristátur áliquis vestrum? oret. Æquo ánimo est? psallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat Presbyteros Ecclésiæ, et orent super eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini : et orátio fídei salvábit infírmum, et alleviábit eum Dóminus, et si in peccátis sit, remitténtur ei.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia. ℣. Plantátus in domo Dómini,

in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iij.

Confitémini ergo altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem, ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

℟. Iste cognóvit.

In ij. Nocturno, Lectiones ut inter Festa pro aliquibus locis hac die.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xv.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Lib. 7 *Reg. Epist.* 32.

Per semetípsam Véritas dicit: Pater meus agrícola est: et omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: omnem vero qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Palmes enim infructuósus tóllitur, quia peccátor fúnditus eradicátur. Palmes vero fructuósus purgári dícitur, quia per disciplínam recíditur, ut ad uberiórem grátiam perducátur. Sic enim spicárum grana tríbulis attríta, arístis, et páleis mundántur: sic olívæ prelo pressæ in ólei pinguédinem défluunt: sic botri vineárum pressi cálcibus in vinum liquéscunt.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúia. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Tract. in 7. Psalm. Pœnit. ad 6.

Qui manet in Verbo, non fraudátur a regno. Aliter namque fructum fácere non póssumus, nisi

in eo maneámus. Ideo ait : Manéte in me, et ego in vobis. Ubi enim manéndum, nisi in ipso? Defícient domus, palátia córruent, destruéntur civitátes, ab imis sédibus turres evelléntur; Verbum autem Dómini manet in ætérnum. Maneámus ergo in eo, qui manet in ætérnum.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúia. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.— Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

NON sequámur vanitátem deseréntes veritátem : nec contristémur, sicut céteri, qui spem non habent, sed sustineámus eum. Et si moram fécerit, exspectémus, ne contíngat nobis, quod per Prophétam dícitur : Væ his, qui perdidérunt sustinéntiam. Quicúmque mundánæ adversitátis fractus moléstiis, diabólicæ tentatiónis infestatióne dejéctus, a spe cœléstium promissiónum decíderit, sustinéntiæ, quam prius habúerat, mercédem amíttet : qui vero sustinébit, magnam reportábit remuneratiónem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Capitulum. *Jac.* v.

ECce Agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat temporáneum et serótinum. Patiéntes ígitur estóte et vos, et confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit.

Ad Bened. Aña. Exiit qui séminat semináre semen suum, et áliud cécidit in terram bonam, et ortum fecit fructum céntuplum, allelúia, allelúia.

Ad Primam, Capit. Nonæ.

AD TERTIAM.

Capit. Ecce Agrícola. *ut supra.*

℟. *br.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Amávit.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúia. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Jac.* v.

Ecce beatificámus eos, qui sustinuérunt. Sufferéntiam Job audístis, et finem Dómini vidístis, quóniam misécors Dóminus est, et miserátor.

℟. *br.* Os justi meditábitur sapiéntiam, * Allelúia, allelúia. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Os justi.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, allelúia. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. *Jac.* v.

Multum valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram; et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

℟. *br.* Lex Dei ejus in corde ipsíus, * Allelúia, allelúia. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Lex.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

Ad Magnif. Aña. Ecce homo Agrícola iste fuit, quóniam Adam exémplum ejus ab abolescéntia sua, ad serviéndum Deo vivénti, allelúia, allelúia.

Fit Commem. S. Ubaldi.

DIE XVII. MAII.

(*D. a. ex heri.*)

S. Joannis Nepomuceni

Mart. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis (ex heri) 1. loco.

DIE XXIII. MAII.

S. Helenæ Imperat.

Vid. Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui locum, ubi crux tua latébat, beátæ Helénæ revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesáuro ditáres, ejus nobis in-

tercessióne concéde, ut vitális ligni prétio ætérnæ vitæ præmia consequámur. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Ex sancto Ambrósio in oratióne de óbitu Theodósii.

Lectio iv.

VEnit ergo Heléna, cœpit vísere loca sancta, infúdit ei Spíritus, ut lignum crucis requíreret, accéssit ad Gólgotham, et ait: Ecce locus pugnæ; ubi est victória? quæro vexíllum salútis, et non invénio. Ego, inquit, in regnis, et crux Dómini in púlvere? Ego in aulis, et in ruínis Christi triúmphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitæ ætérnæ. Quómodo me redémptam árbitror, si redémptio ipsa non cérnitur? Vídeo, quid égeris, diábole, ut gládius, quo peréemptus es, obstruerétur. Sed Isaac obstrúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec látere aquam passus est. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Góliæ caput est amputátum. Aperiátur humus, ut salus fúlgeat. Quid egísti, diábole, ut abscónderes lignum, nisi ut íterum vincéreris?

℞. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

VIcit te María, quæ génuit triumphatórem, quæ sine imminutióne virginitátis édidit eum, qui crucifíxus vínceret te, et mórtuus subjugáret. Vínceris et hódie, ut múlier tuas insídias deprehéndat. Illa quasi Sancta Dóminum gestávit, ego crucem ejus investigábo. Illa generátum décuit, ego resuscitátum. Illa fecit, ut Deus inter hómines viderétur, ego ad remédium peccatórum divínum de ruínis elevábo vexíllum. Aperit ítaque humum, décutit púlverem, tria patíbula confúsa réperit, quæ ruína contéxerat, inimícus abscónderat. Sed non pótuit obliterári Christi triúmphus. Incérta hæret, ut múlier, sed certam indáginem sancti Spíritus inspírat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

QUæsívit clavos, quibus crucifíxus est Dóminus, et invénit. De uno clavo frænos fíeri præcépit, de áltero diádema intéxuit : unum ad decórem, álterum ad devotiónem vertit. Visitáta est María, ut Hevam liberáret : visitáta est Heléna, ut imperatóres redimeréntur. Misit ítaque fílio suo Constantíno diádema gemmis insignítum, quas pretiósior ferro innéxas cruci Redemptiónis divínæ gemma connécteret. Misit et frænum; utróque usus est Constantínus, et fidem transmísit ad pósteros reges. Princípium ítaque credéntium imperatórum sanctum est, quod super frænum. Ex illo fides, ut persecútio cessáret, devótio succéderet. Sapiénter Heléna egit, quæ crucem in cápite regum levávit, et locávit, ut crux Christi in régibus adorétur. Non insoléntia ista, sed píetas est, dum defértur sacræ Redemptióni. Bonus ítaque clavus Románi imperatóris, qui totum regit orbem, ac vestit príncipum frontem, ut sint prædicatóres qui persecutóres esse consuevérunt.

℟. Fallax.

In iij. Nocturno, Homilia. Cœlórum regnum. *de Communi nec Virg. nec Mart.*

DIE XXIV. MAII.

B. M. V. *titulo* Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXX. MAII.

S. Ferdinandi

Regis. Semiduplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

Index.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 4 Decembris 1900.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
Dioeceseos Nucerinae.

PARS ÆSTIVA.

DIE XVII. MAII.
(*D. a. ex heri.*)
S. Joannis Nepomuceni
Mart. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis (ex heri) j. loco.

DIE XXIII. MAII.
S. Helenæ
Imperat. Vid. Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latébat, beátæ Helénæ revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesáuro ditáres, ejus nobis intercessióne concéde, ut vitális Ligni prétio ætérnæ vitæ præmia consequámur. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex sancto Ambrósio in Oratióne de óbitu Theodósii.

Lectio iv.

Venit ergo Heléna, cœpit vísere Loca sancta, infúdit ei Spíritus, ut lignum Crucis requíreret, accéssit ad Gólgotham, et ait : Ecce locus pugnæ; ubi est victória?

quæro vexíllum salútis, et non invénio. Ego, inquit, in regnis, et Crux Dómini in púlvere? Ego in aulis, et in ruínis Christi triúmphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitæ ætérnæ. Quómodo me redémptam árbitror, si redémptio ipsa non cérnitur? Vídeo, quid égeris, diábole, ut gládius, quo perémptus es, obstruerétur. Sed Isaac obstrúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec látere aquam passus est. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Góliæ caput est amputátum. Aperiátur humus, ut salus fúlgeat. Quid egísti, diábole, ut abscónderes lignum, nisi ut íterum vinceréris?

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Dicit te María, quæ génuit triumphatórem, quæ sine imminutióne virginitátis édidit eum, qui crucifíxus vínceret te, et mórtuus subjugáret. Vínceris et hódie, ut múlier tuas insídias deprehéndat. Illa quasi Sancta Dóminum gestávit,ego crucem ejus investigábo. Illa generátum dócuit, ego resuscitátum. Illa fecit, ut Deus inter hómines viderétur, ego ad remédium peccatórum divínum de ruínis elevábo vexíllum. Aperit ítaque humum, décutit púlverem, tria patíbula confúsa réperit, quæ ruína contéxerat, inimícus abscónderat. Sed non pótuit obliterári Christi triúmphus. Incérta hæret, ut múlier, sed certam indáginem sancti Spíritus inspírat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Quæsívit clavos, quibus crucifíxus est Dóminus, et invénit. De uno clavo frænos fíeri præcépit, de áltero diádema intéxuit : unum ad decórem, álterum ad devotiónem vertit. Visitáta est María, ut

Hevam liberáret : visitáta est Heléna, ut imperatóres redimeréntur. Misit ítaque fílio suo Constantíno diádema gemmis insignítum, quas pretiósior ferro innéxas cruci Redemptiónis divínæ gemma connécteret. Misit et frænum; utróque usus est Constantínus, et fidem transmísit ad pósteros reges. Princípium ítaque credéntium imperatórum sanctum est, quod super frænum. Ex illo fides, ut persecútio cessáret, devótio succéderet. Sapiénter Heléna egit, quæ crucem in cápite regum levávit, et locávit, ut crux Christi in régibus adorétur. Non insoléntia ista, sed píetas est, dum defértur sacræ Redemptióni. Bonus ítaque clavus Románi imperatóris, qui totum regit orbem, ac vestit príncipum frontem, ut sint prædicatóres, qui persecutóres esse consuevérunt.

℟. Fallax.

In iij. Noct. Homilia. Cœlórum regnum. *de Communi nec Virg. nec Mart.*

Vesp. de seq. Comm. præc.

DIE XXIV. MAII.
B. M. V. *titulo* Auxilium Christianor.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXIX. MAII.
S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *Virg.*

Omnia ut in Brev.

DIE XXX. MAII.
S. Ferdinandi

Regis. Semiduplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XVI. JUNII.
S. Joannis Francisci Regis

Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE VII. JULII.
Translationis S. Raynaldi

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

AD VESPERAS.

Añæ et Capit. de Laud.

Hymnus.

QUis tuas digne, Raynálde, laudes
Cóncinat, nostræ cólumen salútis,

Quem sibi legit Nucerína rite
Terra Patrónum?
Sæculi spernens bona blandiéntis
Tendis ad sacros némorum recéssus,
Factus a primis generósus annis
Tránsfuga mundi.
Hic humo stratus gélida, flagéllis
Membra vix parcis dápibus refécta
Edomans, noctis vígiles precándo
Prótrahis horas.
Interim terris ánimo relíctis,
Mente conscéndis súperas ad arces
Sponte ubi cœli tibi tota sese.
Régia pandit.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Raynálde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Aña. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, Pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

Da quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Raynáldi Confessóris tui atque Pontíficis, quam celebrámus, veneránda Translátio, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Comm. SS. Apostolorum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Canta lux autem módio repósta
Débuit cæco mínime recóndi;
Tanta nec virtus médiis latére
Abdita silvis.
Ergo, ut in domo média nitéret
Jussa silvárum látebras relínquit.
Díceris Pastor, meritósque cingit
Infula crines.
Pastor efféctus téneros Paréntis
Induis sensus, satagísque primum
Créditos tibi pópulos sacráto
Páscere verbo.
Córporum duros míserans labóres,
Dulce mox affers sédulus levámen

Omnibus, Christo súbigas ut omnes,
Omnia factus.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Lauréntii Justiniáni.

In Solemn. S. Hugonis Episcopi Linconiensis.

Lectio iv.

SAnctórum Confessórum Christi enarráre præcónia, fratres dilectíssimi, honoríficum est, eórum præcípue, qui Pontificáli fuérunt ínfula sublimáti. Hi namque magnanimitátis, dum víverent, virtúte prædíti, sanctitáte decoráti, fraternæque dilectiónis zelo succénsi, in cœlis nunc ineffábili glória perfruúntur. Decet prorsus, ut céteris honóre emíneant, qui sanctitátis mérito, mortális natúræ límites transiérunt. Excélsa, quam isti adépti sunt, perfectiónis est via, suíquemet gloriósus, et voluntárius probátur esse contémptus. Hæc nemo apprehéndit, qui temporálium rerum negléxerit esse contémptor. Quis (oro) terrenárum facultátum onerátus sárcina valet expedítis gréssibus ad alta conscéndere? Vidéte, inquit véritas, ne corda vestra gravéntur crápula, et ebrietáte, et curis hujus sæculi.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

QUod ut clárius elucéscat, sanctíssimi Raynáldi Nuceríni Epíscopi, cujus hódie solémnia celebrántur, percurrénte cálamo vitam proferámus in médium. Hic étenim quum adhuc esset puérulus, seníle cor gerens, contémpsit quidem sæculum, relíquit prædia, opes erogávit egénis, omnémque mundi glóriam commendábili magnanimitátis virtúte calcávit. Prætérea corpus suum jejuniórum, vigiliárum, et

exterióris óperis exercitatióne castígans, ipsum prorsus spirítui servíre coégit. Apostólica síquidem admonitióne edóctus, semetípsum hóstiam vivam, sanctam, Deo placéntem exhíbuit. Nóverat plane úberem pœniténtiæ esse mercédem, delectábilem virtútis fructum, et puritátis donum esse conspícuum. Quamóbrem fídei constántia fultus, ac Dei sapiéntia replétus, tamquam negociátor exímius lutum commutávit in aurum, sprevítque præséntia futurórum illéctus amóre. Hinc ad debellándas córporis passiónes, ad perferénda pro Christo convícia, ad libídinis exstinguénda incéndia se contra se viríliter armávit ad pugnam.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

SRudítus Raynáldus in regulári conversatióne ómnium perfectióne virtútum, efféctus est in Episcopáli dignitáte devótior, hábitus vilitáte despéctior, erga sui custódiam vigilántior, atque pro salúte proximórum fervéntior. Subditórum quippe crímina plangébat, ut própria; eórum de Ecclésiæ património sublevábat inópiam, afflíctis compatiebátur ex corde, débiles hortabátur ut pater, sicque síngulis sibi commíssis misericórdiæ impendébat auxílium, ut illud Job veráciter dici posset : Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum : óculus fui cæco, et pes claudo, pater eram páuperum, et mœréntium consolátor, flebam quondam super eo, qui afflíctus erat, et compatiebátur ánima mea páuperi. Ex his, et hujúsmodi fratérnæ dilectiónis stúdiis fulgéntem meritórum cœléstium sibi corónam contéxit, per quam nedum Deo gratus est factus, verum étiam in Ecclésiæ domo tamquam mututína stella sanctitátis, privilégio supra multos enítuit. Ejus si quidem vita virtútem odóre respérsa imménsis

miráculis cláruit, atque bonórum óperum opinióne refúlsit. * Sancti Antístitis corpus post sexcéntos círciter annos incorrúptum asservátur, continuísque corúscat miráculis, hodiéque ea dies recólitur, qua e lóculo, ubi fúerat recónditum, exhumátum públice fuit veneratióni expósitum. Anno vero millésimo septingentésimo nonagésimo nono ab ipsa cathedráli ecclésia terræmótibus quassáta ad templum sancti Francísci Minórum Conventuálium depósiti loco translátum est, unde anno millésimo octingentésimo séptimo die vigésima tértia Augústi, postquam anno superióri nova cathedrális ædes jam instauráta fúerit consecráta ad ipsam fuit relátum. Tandem die séptima Júlii anni millésimi octingentésimi décimi sexti solémni pompa, magnóque pópuli concúrsu, univérso spectánte clero in quarta diœcesána synodo congregáto, sub ara máxima váriis, et elegántibus marmóribus áffabre elaboráta repósitum fuit. ℟. Iste est.

In iij. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

AD LAUDES

et per Horas, Añæ.

1. Dabo vobis * Pastórem juxta cor meum, et pascet vos sciéntia, et doctrína.

2. Lex veritátis * fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis suis.

3. In pace, * et in æquitáte ambulávit cum Deo, et multos avértit ab iniquitáte.

4. Fecit * quod plácuit Deo, et fortis ivit in viam Patris sui.

5. Osténdit * ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ.

Capitulum. *Eccli.* xliv. c

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

Laudis ætérnæ méritis corónis
Ornet ut servum Dóminus fidélem,
Córporis tandem láqueo solútus
Æthera scandis.
Factus hinc illi própior beáta

Pace secúrus frúeris, poténsque
Factus es nobis étiam, poténti
Númine fretus.
Quare age, humános míserans labóres
Aspice, et casus vários tuórum,
Quæque nos angunt mala pelle summo
Dexter ab axe.
Si tuas laudes cánimus frequénter,
Si tuas votis cumulámus aras,
Nostra sint tanto bene fulta semper
Vota Patróno.
Nunc age, his nostris précibus vocátus
Prótege hanc Urbem tibi dedicátam,
Et tuos serva, bonus o, cliéntes
Tempus in omne.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus, semper Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Non recédet memória ejus. ℟. Et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

Ad Bened. Aña. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur.

In ij. Vesperis, Añæ et Capit. de Laud., Hymnus ut in j. Vesp.

℣. Méritis, et intercessióne beáti Raynáldi. ℟. Propítius esto Dómine plebi tuæ.

Ad Magnif. Aña. Ecce verus Israelíta, in quo dolus non est. Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.

DIE IX. JULII.
S. Veronicæ de Julianis

Virg. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XI. JULII.

(*D. a. ex ix. hujus.*)

SS. Nicolai et Soc.

Mart. Gorgomiensium.

Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die ix. hujus.

DIE XV. JULII.
S. Felicissimi

Confessoris.

In Civit. Nuceriæ et Territ.

Duplex majus.

In j. Nocturno, Lectiones. Justus. *Reliq. ut in Comm. Conf. non Pont. j. loco.*

Oratio. Deus qui nos.

In Diœcesi. *Duplex.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. Reliq. ut supra.

DIE XXI. JULII.

(*D. a. ex xv. hujus.*)

S. Henrici

Conf. Semid. (*m. t. v.*)

Omnia ut in Breviario die xv. hujus. ix. Lect. et Comm. in Laud. S. Praxedis.

DIE XXIV. JULII.

S. Francisci Solani

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui plúrimas Americæ gentes per beátum Franciscum ad sinum Ecclésiæ perduxísti, ejus méritis, et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte, et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

Commem. præced. et S. Christinæ Virg. Mart. ut in Brev.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FRancíscus Solánus Montíliæ Hispániæ Bæticæ óppidi, ingénuis, piísque paréntibus ortus, vix adolescéntiam ingréssus in Fratrum Minórum Observántium órdinem cooptári curávit. In eo miris, et multis severióris disciplínæ, et christiánæ humilitátis arguméntis elúxit. Divínæ pietátis, et singuláris pœniténtiæ exercítiis semper inténtus, juncórum strue pro léctulo, pro indúsio utebátur cilício, quod grandi fune ita stringébat, ut látera acérrime divexáret. Noctu se flagris, et cátenis cædébat : dies anni complúres pane tantum, et aqua corpus suum sustentábat; utque insurgéntes concupiscéntiæ motus compésceret, beátum Francíscum paréntem suum imitátus, se aliquándo in spinárum acérvos nudum projécit. In sacris autem conciónibus ardentíssima ipsíus cáritas máxime enítuit, qua et plúrimos Christo lucrifécit, et Sancti elógio passim méruit appellári.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Pestífera lue in Hispánia Bætica grassánte, nulla mortis formídine térritus, ómnibus hoc morbo laborántibus ómnia córporis, animæque subsídia præstitit : immo et ipse letháli contagióne corréptus, atque ab ea divíno múnere liberátus prístinum ministérium alácrius suscépit. Magnum exínde cœpit esse Soláni nomen in Bætica : sed ipse, qui Dei glóriam, non suam quærébat, se ei clam subdúcere cógitans, a sui Ordinis præsídibus humíllime postulávit, ut in Africam mitterétur, Evangélicam doctrínam prædicatúrus. Compos tamen voti nequáquam factus, hoc tandem obtínuit, ut in Américam cum áliis verbi Dei præcónibus trajíceret. Itaque itíneri sese commíttens, quum post multa terræ, marísque perícula divínitus superáta ad eas regiónes pervenísset, íllico víneam sibi a Dómino parátam excoléndam læto ánimo suscépit, linguáque géntium supérno lúmine percépta, ingéntem infidélium númerum ferventíssimis conciónibus suis ad Christi fidem tradúxit, et sacro fonte regenerávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Quantum apud Indos haberétur Solánus, ejúsque præséntia, et sermónis vis posset, tunc máxime pátuit, quum ipse unus multis Indórum míllibus cruéntam Christi fidélibus cædem nefárie moliéntibus, exitiúmque minitántibus, Dei verbo occúrrens, statim e perditórum hóminum mánibus extórsit arma inténta in júgulum christianórum, Domínicæ Passiónis memóriam de more recoléntium féria quinta in Cœna Dómini, barbarásque

gentes lingua, ac móribus inter se divérsas, suo idiómate allocútus, non modo ad pacem, et concórdiam revocávit, sed ínsuper novem, et ámplius ex iis míllia ad agnitiónem veritátis convértit. Summis dénique pro Dei glória amplificánda labóribus conféctus, mortémque præséntiens imminéntem, sacris réfici vóluit Ecclésiæ Sacraméntis; manibúsque in Crucis figúram compósitis, ac totus in Dómino cogitatióne defíxus, in cœnóbio Limáno sanctíssimi nóminis Jesu placidíssime óbiit ætátis anno secúndo et sexagésimo, Christi millésimo sexcentésimo décimo, festo ipso die sancti Bonaventúræ, quem vivens exímia pietáte fúerat prosequútus. Soláni exúviæ ántea súbnigræ, mox pulchræ, et cándidæ apparuérunt, et suávis odor ex iis cœpit erúmpere. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* xvj. *c*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Hom. xxviij. *in Ev. post init.*

POtest omnis creatúræ nómine omnis nátio Géntium designári. Ante étenim dictum fúerat : In viam Géntium ne abiéritis, nunc autem dícitur : Prædicáte omni creatúræ : ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et

pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

NEque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contrádicit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Viguáte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix. Vigil. S. Jacobi, ejus Comm. et S. Christinæ in Laud.

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE XXVII. JULII.
B. Hugonis
Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui in beáto Hugóne Confessóre tuo mirum divínæ contemplatiónis stúdium cum pari erga próximos caritáte sociásti : tríbue, quæsumus ut in utróque eum imitántes in terris cum eo præmia ætérna mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pantaleonis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HUgo ex Serra sancti Quírici, quod óppidum est in Picéno, nobílibus oriúndus paréntibus, a primis usque puerítiæ annis spécimen, dedit futúræ virtútis, pietáte in Deum, et morum

suavitáte. Adoléscens ad bonas ediscéndas artes Bonóniam missus, multum in eis profécit. At cum plures vidéret sæculi móribus ad vítia tradúci, cœpit secum cogitáre, nil sibi profutúrum stúdium litterárum, si cordis innocéntiam non serváret. Igitur humána despíciens, sanctum Silvéstrum Guzolínum magna tunc sanctitátis fama percélebrem apud Sentínum commorántem adívit, ut eo duce, et ejus sub institúto, ac disciplína árduum arríperet Evangélicæ perfectiónis iter. Quod cum ægre tulísset pater, nullas non adhíbuit blandítias, preces, et minas, ut fílium a suscépto consílio dimovéret. Sed Hugo egrégium de se, de patre, de mundo triúmphum agens, victor ingréssus in órdinem sancti Silvéstri, voti compos efféctus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CUM vero christiánis virtútibus excoléndis ádeo incúbuit, humilitáti præsértim, obediéntiæ, paupertáti, ut brevi sese osténderit perfectíssimum eárum exémplar. Divinárum rerum contemplatióni, recitandísque psalmis, et sacris legéndis, ac meditándis scriptúris contínuo inténtus, cœléstem magis, quam terrénam vitam dúcere videbátur. Hinc sive cum suis, sive cum éxteris sermónem habéret, nihil nisi de Deo, et de divína erga hómines caritáte loquebátur : nihil quod ad Dei laudem, et próximi ædificatiónem non pertinéret; nímirum ómnia, quæ suis occurrébant óculis, excitaménto ei erant ad divínas laudes celebrándas. Quod cum sanctus Silvéster intuerétur, tantam alúmni sui virtútem non pótuit veheménter non admirári. Amórem hunc erga Deum tam singulárem cum pari erga hómines caritáte conjúnxit. Ægrótos frequénter invísere; blandis, piísque sermónibus afflíctos recreáre, peccatóres corrígere, timéntes Deum

salubérrimis mónitis confirmáre, familiáre ipsi ádmodum fuit. Comis, mitis, et fácilis, quum patérna omnes caritáte complecterétur, eos fácile sibi, et Christo lucrabátur. Hinc quum ejus virtútum fama longe, latéque percrebuísset, et ingens ad eum concúrsus hóminum fíeret, supérnam in eo grátiam admirabántur omnes. Nec tantam sui erga se, et próximos caritátem crebris miráculis prætermísit Dóminus illustráre. Inter illa celebérrimum, quod operários, quos dira urgébat sitis, commiserátus, ictu báculi fontem ex lápide copiósum, atque perénnem eduxísse fertur, étiam nunc expelléndis morbis opportuníssimum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

HIS benefíciis, miraculísque permóti Veragráni, apud quos non exíguo témpore déguit, ut Servo Dei de se ádeo benemerénti hábere se grátias significárent, eum post óbitum sibi apud Deum Patrónum ab antiquíssimo témpore delegérunt, aras extulérunt, ejúsque festum diem quotánnis undécimo Kaléndas Septémbris máxima celebritáte ad hæc usque nostra témpora peregérunt. Veragráno demum Sentínum revérsus, cum in eo totus esset, ut errántes in viam salútis revocáret, rectos vero in justítiæ sémita confirmáret, febri corréptus, Sacraméntis religióse suscéptis, circumstántes ad pacem, ad caritátem, ad sanctæ vitæ ratiónem constánter prosequéndam hortátus; pollícitus étiam mútuam eis pacem, ut precabántur, pro futúro in ævum témpore sese a Deo impetratúrum, obdormívit in Dómino. Ejus corpus frequéntibus miráculis clarum novo sarcóphago cónditum summa adhuc fidélium veneratióne recólitur : quem cultum ab eo témpore ad nos usque perdúctum Benedíctus décimus quartus Póntifex máximus declarávit, ritéque probávit.

℟. Iste homo.

Lectiones iij. Nocturni de eodem Comm. j. loco.
Lectio ix. S. Pantaleonis cum Comm. in Laud. In Vesp. Comm. seq.

DIE XXX. JULII.
S. Liborii
Episc. et Conf. Duplex. (m. t. v.)

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.
Orat. Exáudi. *de Comm. Commem. S. Marthæ, et postea SS. Mart.*
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LIbórius honéstis paréntibus in Gállia natus, et ab ineúnte ætáte caducárum rerum illécebras aversátus, egrégiam índolem præcláris móribus, et humanárum, sacrarúmque litterárum stúdiis ádeo diligénter excóluit, ut progréssu témporis probitátis, ac sapiéntiæ profíciens increméntis, maturitátem virílis ornáret ætátis. Clero adscríptus, ac offíciis functus ecclesiásticis, ámplius totum sese divíno cúltui mancipávit : studuítque cunctos actus, cogitationésque suas ita ad ratiónis normam dirígere, ut nihil appéteret pœniténdum. Modéstia ítaque, abstinéntia, castimónia, aliísque virtútibus conspícuus, Pavácio Cenomanénsi Epíscopo defúncto, unánimi civitátis consénsu quartus ejúsdem sedis Antístes elígitur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

SA dignitátis accessióne nihil intérius immutátus, in concrédita sibi Dómini vínea excolénda totus fuit. Assídua prædicatióne, vitæ innocéntis exémplo, et effúsa in páuperes caritáte præcípue insígnis, pópuli mores reformávit, ac potens in ópere, et sermóne, multos integritáti vitæ, fideíque restítuit. Domus Dei decórem, et cultum egrégie promóvit, ædificátis septémdecim ecclésiis, in quibus pro jugi divinórum officiórum celebratióne, et affluéntibus pópulis sacrórum dispensa-

tióne, divérsi órdinis minístros instítuit. Tandem quadragínta novem annis in episcopátu sanctíssime transáctis, obdormívit in Dómino décimo Kaléndas Augústi. Eum in cilício decumbéntem, et ad cœléstem pátriam anhelántem beátus Martínus Turonénsis Epíscopus ab Angelo mónitus invísit : mortuúmque in suburbána ecclésia honoríficè sepelívit, ubi multis póstea miráculis coruscávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

VErum post debellátam a Cárolo Magno Saxóniam, et Christi jugo subáctam, Badurádus secúndus Padérbonæ in Westphália Epíscopus, cum adhuc rudem in fide pópulum ad avítas Gentílium superstitiónes sese converténtem animadvertísset; quo illum ab hujúsmodi erróribus per novum Patrónum, ac intercessórem apud Deum revocáret, divíno mónitu ab Aldríco Cenomanénsi Antístite Libórii corpus impetrávit, et máxima cum celebritáte suscépit anno salútis octingentésimo trigésimo sexto. Sacræ Relíquiæ cum transferréntur, omnes illas regiónes mira signórum frequéntia illustrárunt, quorum fama in dies percrebrescénte, magnum ubíque Libórii nomen esse cœpit. Sed ejus virtus contra nephríticos dolóres præcípue claréscit, contínuis testáta benefíciis; ob quæ peculiári fidélium pietáte multis in regiónibus celebrátur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam. *de eodem Communi ij. loco.*

Lectio ix. et Commem. SS. Mart. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

DIE IX. AUGUSTI.

S. Donati

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, tuórum glória Sacerdótum, præsta quæsumus, ut sancti Mártyris tui et

Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Commem. SS. Cyriaci et Soc., et S. Romani, ut in Brev.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j.

OMnis Póntifex ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum; ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant; quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte, et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam Aaron : sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te : quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. — Fundátus.

Lectio ij.

ET álii quidem plures facti sunt Sacerdótes; idcírco quod morte prohiberéntur permanére : hic autem, eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum, semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus, qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópulo : hoc enim fecit semel se ipsum offeréndo. Lex enim hómines constítuit sacerdótes infirmitátem habéntes : sermo autem jusjurándi, qui post legem est, Fílium in ætérnum perféctum.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iij.

PER ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, et communiónis nolíte oblivísci. Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem de animábus vestris redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant, et non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis : confídimus enim, quia bonam consciéntiam habémus : in ómnibus bene voléntes conversári. Amplius autem déprecor vos hoc fácere, quo celérius restítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis pastórem magnum óvium in sánguine testaménti ætérni Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DOnátus paréntibus ob Christi fidem, sæviénte Diocletiáni persecutióne, interféctis, Roma una cum Hilaríno mónacho Arétium in Etrúriam se prorípuit, ubi mirum est, quam illústria abstinéntiæ, ac veræ religiónis exémpla cunctis præbúerit, quantúsque christiánæ pietátis, et disciplínæ magíster brevi eváserit. Permóti ejus fama sanctitátis, ut eum víserent, et veneraréntur, jam pópuli úndique Arétium confluébant; inter hos Sیránna nóbilis fémina diu óculis capta, Donáti précibus lumen recépit : et Astérius Aproniáni præfécti fílius a dæmone obséssus, et miris cruciátus modis solo salutíferæ crucis signo ab eódem liberátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum:

* Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

Ræerat tum Sátyrus Ecclésiæ Aretínæ, cui regéndæ cum sócium sibi adsciscéndum arbitrarétur, Donátum elégit, cujus præcláras virtútes jam cuncti admirabántur. Quo in múnere Donátus Sátyri spem, ac desidérium, reliquórum ómnium exspectatiónem vigilántia, prudéntia, et morum probitáte longe superávit. Mirum dictu tum áccidit. Eustásius fisci exáctor apud Eufrosínam uxórem grandem fisci pecúniam Arétio discédens relíquerat : rédiens súbita morte sublátam uxórem cum deprehendísset, nullibíque depósitæ pecúniæ indícium, aut arguméntum ullum exstáret, in summum cápitis, ac fortunárum discrímen a fisci procuratóribus adducebátur. Donátus Eustásii misértus est. Quare post preces ad Deum fusas, divíno instínctu pércitus, et cœléstis opis nixus fidúcia, ad sepúlcrum Eufrosínæ accédit; defúnctam intérrogat : Ubínam pecúnia? Respóndit illa : Sub ipso primo límine domus. Quamóbrem repérta pecúnia, gravi, atque imminénte perículo Eustásium líberat, ómnibus Donátum divinórum óperum effectórem summa cum admiratióne prædicántibus.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vi.

UO étiam factum est, ut in defúncti Sátyri locum ab univérso clero, populóque Aretíno invítus deligerétur Epíscopus, atque a Július primo Pontífice máximo confirmarétur. Auxit tum Donátus incredíbile illud stúdium, et ardórem amóris in univérsum gregem. Cujus salúti dies, noctésque ita invigilábat, ut ne tantísper quidem sibi quiescéndum arbitrarétur. Memorátu illud in primis di-

gnum vidétur, quod cum Donátus Missárum solémnia perágeret, calicémque vítreum Antímus Diáconus pro suo múnere ad altáre gestáret, infidélium hóminum turba írruens, cálicem ipsum per summam vim e manu Diáconi extórtum in terram dejécit : quo in minutíssima fragménta disjécto subsístere in Missæ sacrifício Donátus cogebátur, nisi divína effulsísset grátia, per quam solo crucis ductu, fragménta in priórem cálicis formam coagmentávit. Hæc, et ália hujus géneris quamplúra cum per iníque ferret Quadratiánus Juliáni præféctus, Donátum, et fídei consórtem, laborúmque sócium Hilarínum ádvocat, et idóla venerári jubet. Illi costántes negant se tantum scelus unquam admissúros. Quare in óculis Quadratiáni Hilarínus támdiu fústibus cæditur, quámdiu ánimam exhaláret. Donátus post immánes cruciátus secúri percútitur. Quorum córpora a christiánis prope eam urbem honésto sepúlcro cóndita sunt.

℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* x. *b*

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo I. *de verbis Dom.*

Audiámus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris officium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres, et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus : et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit. Pastor, inquit, bonus ánimam suam pro óvibus ponit : mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit, quia non est ei cura de óvibus, mercenárius enim est. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? non est bonus Pastor? nonne et ipse ánimam suam pro

óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Donátus? nonne omnes pastóres boni? Non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, recepérunt mercédem suam. Omnes ergo isti pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt; non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

NAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátem áliquid molestiárum perpéssi fúerint, nómine martyrii se jactant, ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum audíte. Quóniam non omnes, qui córpora sua in passiónem étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æraméntum sonans, et cymbalum tínniens. Si scíero ómnia sacraménta, et habúero omnem prophetíam, et omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non hábeam, nihil sum. Magna ergo res est póstremo fides montes tránsferens. Illa quidem magna sunt, sed si ego hæc sine caritáte hábeam, inquit, non illa, sed ego nihil sum.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix. Vigil. S. Laurentii, Comm. ejusd. et S. Romani in Laud.

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE XI. AUGUSTI.
S. Rufini
Ep. et Mart. Duplex.
Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beáto Rufíno Mártyri tuo atque Pontífici in ardóre clíbani refrigérium præstitísti : da quæsumus, ut per ejus preces et mérita fervóres víncere nóxios valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrent.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

ASísium in Umbria illústre quondam Románi impérii municípium, Deus omnípotens suæ misericórdiæ óculis íntuens, sancti Evangélii luce illustrándum, Fabiáno Pontífice in Petri cáthedra sedénte, benigníssime státuit. Eo ergo témpore, quo magis idololatría grassabátur, Asii montis juga ímpulit ascéndere Rufínum Pontíficem, qui posteáquam Marsórum pópulis Christiánæ Fídei veritátem annuntiáverat, divérsas quoque Umbriæ civitátes pertránsiens, Christum Crucifíxum prædicábat, multásque gentes e ténebris ad lumen verbis et opéribus transíre cogébat. Ingréssus ítaque sanctus Pontifex civitátis mœnia, látitans prius occúlte in quodam hospítio, tota vero die circúmiens civitátem, ut reperíret apud quos oráret, Christiános; deínde licet non ignoráret víncula et vérbera quæ eum ibi manébant, et ómnia quæ illi ad mortem usque essent ventúra, in públicum fortis Christi athléta pródiens, totus in Evangélio prædicándo fuit; et verbis erúdiens, opéribus et signis confírmans quamplúrimos ad veram Fidem amplecténdam, et Jesum Christum adorándum indúxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis

non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

Gentium vero Sacerdótes hæc ómnia latére non póterant : quare in illórum íncidens invídiam, ab eísdem vir Dei velúti idolórum spretor, et Christiánus et Epíscopus ad præsidem est accusátus. Comprehénsus ítaque ad tribúnal addúctus et interrogátus, cum Evangélium suum acérrime propugnáret, et Jesum Christum verum Dei Fílium habéndum, et timéndum prædicáret, ab iráto præsíde lapídibus in ore crudéliter tundi jubétur. Attamen a Christi láudibus et prædicatióne non cessat vir sanctus, constánter Géntium cæcitátem éxprobrat, et Christiánæ Fídei veritátem osténdit, prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo cum omni fidúcia : unde ímpius præses plumbátis eúmdem cædi crudelíssime mandat, donec e vita migrásse putétur. Quibus ex cruciátibus cum ad arma prómptior assúrgeret, et íterum unumquódque personárum genus in fide evangelizáret, íterum a satellítibus comprehénsus, furéntis jussu præsídis in ardéntem clíbanum conjícitur, in quo, Angelo flammam cohibénte, illæsus circúmiens, álios quamplúrimos novitáte miráculi percúlsos et Dei grátia illéctos ad Christi confessiónem perdúcit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

Istis tamen evidéntibus signis haud commótus præses, et ad tantam Rufíni constántiam a propósito commovéndam suórum tormentórum génera adinvéniens impária, virum fidélem vita privándum judicávit. Eúmdem ergo extra civitátem perdúctum, gravi ad collum saxo alligáto, in flumen Clásium præcípitem dari jubet omníno, ne miræ sævitátis et

perfídiæ testimónium áliquod superésset: quare præsul invíctus Apostolátus honóri Mártyrii palmam conjúngens, ad cœlos evolávit tértio Idus Augústi. Ejus vero corpus a christiánis deínceps aquis extráctum, summa veneratióne prope flumen ipsum fuit sepúltum, et super túmulo oratórium constrúctum, donec remíssa Christiáni nóminis persecutióne, intra mœnia civitátis in basílica illíus honóri ædificáta fuit recónditum. Póstea, uti habétur ex sancto Petro Damiáno, Ugo Assisiénsis Epíscopus, ineúnte sæculo undécimo magnam constrúxit ecclésiam, ut nunc inspícitur, et in qua sub ara máxima sancti Mártyris corpus arca marmórea inclúsum summa fidélium cólitur veneratióne.

℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharísæis : Ego sum pastor bonus : bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

MAgnum quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio, et quæ multa índiget sapiéntia et fortitúdine, qualem Christus propósuit, ut ánimam pro óvibus ponámus, et nunquam illas deserámus, ut lupo generóse resistámus. Hæc enim inter pastórem et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus; alter, sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit : furem mactántem, et rapiéntem oves; et mercenárium permittentem, neque defendéntem commíssas.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

Quod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est : Væ pastóribus Israel! Nonne pascébant semetípsos? Nonne greges pascúntur a pastóribus? Sed illi contrárium faciébant; quod máximum malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum. Idcírco, inquit, neque quod abjéctum erat, reducébant, neque quod períerat, quærébant, neque confráctum alligábant, neque infírmum consolidábant, quóniam se, non gregem pascébant. Idem et Paulus áliis verbis signíficat : Omnes, quæ sua sunt, quærunt; non quæ Jesu Christi.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. -- Qui minas. Glória. Qui.

Lectio ix. de SS. Mart. Tiburtio et Susanna et eorumd. Commem. in Laud. ut in Brev.

DIE XIII. AUGUSTI.
S. Philumenæ
Virg. et Mart. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xj. hujus.

DIE XIV. AUGUSTI.
SS. Cyrilli et Methodii
Pontif. et Confessor. Duplex.

Omnia ut in Breviario die vij. Julii.

Nona Lectio Homiliæ Vigil. In Laud. Commem. Octavæ, Vigiliæ et S. Romani.

DIE XV. AUGUSTI.
Assumpt. B. M. V.
Patronæ Principalis Civitatis et Diœcesis.

Duplex j. classis cum Octava privilegiata.

Officium ut in Breviario.

DIE XVI. AUGUSTI.
S. Rochi
Conf. Duplex.

(In Nucerina S. R. C. 25 Maii 1887)

Ut in Breviario pro aliquibus locis hac die præter Lect. III. Noct. quæ sunt ut in Festo S. Ludovici Reg. Conf. xxv. Aug. Commemoratio Octavæ.

DIE XVIII. AUGUSTI.

Quarta die infra Oct.

Assumpt. B. M. V.

In I. Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. *Cap.* iv.

QUam pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum, quæ ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fœtibus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea, lábia tua : et elóquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium.

℟. Vidi speciósam.

Lectio ij.

TOta pulchra es amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni : coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

℟. Sicut cedrus.

Lectio iij.

FAvus distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Cipri cum nardo, nardus et crocus, fístula et cinnámomum cum univérsis lignis Líbani, myrrha et áloe cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano. ℟. Quæ est.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Damascéni.

Oratio ij. de Dormit. Deiparæ.

Lectio iv.

EX ántiqua accépimus traditióne, quod témpore gloriósæ dormitiónis beátæ Vírginis, univérsi quidem sancti Apóstoli, qui orbem terræ ad salútem géntium peregrábant, moménto témporis in sublíme eláti convenérunt Jerosólymis : cumque illic essent, eis vísio appáruit Angélica, et audíta est psalmódia cœléstium potestátum, et sic cum divína glória in manus Dei sanctam trádidit ánimam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffábili quadam ratióne suscépit, cum Angélica et Apostólica hymnódia elátum, in lóculo fuit depósitum Gethsémane : quo in loco Angelórum cantus mansit tres dies contínuos.

℟. Ornátam monílibus.

Lectio v.

POst tres autem dies Angélico cantu cessánte, qui áderant Apóstoli, (cum unus Thomas qui abfúerat, post tértium diem venísset, et quod Deum suscéperat, corpus adoráre voluísset) túmulum aperuérunt : sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequáquam inveníre potuérunt. Cum ea autem tantum inveníssent, in quibus fúerat compósitum, et ineffábili, qui ex iis proficiscebátur, essent odóre repléti, lóculum clausérunt. Ejus mystérii obstupefácti miráculo, hoc solum cogitáre potuérunt, quod, cui plácuit ex María Vírgine carnem súmere, et hóminem fíeri et nasci, cum esset Deus Verbum, et Dóminus glóriæ, quique post partum incorrúptam servávit ejus virginitátem, eídem étiam plácuit et ipsíus, postquam migrávit, immaculátum corpus, incorrúptum servátum, translatióne honoráre ante commúnem et universálem resurrectiónem.

℟. Beátam me dicent.

Lectio vj.

ADerant tunc cum Apóstolis sanctíssimus Timótheus primus Epíscopus Ephesiórum, et Dionysius Areopágita, sicut ipse testátur in iis, quæ de beáto Hierótheo, qui ipse quoque tunc áderat, scripsit ad prædíctum Timótheum, sic dicens : Nam

étiam apud ipsos a Deo afflátos sacrórum Antístites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sanctis nostris frátribus, ad contuéndum corpus, quod vitæ princípium dedit, et Deum suscépit, convenissémus : (áderat autem et Dómini frater Jácobus, et Petrus, supréma et antiquíssima theologórum súmmitas) et viso sacro córpore, plácuit ómnibus, prout quisque póterat, hymnis celebráre infinítam bonitátem divínæ poténtiæ.

℞. Beáta es Virgo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quædam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. xxvij. *de Verbis Domini.*

BEne Martha circa corporálem Dómini, quid dicam necessitátem, an voluntátem? Ministrábat carni mortáli. Sed quis erat in carne mortáli? In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce quod María audiébat. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Ecce Martha cui ministrábat. Ergo María meliórem partem elégit, quæ non auferebátur ab ea. Hoc enim elégit, quod semper manébit, ideo non auferétur ab ea.

℞. Diffúsa est grátia.

Lectio viij.

CIrca unum María se vóluit occupári. Jam tenébat : Mihi autem adhærére Deo bonum est. Sedébat ad pedes cápitis nostri. Quanto humílius sedébat, tanto ámplius capiébat. Cónfluit enim aqua ad humilitátem convállis, denátat de tumóribus collis. Non ergo Dóminus opus reprehéndit, sed munus distínxit. Circa multa es occupáta : porro unum est necessárium. Jam hoc sibi María elégit.

℞. Beáta es Virgo María.

Lectio ix. et Comm. in Laudibus. S. Agapiti ut in Breviario.

DIE XIX. AUGUSTI.

Quinta die infra Oct.

Assumpt. B. M. V.

In I. Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. *Cap.* v.

ADjúro vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo. Qualis est diléctus tuus ex diletto, o pulchérrima mulierum? Qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus. Caput ejus aurum óptimum : comæ ejus sicut elátæ palmárum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus sicut colúmbæ super rívulos aquárum, quæ lacte sunt lotæ, et résident juxta fluénta pleníssima.

℟. Vidi speciósam.

Lectio ij. *Cap.* vj.

DIléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Avérte óculos tuos a me, quia ipsi me avoláre fecérunt. Capílli tui sicut grex caprárum, quæ apparuérunt de Gálaad. Dentes tui sicut grex óvium, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fœtibus, et stérilis non est in eis.

℟. Sicut cedrus.

Lectio iij.

UNA est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt : regínæ et concubínæ, et laudavérunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Descéndi in hortum nucum, ut víderem poma convállium, et inspícerem si floruísset vínea, et germinássent mala púnica. Nescívi : ánima mea conturbávit me propter quadrígas Amínadab. Revértere, revértere Sulámitis : revértere, revértere, ut intueámur te.

℟. Quæ est ista.

In II. Nocturno.
Sermo sancti Bernárdi Abbátis.
Serm. j. *de Assumpt. B. Mariæ.*
Lectio iv.

VIrgo hódie gloriósa cœlos ascéndens, supernórum gáudia cívium, copiósis sine dúbio cumulávit augméntis. Hæc est enim cujus salutatiónis vox et ipsos exsultáre facit in gáudio, quos matérna adhuc víscera claudunt. Quod si párvuli necdum nati ánima liquefácta est, ut María locúta est : quid putámus quænam illa fúerit cœléstium exsultátio, cum et vocem audíre, et vidére fáciem, et beáta ejus frui præséntia meruérunt?

℟. Ornátam monílibus.

Lectio v.

SED et illud quis cogitáre sufficiat, quam gloriósa hódie mundi Regína procésserit, et quanto devotiónis afféctu tota in ejus occúrsum cœléstium legiónum prodíerit multitúdo; quibus ad thronum glóriæ cánticis sit dedúcta; quam plácido vultu, quam seréna fácie, quam divínis ampléxibus suscépta a Fílio, et super omnem exaltáta creatúram, cum eo honóre, quo tanta Mater digna fuit, cum ea glória, quæ tantum décuit Fílium?

℟. Beátam me dicent.

Lectio vj.

FElícia prorsus óscula lábiis impréssa lacténtis, cui virgíneo mater applaudébat in grémio. Verum numquid non felicióra censébimus quæ ab ore sedéntis in déxtera Patris hódie in beáta salutatióne suscépit, cum ascénderet ad thronum glóriæ, epithalámium canens, et dicens. Osculétur me ósculo oris sui? Christi generatiónem, et Maríæ Assumptiónem quis enarrábit? Quantum enim grátiæ in terris adépta est præ céteris, tantum et in cœlis óbtinet glóriæ singuláris.

℟. Beáta es Virgo María.

In III. Nocturno.
Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.
Lectio vij. *Cap.* x. *g*

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum : et múlier quædam Martha nómine, excépit

illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xxvij. *de Verb. Domini.*

TRansit labor multitúdinis, et rémanet cáritas unitátis. Ergo quod elégit María, non auferétur ab ea : a te autem, Martha, quod elegísti : útique hoc séquitur, útique hoc subintellígitur; a te, quod elegísti, auferétur; sed bono tuo auferétur; ut, quod mélius est, detur. Auferétur enim a te labor, ut réquies detur. Tu návigas : illa jam in portu est.

℟. Diffúsa est grátia.

Lectio viij.

VIdétis ergo, caríssimi, et quantum árbitror, jam intelligitis in his duábus muliéribus, quæ ambæ fuérunt Dómino gratæ, ambæ amábiles, ambæ discípulæ, vidétis ergo, et magnum áliquid intellígitis, quicúmque intellígitis, quod audíre et scire debétis étiam qui non intellígitis, in his duábus muliéribus duas vitas esse figurátas, præséntem et futúram, laboriósam et quiétam, ærumnósam et beátam, temporálem et ætérnam.

℟. Beáta es Virgo María.

Lectio ix.

DUÆ sunt vitæ : de illis vos copiósius cogitáte. Quid hábeat hæc vita, non dico mala, non íniqua, non nefária, non luxuriósa, non ímpia; sed laboriósa, et ærúmnis plena, timóribus castigáta, tentatiónibus sollícita : hanc ipsam innocéntem vitam dico, qualem decébat habére Martham. Hanc ergo, quantum potéstis, inspícite, et de hac, ut dixi, copiósius, quam lóquimur, cogitáte. Vita vero íniqua áberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum María, et si aliquándo fuit, Dómino intránte, fugit. Te Deum.

DIE XX. AUGUSTI.

Sexta die infra Oct.

Assumpt. B. M. V.

In I. Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. *Cap.* iij.

IN léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo

civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem. Num quem díligit ánima mea, vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea.

℟. Vidi speciósam.

Lectio ij.

TEnui eum : nec dimíttam donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, et thuris, et univérsi púlveris pigmentárii?

℟. Sicut cedrus.

Lectio iij. *Cap.* viij.

QUis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ : ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit.

℟. Quæ est ista.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

NOvum fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur: Ecce vir Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári. Egredímini, fíliæ Sion, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua. Verum hoc álias. Interim sane ingredímini magis, et vidéte regínam in diadémate, quo coronávit eam Fílius suus. In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Ornátam.

Lectio v.

Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans ornet eas pótius, quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera, quam sol vestit? Sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexábitur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est?

℟. Beátam.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Lectio vj.

Hilarem vídeo cœtum Sanctórum ómnium, qui convenérunt promptis ánimis a sancta, et Dei matre María semper Vírgine convocáti. Laus, et glória sit tibi sancta Trínitas, quæ omnes nos ad hanc celebritátem convocásti. Sit étiam tibi sancta Dei mater laus. Tu enim es templum indissolúbile, cóntinens eum, qui nusquam continéri potest : Mater, et Virgo, per quam benedíctus qui venit in nómine Dómini, in sanctis Evangéliis nominátur. Per te Unigénitus Dei Fílius, vera illa lux effúlsit sedéntibus in ténebris, et umbra mortis. Quisnam póterit tuárum laudum præcónia explicáre, María Mater, et Virgo? Hanc, fratres dilectíssimi, celebrémus, ejus Fílium Ecclésiæ sponsum immaculátum adorántes; cui honor, et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Beáta es.

In iij. Noct. Homilia ut in Festo S. Marthæ xxix. Julii.

DIE XXI. AUGUSTI.

Septima die infra Oct.

Assumpt. B. M. V.

In I. Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. *Cap.* vij.

Quid vidébis in Sulamíte, nisi choros castrórum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceaméntis, fília príncipis! Junctúræ fémorum tuórum, sicut monília, quæ fabricáta sunt manu artíficis. Umbilícus tuus crater tornátilis, nunquam índigens póculis. Venter tuus sicut acér-

vus trítici, vallátus líliis. Duo úbera tua, sicut duo hínnuli gemélli cápreæ. Collum tuum, sicut turris ebúrnea. Oculi tui, sicut piscínæ in Hésebon, quæ sunt in porta fíliæ multitúdinis. Nasus tuus, sicut turris Líbani, quæ réspicit contra Damáscum. Caput tuum ut Carmélus : et comæ cápitis tui, sicut púrpura regis vincta canálibus.

℟. Vidi speciósam.

Lectio ij.

QUam pulchra es, et quam decóra caríssima, in delíciis! Statúra tua assimiláta est palmæ, et úbera tua botris. Dixi : Ascéndam in palmam, et apprehéndam fructus ejus : et erunt úbera tua sicut botri víneæ et odor oris tui sicut malórum. Guttur tuum sicut vinum óptimum, dignum dilécto meo ad potándum, labiísque et déntibus illíus ad ruminándum.

℟. Sicut cedrus.

Lectio iij.

EGO diléсto meo, et ad me convérsio ejus. Veni dilécte mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt, si floruérunt mala púnica : ibi dabo tibi úbera mea. Mandrágoræ dedérunt odórem. In portis nostris ómnia poma : nova, et vétera, dilécte mi, servávi tibi.

℟. Quæ est ista.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo iv. de Assumpt.

Lectio iv.

TEmpus loquéndi est omni carni, cum assúmitur incarnáti Verbi mater in cœlum : nec cessáre debet a láudibus humána mortálitas, cum hóminis solá natúra supra immortáles spíritus exaltátur in Vírgine. Sed de ejus glória nec silére devótio pátitur, nec dignum áliquid stérilis concípere cogitátio, aut inerudíta potest locútio parturíre. Hinc est, quod et ipsi cœléstis cúriæ príncipes in consideratióne tantæ novitátis clamant non sine admiratióne : Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens?

℟. Ornátam.

Lectio v.

HAC si maniféstius dicant : Quanta est hæc, et unde ei ascendénti útique de desérto, affluéntia tanta deliciárum? Nec enim pares inveniúntur delíciæ vel in nobis, quos in civitáte Dómini lætíficat flúminis ímpetus, qui a vultu glóriæ voluptátis glória potámur. Quæ est ista, quæ de sub sole (ubi nihil est, nisi labor, et dolor, et afflíctio spíritus) ascéndit delíciis spirituálibus áffluens? Quidni delícias díxerim virginitátis decus cum múnere fecunditátis, humilitátis insígne, distillántem caritátis favum, misericórdiæ víscera, plenitúdinem grátiæ, prærogatívam glóriæ singuláris.

℟. Beátam.

Lectio vj.

ASCéndens ígitur de desérto Regína mundi, étiam Angelis sanctis, ut canit Ecclésia, speciósa facta est, et suávis in delíciis suis. Désinant tamen desérti hujus mirári delícias: quia Dóminus dedit benignitátem, et terra nostra dedit fructum suum. Quid mirántur de terra desérta Maríam ascéndere delíciis affluéntem? Miréntur pótius páuperem Christum de cœléstis regni plenitúdine descendéntem. Longe enim amplióri miráculo dignum vidétur, Dei Fílium paulo minus ab Angelis minorári, quam Dei matrem super Angelos exaltári. Illíus síquidem exinanítio facta est replétio nostra : illíus miériæ, mundi delíciæ sunt. Dénique cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inópia ditarémur.

℟. Beáta es.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij *Cap.* x. *g*

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum : et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. xxvij. *de verbis Domini.*

REmansérunt ergo in illa domo, quæ suscéperat Dóminum in duábus féminis duæ vitæ, ambæ innocéntes,

ambæ laudábiles : una laborióisa, áltera otiósa; nulla facinorósa, nulla desidiósa. Ambæ innocéntes, ambæ, inquam, laudábiles : sed una laboriósa, áltera otiósa : nulla facinorósa, quam cavére debet laboriósa, nulla desidiósa, quam cavére debet otiósa.

℟. Diffúsa.

Lectio viij.

ERant ergo in illa domo istæ duæ vitæ, et ipse fons vitæ. In Martha erat imágo præséntium, in María futurórum. Quod agébat Martha, ibi sumus : quod agébat María, hoc sperámus. Hoc agámus bene, ut illud habeámus plene. Nam quid inde habémus, in quantum habémus? Quámdiu hic sumus, quantum est, quod inde habémus? Nam et modo inde áliquid ágimus : remóti a negótiis, sepósitis familiáribus curis, convenítis, statis, audítis.

℟. Beáta es.

Lectio ix.

IN quantum hoc ágitis, Maríæ símiles estis. Et facílius vos inténditis, quod agit María, quam ego qui prærogo. Si quid tamen dico, Christi est. Ideo vos pascit Christus, quia panis commúnis est, unde et ego vobíscum vivo. Nunc autem vívimus, si vos fratres statis in Dómino. Nolo in nobis, sed in Dómino : quia neque, qui plantat, est áliquid, neque qui rigat; sed, qui increméntum dat, Deus. Te Deum.

Vesp. Oct. ut in j. Vesp. Festi.

DIE XXIV. AUGUSTI.

(D. a. ex xvj. hujus.)

S. Hyacinthi

Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario die xvj. hujus. ix. Lect. et Comm. Vigil. S. Bartholomæi.

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Facundini

Episc. et Conf.

Duplex. (m. t. v.)

Omnia de Comm. Conf. Pont. j. loco; sed Lect. j. Noct. de Scriptura occurrente.

Lect. ix. S. Ægidii cum Comm. ejus et SS. Mart. in j. Vesp. et Laud.

In ij. Vesp. Commem. sequentis.

DIE III. SEPTEMB.
BB. Joannis et Petri
Mart. Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, infirmitáti nostræ præsídium, ut sicut beatórum Mártyrum tuórum Joánnis, et Petri gloriámur triúmphis; eórum ita constántiam imitári non pígeat, quam celebráre deléctat. Per Dóminum.

Commem. S. Stephani.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Commentáriis sancti Antoníni Archiepíscopi Florentíni de viris egrégiis órdinis Minórum.

Chron. p. 3. *tit.* 24. *c.* 7. § 14.

Lectio iv.

Duos fratres beatíssimus Pater Franciscus ad regnum Aragóniæ destinávit, fratrem scílicet Joánnem Perusínum sacerdótem, et fratrem Petrum a Saxoferráto convérsum. Hi cum Turólium devenissent, convéntum ibi capiéntes, prædicatiónibus, et oratiónibus suæ odórem sanctitátis diffudérunt. Témpore illo, scílicet anno Dómini millésimo ducentésimo trigésimo, vel circa, Valéntia cívitas erat Saracénis populáta, et infidélium Maurórum ditióni subjécta, in qua regnábat quidam Azótus nómine, christianórum máximus persecútor. Prædícti ígitur Fratres, zelo fídei succénsi et Martyrii desidério inflammáti, ad prædicándum verbum Dei Valéntiam sunt ingréssi, et ibi de falsitáte legis Mahumétis Saracénis fervénter prædicavére. Quod áudiens rex Azótus, comprehéndi eos jussit, et cárceri mancipári. Et cum promissiónibus plúrimis invitásset eos ad legem suam observándam, et Christi fidem abnegándam, illi autem hoc detestaréntur, in pública plátea illos decollári mandávit. Qui sepultúræ tráditi cœpérunt miráculis coruscáre.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis

tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

REX autem Aragóniæ christianíssimus, Jacóbus nómine, cum dicto rege Valéntiæ eo témpore bellum gerébat. Et ex quo rex Valéntiæ Azótus illos Martyrio consummávit, in dies cœpit inférior exístere, et ab eo superári in bellis. Cum ergo vidéret se, Azótus, quotídie a christiánis expugnári, a grátia divína, et Dei virtúte sola arbitrátus hoc fíeri, cum rege Aragónum tractáre cœpit de sua conversióne ad fidem, ófferens, se ei civitátem traditúrum, et regnum, dúmmodo sibi vitam, et victum concédere dignarétur decéntem. Quibus ómnibus rex Aragónum ánnuens, et gaudens de sui conversióne, confœderátus est cum eo. Anno ígitur Dómini millésimo ducentésimo trigésimo octávo in Vigília sancti Michaélis ingréditur rex Aragóniæ civitátem Valéntiæ, ejus dominium cápiens. Rex prior Azótus juxta promíssum Baptísma suscépit, qui líbere regi trádidit totum regnum suum, scílicet Valéntiæ. Convérso autem ad fidem Azóto, rex Aragóniæ concéssit ei palátium régium intra civitátem, et quemdam comitátum, et successóribus suis, et cultu Mahumético de illa civitáte Valéntiæ evacuáto, introdúctus est ritus, et fides christianórum.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

VOcávit autem Azótus Fratres Minóres, dicens eis : Ego sum, qui óccidi Fratres sócios vestros de Turólio ex infidelitáte mea, de qua dóleo ex toto corde meo; et pro aliquáli satisfactióne vellem, quod palátium meum regále pro vestro monastério construéndo haberétis; et illud debétis libénter ac-

cípere, quia ibi multus sanguis Mártyrum effúsus est per me, et álios prióres dóminos infidéles : ut sit quasi totum sánguine Mártyrum consecrátum. Et beátus Vincéntius Martyr, quem tota christiánitas tanta veneratióne festívat, pro fide Martyrio ibi coronátus est. Quamóbrem sitis sollíciti, dictum palátium a rege Aragónum postuláre; et credo, quod vestrum desidérium, et meum adimplébit. Quod cum fecíssent, et rex Aragónum Jacóbus, Azótum, cui illud concésserat, hoc exoptáre cognovísset, gaudiósè concéssit; sicque ibi est convéntus órdinis Minórum. Cultum porro jam inde ab óbitu laudátis Martyribus Joánni, et Petro exhíbitum, et continénter auctum, probatúmque Clemens undécimus ratum hábuit, firmavítque. Benedíctus autem décimus tértius Missam et Offícium in univérso Minórum órdine, tum étiam in civitátibus, et diœcésibus Valentína, ubi passi sunt, Turolénsi, ubi eórum córpora magna fidélium religióne colúntur, nec non in Perusína, simúlque in óppido Saxiferráti, ubi ortum habuére, ritu dúplici celebrándum indúlsit.

℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. *de Comm. plurim. Martyr. j. loco.*

Vesp. a Cap. de seq. Comm. præced.

Index.

Maii.

Junii.

Julii.

Augusti.

Septembris.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci die 4 Decembris 1900.
VICT. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Soc. S. Joannis Ev. Desclée, Lefebvre et Soc. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
Dioeceseos Nucerinae.

PARS AUTUMNALIS.

DOM. I. SEPTEMBRIS.
Sanctissimi Redemptoris.
Duplex ij. classis.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xxiij. Oct.

Commem. Domin. et ix Lectio Homiliæ ejusd.

DIE I. SEPTEMBRIS.
S. Facundini
Episc. et Conf.
Duplex (m. t. v.)

Omnia de Comm. Conf. Pont. j. loco.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Lect. ix. S. Ægidii cum Comm. ejus et SS. Mart. in j. Vesp. et Laud.

In ij. Vesp. Commem. sequentis.

DIE III.
BB. Joannis et Petri
Mart. Duplex.

Omnia de Com. plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, infirmitáti nostræ præsídium, ut sicut beatórum Mártyrum tuórum Joánnis, et Petri gloriámur triúmphis; eórum ita constántiam imitári non pígeat, quam celebráre deléctat. Per Dóminum.

Comm. S. Stephani

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Ex Commentáriis sancti Antoníni Archiepíscopi Florentíni de viris egrégiis órdinis Minórum.

Lectio iv.

Chron. p. 3. tit. 24. c. 7. §. 14.

DUos fratres beatíssimus pater Francíscus ad regnum Aragóniæ destinávit, fratrem scílicet Joánnem Perusínum sacerdótem, et fratrem Petrum a Saxoferráto convérsum. Hi cum Turólium deveníssent, convéntum ibi capiéntes, prædicatiónibus, et oratiónibus suæ odórem sanctitátis diffudérunt. Témpore illo, scílicet anno Dómini millésimo ducentésimo trigésimo, vel circa, Valéntia cívitas erat Saracénis populáta, et infidélium Maurórum ditióni subjécta, in qua regnábat quidam Azótus nómine, christianórum máximus persecútor. Prædícti ígitur Fratres, zelo fídei succénsi et martyrii desidério inflammáti, ad prædicándum verbum Dei Valéntiam sunt ingréssi, et ibi de falsitáte legis Mahumétis Saracénis fervénter prædicavére. Quod áudiens rex Azótus, comprehéndi eos jussit, et cárceri mancipári. Et cum promissiónibus plúrimis invitásset eos ad legem suam observándam, et Christi fidem abnegándam, illi autem hoc detestaréntur, in pública plátea illos decollári mandávit. Qui sepultúræ tráditi cœpérunt miráculis coruscáre.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

REX autem Aragóniæ christianíssimus, Jacóbus nómine, cum dicto rege Valéntiæ eo témpore bellum gerébat. Et ex quo rex Valéntiæ Azótus illos martyrio consummávit, in dies cœpit inférior exístere, et ab eo superári in bellis. Cum ergo

vidéret se, Azótus, quotídie a christiánis expugnári, a grátia divína, et Dei virtúte sola arbitrátus hoc fíeri, cum rege Aragónum tractáre cœpit de sua conversióne ad fidem, ófferens, se ei civitátem traditúrum, et regnum, dúmmodo sibi vitam, et victum concédere dignarétur decéntem. Quibus ómnibus rex Aragónum ánnuens, et gaudens de sui conversióne, confœderátus est cum eo. Anno ígitur Dómini millésimo ducentésimo trigésimo octávo in Vigília sancti Michaëlis ingréditur rex Aragóniæ civitátem Valéntiæ, ejus domínium cápiens. Rex prior Azótus juxta promíssum Baptísma suscépit, qui líbere regi trádidit totum regnum suum, scílicet Valéntiæ. Convérso autem ad fidem Azóto, rex Aragóniæ concéssit ei palátium régium intra civitátem, et quemdam comitátum, et successóribus suis, et cultu Mahumético de illa civitáte Valéntiæ evacuáto, introdúctus est ritus, et fides christianórum.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

VOcávit autem Azótus Fratres Minóres, dicens eis : Ego sum, qui óccidi Fratres sócios vestros de Turólio ex infidelitáte mea, de qua dóleo ex toto corde meo; et pro aliquáli satisfactióne vellem, quod palátium meum regále pro vestro monastério construéndo haberétis; et illud debétis libénter accípere, quia ibi multus sanguis Mártyrum effúsus est per me, et álios prióres dóminos infidéles : ut sit quasi totum sánguine Mártyrum consecrátum. Et beátus Vincéntius Martyr, quem tota christiánitas tanta veneratióne festívat, pro fide Martyrio ibi coronátus est. Quamóbrem sitis sollíciti, dictum palátium a rege Aragónum postuláre; et credo, quod vestrum desidérium, et meum adimplébit. Quod cum fecíssent, et rex Aragónum Jacóbus, Azó-

tum, cui illud concésserat, hoc exoptáre cognovísset, gaudióse concéssit; sicque ibi est convéntus órdinis Minórum. Cultum porro jam inde ab óbitu laudátis Martyribus Joánni, et Petro exhíbitum, et continénter auctum, probatúmque Clemens undécimus ratum hábuit, firmavítque. Benedíctus autem décimus tértius Missam et Offícium in univérso Minórum órdine, tum étiam in civitátibus, et diœcésibus Valentína, ubi passi sunt, Turolénsi, ubi eórum córpora magna fidélium religióne colúntur, nec non in Perusína, simúlque in óppido Saxiferráti, ubi ortum habuére, ritu dúplici celebrándum indúlsit.

℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. *de Comm. plur. Mart. j. loco.*

Vesp. a Cap. de seq. Comm. præc.

DIE VI. SEPTEMBR.
S. Albertini
Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, cujus est totum, quod est óptimum; accénde in córdibus nostris tui amóris ignem, quo beáti Albertíni Confessóris tui sequi possímus vestígia, ut póstea assequámur et præmia. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

ALbertínus, ex castro Montóni in diœcési Tiphernáte oriúndus, monásticam vitam sub régula sancti Benedícti proféssus est in monastério sanctæ Crucis Fontis Avellánæ in diœcési Eugubína. Ibi virtútibus acquiréndis omníno inténtus, mirum in modum in sciéntia Sanctórum profécit, ac tantæ sanctitátis, et pœniténtiæ spécimen dedit, ut céteri omnes Avellanénses mónachi non solum ut ipsórum exémplar, sed ut totíus rei monásticæ moderatórem sibi præponéndum putáverint : unde factum est, ut Prior ejúsdem cœnó-

bii eléctus sit ante annum millésimum ducentésimum sexagésimum quintum. Eo in regímine quotídie illústrior ejus nóminis fama habéri cœpit. Cum enim plura tunc providéndi bona non solum coram Deo, sed étiam coram homínibus múneris sui rátio postuláret, tum apud suos, tum apud éxteros quoque celebriórem opiniónem adéptus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Effúlsit præsértim in eo summæ prudéntiæ laus, ejúsque præcípuum testimónium édidit in reconciliándis cívibus Eugubínis cum ipsórum Epíscopo. Cum enim circa domínium aliquórum bonórum, quæ tunc ab Epíscopo, et ab Ecclésia detinebántur, graves discórdiæ ortæ essent inter Epíscopum, et cives Eugubínos, et gráviter ipsórum ánimi offénsi essent; Epíscopus sæculáres magistrátus, et univérsum civitátis consílium anathémate pérculit, eo quod jura violássent Ecclésiæ Eugubínæ. Agénte póstea ipso Albertíno, controvérsiæ omnes compósitæ sunt, et cives Sacris restitúti, in grátiam cum pastóre suo rediére; nihílque actum transactúmque est, nisi eo viro, sanctíssimo præsénte. Humilitátis grátia, et stúdio monásticæ quiétis Auximánum episcopátum recusávit. Cum enim ad régimen illíus ecclésiæ nominátus esset omníno indúci non pótuit, ut suæ electióni consentíret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

His, et áliis virtútum méritis cumulátus óbiit dénique vir sanctíssimus die decimatértia Aprílis anni millésimi ducenté-

simi nonagésimi quarti, ejúsque sacrum corpus in templo Avellanénsi cónditum fuit, ubi summa veneratióne in hanc usque diem servátur, et cólitur. Tanta autem fuit jam ex tunc sanctitátis ipsíus fama, ut apud hóminum vulgus non álio, quam sancti Albertíni nómine appellári cœperit Avellanénse cœnóbium. Ipsíus festívitas agi consuévit prídie Kaléndas Septémbris, qua die prióri sæculo ante ejus mortem Avellána ecclésia dedicáta fúerat. Ad sanctum sepúlcrum ab immemorábili concúrrere solent innúmeri pópuli ex vícinis locis propter insígnia mirácula, quæ per ejus mérita ibídem Deus operátur; et mirum est quot fidéles devotiónis grátia per abrúpta móntium illud ásperum iter aggrediántur, et quot ibi cónfluant mulíeres secum ducéntes infántes ad vota impléndа propter sanitátis grátiam aut recéptam aut impetrándam. Ipsíus præcípua virtus est in curándis intestinórum morbis : et dictu fácile non est, quot número et génere mirábiles étiam instantáneæ curatiónes a fidélibus obtineántur.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusíllum gregem. *de eodem Comm. j. loco.*

Vesp. a Capit. de seq. Comm. præced.

DIE VII. SEPTEMBR.

(*D. a. ex xx. Aug.*)

S. Bernardi

Abb. et Eccl. Doct.

Duplex. (*m. t. v.*)

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Aña. O Doctor... beáte Bernárde.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bernárdum minístrum tribuísti : præsta quæsumus, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BErnárdus, Fontánis in Burgúndia honésto loco natus, adoléscens propter egrégiam formam veheménter sol-

licitátus a muliéribus, nunquam de senténtia coléndæ castitátis dimovéri pótuit. Quas diáboli tentatiónes ut effúgeret, duos et vigínti annos natus monastérium Cisterciénse, unde hic ordo incépit, et quod tum sanctitáte florébat, íngredi constítuit. Quo Bernárdi consílio cógnito, fratres summópere conáti sunt eum a propósito deterrére : in quo ipse eloquéntior ac felícior fuit. Nam sic eos, aliósque multos in suam perdúxit senténtiam, ut cum eo trigínta júvenes eámdem religiónem suscéperint. Mónachus jejúnio ita déditus erat, ut quóties suméndus esset cibus, tóties torméntum subíre viderétur. In vigíliis étiam et oratiónibus mirífice se exercébat : et christiánam paupertátem colens, quasi cœléstem vitam agébat in terris, ab omni caducárum rerum cura et cupiditáte aliénam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Lucébat in eo humílitas, misericórdia, benígnitas : contemplatióni autem sic addíctus erat, ut vix sénsibus, nisi ad offícia pietátis, uterétur : in quibus tamen prudéntiæ laude excellébat. Quo in stúdio occupátus, Genuénsem ac Mediolanénsem, aliósque episcopátus oblátos recusávit, proféssus se tanti offícii múnere indígnum esse. Abbas factus Claravallénsis, multis in locis ædificávit monastéria, in quibus præclára Bernárdi institútio ac disciplína diu víguit. Romæ, sanctórum Vincéntii et Anastásii monastério ab Innocéntio secúndo Papa restitúto præfécit Abbátem illum, qui póstea Eugénius tértius summus Póntifex fuit, ad quem étiam librum misit de consideratióne.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fí-

dei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

MUlta prætérea scripsit, in quibus appáret, eum doctrína pótius divínitus trádita, quam labóre comparáta, instrúctum fuísse. In summa virtútum laude exorátus a máximis princípibus de eórum componéndis controvérsiis, et de ecclesiásticis rebus constituéndis, sæpius in Itáliam venit. Innocéntium item secúndum Pontíficem máximum in confutándo schísmate Petri Leónis, cum apud imperatórem, et Henrícum Angliæ regem, tum in concílio Pisis coácto, egrégie adjúvit. Dénique tres et sexagínta annos natus obdormívit in Dómino, ac miráculis illústris, ab Alexándro tértio Papa inter sanctos relátus est. Pius vero octávus Póntifex máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio sanctum Bernárdum universális Ecclésiæ Doctórem declarávit et confirmávit, nec non Missam et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit, atque indulgéntias plenárias quotánnis in perpétuum órdinis Cisterciénsium ecclésias visitántibus die hujus Sancti festo concéssit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Osténdit Dóminus. *de Comm. Doct. j. loco.*

Vesp. de sequenti. Comm. præced.

DIE IX. SEPTEMBR.

(*D. a. ex xxj. Aug.*)

S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal.

Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia.

Oratio.

OMnípotens, et misericors Deus, qui beátam Joánnam Francíscam tuo amóre succénsam, admirábili Spíritus fortitúdine, per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti; quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti : ejus méritis et précibus concéde ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cœléstis grátiæ auxílio cuncta nobis

adversántia vincámus. Per Dóminum.

Commem. S. Gorgonii ut in Breviario.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOánna Francísca Frémiot a Chantal, Divióne in Burgúndia claríssimis orta natálibus, ab ineúnte ætáte exímiæ sanctitátis non obscúras édidit significatiónes. Eam enim vix quinquénnem nóbilem quemdam Calvinístam sólida supra ætátem argumentatióne perstrinxísse ferunt, collatúmque ab eo munúsculum flammis íllico tradidísse in hæc verba : en quómodo hærétici apud ínferos comburéntur, qui loquénti Christo fidem detréctant. Matre orbáta, Deíparæ Vírginis tutélæ se commendávit, et fámulam, quæ ad mundi amórem eam alliciébat, ab se rejécit. Nihil pueríle in móribus éxprimens, a sæculi delíciis abhórrens, martyriúmque anhélans, religióni, ac pietáti impénse studébat. Baróni de Chantal núptui a patre trádita, virtútibus ómnibus excoléndis óperam dedit, líberos, fámulos, aliósque sibi subjéctos in fídei doctrína, bonísque móribus indúere sátagens. Profúsa liberalitáte páuperum inópiam sublevábat, annóna divínitus non raro multiplicáta : quo factum est, ut némini se unquam Christi nómine rogánti stipem abnegatúram spopónderit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

VIro in venatióne interémpto, perfectióris vitæ consílium íniens, continéntiæ voto se obstrínxit. Viri necem non solum æquo ánimo tulit, sed in públicum indúltæ véniæ testimónium occisóris fílium e sacro fonte suscípere sui victrix elégit. Módica família, ténui victu, atque vestítu conténta, pretiósas vestes in pios usus convértit. Quidquid a domésticis

curis supérerat témporis, précibus, piis lectiónibus, laboríque impendébat. Nunquam addúci pótuit, ut álteras núptias, quamvis útiles et honoríficas, iníret. Ne autem a propósito castimóniæ observándæ in pósterum dimoverétur, illíus voto innováto, sanctíssimum Jesu Christi nomen candénti ferro péctori inscúlpsit. Ardéntius in dies caritáte fervéscens, páuperes, derelíctos, ægros, teterrimísque morbis inféctos ad se adducéndos curábat, eósque non hospítio tantum excipiébat, solabátur, fovébat, verum étiam sórdidas eorúmdem vestes depurgábat, láceras reficiébat, et manántibus fœtido pute ulcéribus lábia admovére non exhorrébat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

A Sancto Francísco Salésio, quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, próprium paréntem, sócerum, fílium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsisténtem, sua e domo egrédiens, pédibus calcáre non dubitávit, invícta constántia desérуit, et sacri institúti Visitatiónis sanctæ Maríæ fundaménta jecit. Ejus institúti leges integérrime custodívit : et ádeo paupertátis fuit amans, ut vel necessária sibi deésse gaudéret. Christiánæ vero ánimi demissiónis, et obediéntiæ, virtútum dénique ómnium perfectíssimum exémplar se præbuit. Altióres in corde suo ascensiónes dispónens, arduíssimo efficiéndi semper id quod perféctius esse intellígeret, voto se obstrínxit. Dénique sacro Visitatiónis institúto ejus potíssimum ópera longe latéque diffúso, verbo, exémplo, et scriptis étiam divína sapiéntia refértis, ad pietátem et caritátem soróribus excitátis, méritis reférta et sacraméntis rite suscéptis, Molínis anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die decimatértia decémbris migrávit ad Dóminum : ejúsque áni-

mam, occurrénte sancto Francísco Salésio, in cœlos deférri sanctus Vincéntius a Paulo procul distans aspéxit. Ejus corpus póstea Annécium translátum fuit : eámque miráculis ante et post óbitum claram Benedíctus decimusquártus Beatórum, Clemens decimustértius Póntifex máximus albo Sanctórum adjécit. Festum autem ejúsdem diem duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens decimusquártus Póntifex máximus celebrári præcépit.

℟. Fallax grátia.

In iij. Noct. Homilia. Cœlórum regnum, *in eod. Communi.*

Lectio ix. et Commem. in Laud. S. Gorgonii ut in Brev.

DIE XII. SEPTEMBR.

(*D. a. ex xij. Aug.*)

S. Claræ a Cruce de Montefalco

Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virg. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui sanctam Vírginem tuam Claram clarífícans, in ipsíus córpore passiónis tuæ et Trinitátis mystéria miríficis signis renovásti : præsta quæsumus, ejus précibus et imitatióne, sic nos tuæ passiónis amaritúdinem recordári; ut Trinitátis beatitúdine pérfrui mereámur. Qui cum Patre et Spíritu sancto in Trinitáte vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Clara virgo in MontefálcoUmbriæ óppido honésto génere nata, ab incunábulis non obscúra prætulit sanctitátis indícia : nam pene infans, ita pietáti dédita fuit, ut précibus, vigíliis, et jejúniis óperam daret, somni ádeo parca, ut raro léctulum dormitúra conscénderet, sed humi cubáret, si quando eam somni necéssitas oppressísset. Arctióris vitæ desidério in cœnóbium vírginum a Joánna soróre sua sub institúto sancti Augustíni nuper exstrúctum humíllimis précibus admítti postulávit. Voti

autem compos effécta, ut pro tanto benefício Deo grátias persólveret, septem diérum jejúnium sibi indíxit, neque áliud quidquam præter dimídium panem cum pomo degustávit. Siléntium ádeo cóluit, ut, cum semel matris alloquéndæ grátia illud fregísset, in pœnam admíssi erróris in summo frígore nives nudis pédibus calcans, cénties oratiónem Domínicam recitáverit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te.

Lectio v.

MOrtua soróre, cœnóbii administratiónem repúgnans suscépit, omniúmque virtútum exémplis céteris virgínibus prælúxit. Incredíbili fuit abstinéntia, pane et aqua dumtáxat, idque semel in die, vitam tólerans; áspero cilício corpus domans, síngulis nóctibus flagéllis se cruentábat. Plures per annos gravíssimis morbis vexáta, aliquándo étiam a dæmónibus dúriter cæsa, nihil de consuéto vitæ rigóre remísit. Erga páuperes tanta caritáte flagrávit, ut sæpenúmero illos véstibus indúeret, nec quemquam ab óstio monastérii vácuum abíre paterétur. Doctrína divínitus infúsa, hæreticórum falsa dógmata confutávit, ac philósophis quæstiónes altíssimas proponéntibus satisfécit. Multa exstínxit ódia, et mortáles inimicítias sedávit, pacémque inter finítimos pópulos conciliávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

INcredíbili ánimi sensu Christi Dómini torménta et cruciátus contemplári sólita erat. Quadam autem die Salvátor divínus suscépta peregríni persóna, cándido vestítus amíctu, húmeris crucem ferens in ejus corde redemptiónis mystéria impréssit miríficis signis quæ in præséntem usque diem

cernúntur. In ejus quoque felle post mortem tres glóbuli repérti sunt, imágine, colóre et póndere pares, et in ipsa fellis vescícula ita dispósiti, ut triánguli formam exhibérent, sanctíssimæ Trinitátis symbolum referéntes. Prophetíæ dono illústris, multa futúra prædíxit. Intima cogitatiónum inspéxit ac revelávit; soróribus secréta collóquia, occúltas eárum noxas, animíque sensa frequénter detéxit. Cum unam ex iísdem a dæmone obséssam vidísset, eam ut labem occúltam confessióne expiáret admónuit. Dénique post innúmera virtútum documénta, plúribus clara miráculis, divínitus ad cœlum vocáta, décimo sexto Kaléndas Septémbris anno salútis millésimo tercentésimo octávo, ætátis quadragésimo, migrávit ad sponsum. Eam anno millésimo octingentésimo octogésimo primo, die Immaculátæ Dei Genitrícis Conceptióni sacro, Leo Papa décimus tértius sanctárum Vírginum número solémni ritu ascrípsit.

℟. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xciij. *de Script. cap.* ij.

QUÆ sint decem vírgines, quarum sint quinque prudéntes et quinque stultæ, non fácile indagári potest. Verúmtamen secúndum ea, quæ cóntinet ipsa léctio, quam caritáti vestræ hódie vólui recitári, quantum mihi Dóminus intelléctum donáre dignátur, non mihi vidétur ista parábola vel similitúdo ad eas solas pertinére, quæ própria et excellentióri sanctitáte vírgines in Ecclésia nominántur, quas étiam usitatióre vocábulo sanctimoniáles appellári consuévimus : sed, nisi fallor, hæc similitúdo ad

univérsam Ecclésiam pértinet. Quamvis, etsi illas solas intelligerémus, quæ sanctimoniáles vocántur, numquid decem sunt? Absit ut tanta vírginum multitúdo ad tantum vírginum númerum revocétur. Forte autem dicat áliquis : quid si multæ sunt nómine, et tam paucæ sint in veritáte ut vix decem inveniántur? Non ita est. Nam si solas decem intélligi vellet bonas, non ibi osténderet quinque fátuas. Si enim multæ sunt vírgines quæ vocántur, quare contra quinque óstia domus magnæ claudúntur?

℟. Hæc est Virgo sápiens quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Lectio viij.

Intelligámus ergo, caríssimi, ad omnes nos, idest ad univérsam omníno Ecclésiam, pertinére istam parábolam, non ad solos præpósitos, nec ad solas plebes; sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinque et quinque vírgines? Istæ quinque, et quinque vírgines omnes omníno sunt ánimæ Christianórum. Sed ut dicámus vobis, quod Deo inspiránte sentímus, non qualescúmque ánimæ, sed tales ánimæ quæ habent cathólicam fidem et habére vidéntur bona ópera in Ecclésia Dei, et tamen ex ipsis quinque sunt prudéntes, et quinque fátuæ. Quare ergo appellátæ sunt quinque, et quare vírgines videámus. Omnis ánima in córpore ídeo quinário número censétur, quia quinque sénsibus útitur. Nihil est enim quod sentímus ex córpore, nisi jánua quinque partíta aut vidéndo, aut audiéndo, aut odorándo, aut gustándo, aut tangéndo. Qui ergo se ábstinet ab illícito visu, ab illícito audítu, ab illícito odorátu, ab illícito gustu, ab illícito tactu propter ipsam integritátem nomen vírginis áccipit.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgi-

nes aptáte vestras lámpades. — Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

SED si bonum est abstinére ab illícitis sentiéndi mótibus, et ídeo unaquæque ánima christiána vírginis nomen áccipit, quare quinque admittúntur et quinque repellúntur? Et vírgines sunt, et repellúntur. Parum est, quia vírgines sunt, et lámpades habent. Vírgines propter abstinéntiam ab illícitis sénsibus; lámpades habent propter ópera bona; de quibus opéribus Dóminus dicit : Sint lumbi vestri accíncti et lucérnæ ardéntes. In lumbis accínctis virgínitas : in lucérnis ardéntibus, ópera bona. Si ergo ab illícitis abstinéntia bona est, unde virgínitas nomen accépit, et ópera bona laudabília sunt, quæ significántur lampádibus; quare quinque admittúntur, et quinque repellúntur? Adhuc quæro : inténtum me fecit Evangélium sanctum. Etiam ipsas vírgines et feréntes lámpades, àlias dixit prudéntes, álias stultas. Unde intuémur? Unde discérnimus? De óleo. Aliquid magnum signíficat óleum, valde magnum. Putas non cáritas est?

Te Deum laudámus.

DIE XIX. SEPTEMBR.

SS. Felicis et Constantiæ

Protomart. Umbriæ, et Nuceriæ Comprotector.

Duplex ij. classis. (cum Octava in Territorio Nuceriæ.)

Omnia de Comm. plur. Mart. j. loco.

Oratio. Deus, qui nos ánnua.

In Vesp. Commem. seq.

DIE XXV. SEPTEMB.

S. Lamberti

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio. Deus, qui.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LAmbértus, pátria Trajecténsis, nóbili génere ortus, in lítteris, et virtute a Landoáldo Ecclésiæ Románæ Presbytero, quem sanctus Martínus Papa hujus nóminis primus Trajéctum

míserat ad prædicándum Christi Evangélium, ita institútus est; ut cum probe instrúctus esset, Theodárdus Tungrénsis Epíscopus illum apud se habére volúerit, ejus óperam in pascéndo grege adhibúerit, eúmque sibi successórem designáverit.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

ITaque mórtuo Theodárdo, Lambértus in ejus locum, invítus licet, substitútus, tantam prudéntiæ et sanctimóniæ laudem adéptus est; ut Galliárum rex Childerícus in ómnibus ejus consílium sequerétur, et nihil prorsus illo inconsúlto ágeret. Hinc ab eo multa præcláre gesta ad majórem Dei glóriam, et dignitátem Ecclésiæ promovéndam : sed tandem rege vita functo, invidórum, et políticórum conspiratióne pulsus est in exílium.

℞. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

SEpténnio elápso, revocátus fuit, et prístino honóri restitútus. Sed cum zelo religiónis ductus regni primátes increpáret, et in eórum flagítia inveherétur, ínnocens ipse a nocéntibus occísus, aulam regni cœléstis perpétuo victúrus, et regnatúrus cum Christo intrávit anno sexcentésimo nonagésimo octávo. Corpus Trajécti primo sepúltum, Leódium inde magna pompa tradúctum, cujus pars Romam transláta, et in Basílica sancti Petri collocáta est. ℞. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia de eodem Communi.

DIE XXVI. SEPTEMB.

(Pro Nuceria, et Territ.)

Octava

SS. Felicis et Constantiæ

Martyrum. Duplex.

Omnia de Comm. præter sequentia.

Oratio. Deus qui nos ánnua.

Commem. SS. Cypriani et Justin. Aña. et ℣. de Laud.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

Lectio iv. *Serm.* x.

DEléctat vidére ségetum áureis maturátis cálamis aristárum, delectabílius libet atténdere campos Ecclésiæ Mártyrum micántes, plantátos de uno cruóre per agni sánguinem innocéntem. Ségetes enim sunt passiónes Mártyrum juxta cursus aquárum rigáti fóntibus lacrymárum. Nam sic modo beátus David martyrium purpuráta gérmina, et ante messóres gaudiórum tamquam manceps secánti messória cíthara decantábat : Qui séminant, inquit, in lácrymis, in gáudio metent. Ubi séminant in lácrymis? Nisi juxta arbórem crucis, ubi est fons próximus Salvatóris.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

UNde de látere ejus sánguinis guttæ stillárunt, et plúvias cruóris, et aquæ semináta est tolerántia Confessórum. De ipso ligno viréntis crucis juxta fontem sánguinis plantáta virgínitas flóruit castitátis, inde plantáta Mártyrum tolerántia cœpit séminis sui gérmina collígere purpuráta. Nam unde Mártyres tólerant, nisi per Domínicam crucem? Unde Mártyres, in quorum córdibus lex Dei est, maledictiónes non timent hóminum, nisi quia Christus Dóminus pértulit patiénter impropéria Judæórum? Ista ergo seminátio sánguinis Christi fecit sémina Mártyrum pulluláre in campo matris Ecclésiæ, et dicit David : Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent : eúntes ibant, et flebant.

℟. Vérbera carníficum

non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

SIC perrexérunt: quómodo revertúntur? Non flentes, sed gaudéntes: non adhuc seminántes, sed manípulos suos læta cervíce portántes. O gérmina, quæ non urit flamma, quia juxta flumen sunt vítreum in Jerúsalem: et perpétuo viréscunt flore immortalitátis vitæ ætérnæ. Nésciunt marcéscere, quia non timuérunt pro justítia flammis ardéri; quia agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et delébit omnem lácrymam ab óculis eórum, et florébunt sicut lílium in médio Angelórum.

℟. Tamquam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xxj. *c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prœlia, et seditiónes, nolíte terréri; opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xiv. *Lib.* l. *Hom.*

DOminus noster Jesus Christus téstibus, idest Martyribus, pro humána fragilitáte sollícitis, ne forte eum confiténdo, atque moriéndo perírent, magnam securitátem dedit, dicens: Capíllus de cápite vestro non períbit. Times ergo ne péreas, cujus capíllus non períbit? Si sic custodiúntur supérflua tua, in quanta securitáte est ánima tua? Non perit capíllus, qui cum tondétur, non sentis: et perit ánima, per quam sentis? Sane multa dura eos passúros esse prædíxit, ut prædicéndo facéret paratióres, diceréntque illi: Parátum cor meum.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

QUid est : Parátum cor meum, nisi paráta volúntas mea? Parátam ergo habent Mártyres voluntátem in martyrio, sed præparátur volúntas a Dómino. Illis autem in malis duris, atque áspere futúris commémorans adjécit : In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. In vestra patiéntia, inquit; non enim esset patiéntia tua, si non ibi esset et volúntas tua. In vestra patiéntia : sed unde vestra? Nostrum est, quod a nobis habétur; nostrum est, et quod nobis donátur.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lect. SS. Mart. eorum Comm. ad Laudes : Aña et ℣. ut in j. Vesp.

In ij. Vesp. Comm. seq.

DIE III. OCTOBRIS.
SS. Januarii et Socior. *Mart. Dupl.*

Omnia ut in Breviario die xix. Septembris.

Vesperæ a Cap. de seq. Commem. præced.

DIE V. OCTOBRIS.
S. Pacifici a S. Severino
Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

LArgítor ómnium bonórum Deus, qui beátum Pacíficum Confessórem tuum exímiæ patiéntiæ virtúte, et solitúdinis amóre decorásti; ejus nobis intercessióne concéde; ut per éadem vestígia gradiéntes, éadem assequámur et præmia. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PAcíficus, Septémpedæ in Picéno nobílibus piísque paréntibus ortus, a primo ætátis dilúculo indúbia præbuit futúræ sanctitátis indícia. Quartum enim annum cum vix attigísset, mane sibi obláto pulménto cínerem sæpe mi-

scébat. A puerílibus oblectaméntis aliénus, et ceterórum puerórum consórtia fúgiens, domi ante sacras imágines, aut in ecclésiis oráre, vel áliis pietátis opéribus incúmbere in delíciis habébat. Paréntibus vita functis, ab avúnculo, qui eum suscéperat educándum, præcípue vero a duábus ancíllis ejus, ceu vile mancípium, duríssime hábitus, objurgatiónes, ludíbria, contémptus miti semper ánimo tulit; eorúmque ómnium, in quibus viles feméllæ peccáverant, tamquam auctor insimulátus, pœnam aliénæ culpæ humíliter alacritérque luébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Decimo séptimo ætátis suæ anno Franciscáno órdini inter Minóres, quos Observántes Reformátos vocant, nomen dedit in convéntu Foráni : et quæ, tyrocínio pie sanctéque ibídem expléto, solémniter vovit, fidélis deínde usque ad mortem perfectíssime réddidit Dómino Deo suo. Paupertátis enim et obediéntiæ fuit exímius cultor. Castitátis autem, quam illibáte servávit, vigil ádeo, rigidúsque éxstitit custos, ut tibiárum suárum ulcéribus per seípsum secréto medéri consuéverit, aliórum óperam viro castíssimo respuénte, ne áliquam sui córporis partem álteri osténderet denudátam. Humilitáte, patiéntia, solitúdine summópere enítuit. Austeritátibus ab institúto præscríptis jejúnia, flagélla, cilícia, vigílias adjécit; et cum pœniténtia vitæ candórem usquequáque conjúnxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

Divíno, præsértim cum Sacrum fáceret, sic æstuábat amóre, ut écstasim

pátiens, in áera, fácie ipsíus ínterim coruscánte, frequénter elevarétur. Spíritu prophetíæ, aliísque charísmatum donis fuit miríﬁce decorátus, inter quæ memorábile illud fertur, quod Menóchiæ ﬂumen, imbre recénter auctum, aquis hinc inde divísis, sicco transívit vestígio. Signis dénique et virtútum fama præclárus último morbo in convéntu Septempedáno corrípitur : quo patientíssime toleráto, et Ecclésiæ sacraméntis miro devotiónis æstu suscéptis; cum sublevátis óculis in cœlum grátias omnipoténti Deo pro univérsis benefíciis ejus egísset, mánibus supra pectus complicátis in formam crucis, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo primo, ætátis suæ sexagésimo octávo. Viam univérsæ carnis ingréssus, magis ac magis miráculis cláruit : eúmque Pius sextus Póntifex máximus Beatórum número adscrípsit; Gregórius vero Papa décimus sextus in festo sanctíssimæ Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono, solémni ritu Sanctórum catálogo adnumerávit. ℟. Iste homo.

Iniij. Nocturno, Homil. in Evang. Sint lumbi. *ut in Communi j. loco.*

Lectio ix. et Comm. in Laud. SS. Mart. ut in Brev.

DIE XII. OCTOBRIS.

S. Æmygdii

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

AD VESPERAS.

Añæ et Capit. ex Laud. Psalm. ut in j. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Audiat mirasóriens, cadénsque
Sol tuas laudes, celebrésque palmas,
Præsul Æmygdi, cólumen, tuæque
Glória gentis.

O jubar cœli rádiis decórum,
O potens signis, meritísque felix,
Quem Deus gestis adhibére suévit
Grándibus olim.

Ethnico primum génitus paránte
Illico nomen Súperis dedísti,
Pátribus spretis ópibus, beáta
Regna requírens.

Miles hinc scriptus Tríadis supérnæ
Italis infers sacra bella plagis,
Instruis verbo, tribuísque mira
Dona salútis.

Victor, et dives spóliis deórum
Templa subvértis, simulácra, et aras,
Mox feras gentes numerósa reddis
Agmina Christo.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus, et unus.
Amen.

℣. Terra trémuit, et quiévit. ℟. Dum pro nobis deprecarétur Æmygdius.

Ad Magnif. Aña. Æmygdius spíritu oris sui Idolórum cultum, et templa subvértit; quos in Christo génuit fílios, illos fidéliter a ruínis terræmótus servávit.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

IMperas saxo, látitans repénte
Lympha consúrgit flúitans salúbri
Fonte Baptísmi, populósque lustras
Flúmine sacro.

Péctoris duros sílices repélle,
Sáxeum cordis túmidi rigórem
Cóntere, ut sordes lacrymósa manans
Abluat unda.

Non times sævi rábiem tyránni,
Sánguine effúso, generóse Martyr;
Quin tibi abscíssum caput usque ad aras
Mórtuus effers.

Nunc triumphátor super astra regnans
Sémitam nobis, aditúmque monstra.
Súpplices ductor génitos supérnis
Sédibus infers.

Annuat cœlo Pater, atque Natus,
Annuat compar, utriúsque virtus,
Spíritus votis, Deus unus, omni
Témporis ævo.
Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Circuívit terram, et perambulávit eam, ut notam fáceret in pópulis glóriam Dei.

Aña. Virtúte magna reddébat testimónium

summi Dei, et Jesu Christi Dómini nostri.

Aña. Confúsi sunt, qui adorábant sculptília, et qui gloriabántur in simulácris suis.

℣. Glória et honóre.

De Libro Ecclesiástici.

Cap. v. *v.* 2.

Lectio j.

NE sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, et ne díxeris : Quómodo pótui, aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit : ne díxeris : Peccávi, et quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum et ne dicas : Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim, et ira ab illo cito próximant : et peccatóres réspicit ira illíus.

℟. Egréssus est de terra sua, et de cognatióne sua, * Et venit in terram quam monstráverat illi Deus. ℣. Ut annuntiáret inter gentes ópera ejus. — Et venit.

Lectio ij. *Cap.* x. *v.* 15.

INítium omnis peccáti est supérbia : qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, et subvértet eum in finem. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, et destrúxit eos usque in finem. Sedes ducum superbórum destrúxit Deus, et sedére fecit mites pro eis. Radíces géntium superbárum arefécit Deus, et plantávit húmiles ex ipsis géntibus. Terras géntium evértit Dóminus, et pérdidit eas usque ad fundaméntum.

℟. Diréctus est in conversiónem géntium : * Et tulit abominatiónes impietátis. ℣. Zelo zelátus est pro Dómino Deo. — Et tulit.

Lectio iij. *Cap.* xvj. *v.* 16.

NON dicas, a Deo abscóndar, et ex summo quis mei memorábitur? In pópulo magno non agnóscar : quæ est enim ánima mea in tam imménsa creatúra? Ecce cœlum, et cœli cœlórum, abyssus, et univérsa terra, et quæ in eis sunt, in conspéctu illíus commovebúntur : montes simul, et colles, et fundaménta terræ, cum

conspéxerit illa Deus, tremóre concutiéntur.

℟. Elégit abjéctus esse in domo Dei, * Magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Et virtúte magna reddébat testimónium Jesu Christi Dómini nostri. — Magis quam. Glória. Magis.

In II. Nocturno.

Aña. Audiéntes autem gentes gavísæ sunt, et glorificábant verbum Dei.

Aña. Et cantábant cánticum novum, carmen Deo nostro, Dóminus enim augébat quotídie, qui salvi fíerent.

Aña. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum, et ánima una.

℣. Posuísti Dómine.

Lectio iv.

Æmygdius e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, anno ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis, Euplo, Germáno, et Valentíno vitam duxit, humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat : erga próximum caritátis ardóre æstuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem, Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℟. A fácie furóris tui, Deus, conturbáta est omnis terra : * Miserére, et ne fácias consummatiónem. ℣. Avertátur furor tuus a pópulo tuo. — Miserére.

Lectio v.

Mox, óculis cæci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit. Aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille tercentórum gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti Urbis minas Angeli mónitu declínans, sanctum Marcéllum Pon-

tíficem ádiit, a quo Epíscopus ordinátus, et Asculum missus est.

℟. Montes commovebúntur, et colles contremíscent : * Misericórdia autem mea non recédet a te. ℣. Et fœdus pacis meæ non movébitur. — Misericórdia.

Lectio vj.

MUltis in itínere miráculis, ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Æmygdius pervénit, dæmones e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt: quem cum concitáta plebs ad cædem quæreret, excítus tumúltu Polymius civitátis præses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis ad Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in præmium núptiis própriæ fíliæ Polísiæ, quam Æmygdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polymius sancto Epíscopo caput ábscidit : quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit : inde ad templum máximum translátus est ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu exterórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors, persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Misericórdia tua, Dómine, non recédat a nobis : * Ut salvet nos, dum terra tremit. ℣. Eleva bráchium tuum, et déxtera tua glorificétur in nobis. — Ut salvet. Glória. Ut.

In III. Nocturno.

Aña. Sicut pastor gregem suum pavit, et in bráchio suo congregávit agnos.

Aña. Trádidit corpus suum in mortem, ídeo coronátus póssidet palmam.

Aña. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

℣. Magna est glória.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prœlia, et sedi-

tiónes nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia j. in Evang.

Dóminus, et Redémptor noster parátos nos invenire desíderans senescéntem mundum, quæ mala sequántur, denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantæ persecutiónes prævéniant, innotéscit : ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum ejus judícium persecutiónibus attríti timeámus.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israel; * Hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Ipse intercédat pro nobis ad Dóminum. — Hic est.

Lectio viij.

Huic étenim lectióni sancti Evangélii, quam modo vestra fratérnitas audívit, paulo supérius Dóminus præmísit, dicens : Exsúrget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum : et erunt terræmótus magni per loca, pestiléntiæ, et fames. Et quibúsdam interpósitis hoc, quod modo audístis, adjúnxit : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra géntium præ confusióne sónitus maris, et flúctuum. Ex quibus profécto ómnibus ália jam facta cérnimus ália in próximo ventúra formidámus.

℟. Iste sanctus gloriósum sánguinem fudit pro Dómino, amávit Christum in vita sua, imitátus est eum in morte sua : * Et ídeo glorificávit eum in cœlis. ℣. Iste sanctus conféssus est Jesum Christum coram homínibus. — Et ídeo. Glória. Et ídeo.

Lectio ix.

Nam gentem contra gentem súrgere, earúmque pressúram terris insístere, plus jam in nostris tempóribus cérnimus, quam in codícibus légimus. Quod terræmótus innúmeras urbes óbruat, ex áliis mundi pártibus

scitis, quam frequénter audívimus : pestiléntias sine cessatióne pátimur : signa vero in sole, et luna, et stellis adhuc apérte mínime vídimus, sed quia et hæc non longe sint, ex ipsa jam áeris immutatióne collígimus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Ut cognóvit * Æmygdius, quod magnus est Dóminus Deus noster præ ómnibus diis, státuit custodíre judícia justítiæ suæ.

2. Exívit de domo sua,* et de cognatióne sua, et venit in terram, quam monstráverat illi Deus.

3. In hoc excitávit * illum Dóminus, ut osténderet in eo virtútem suam, et annuntiáret inter gentes nomen suum.

4. Intelléctum dedit ei, et instrúxit in via hac, qua graderétur, et firmávit super eum óculos suos.

5. Diréctus est * in conversiónem géntium, et tulit abominatiónes eárum.

Capitulum. *Jac.* j. *b*

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

JEsu coróna Mártyrum,
Qui post cruénta prœlia
Ad sempitérna præmia
Sanctum vocásti Æmygdium.

Casti cruóris púrpura,
Palmáque ovántem nóbili,
Inter choros cœléstium
Reples beáto lúmine.

Nunc ejus ad victórias
Nos somnoléntos éxcita,
Virtútis ad præcónia
Sopóre mersos líbera.

Ut invocátus réddidit
Membris salútem lánguidis;
Sic labe prorsus críminum
Arcána purget méntium.

Ut, éditis miráculis,
Aras deórum díruit;
Sic damna præsens árceat
Quæcúmque nobis ímminent.

Ut voce quondam sústulit
Cultus nefándos dæmonum;
Sic ímpetret precántibus
Ætérna cœli gáudia.

Tu postulátis ánnue,
Rex magne Jesu Mártyrum,

Cum Patre, et almo Spíritu
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Æmygdi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Aña. O Virum ineffábilem, per quem nobis antíqua prodígia Móysis corúscant, cujus nútibus e saxo aqua baptísmatis Asculáno pópulo emanávit: per quem Evangélica lux effúlsit; quem triúmphans excépit cúria cœléstis: illic pro nobis intercédere dignétur, ut suo mereámur gaudére consórtio.

Oratio.

Deus, qui beátum Æmygdium Mártyrem tuum idolórum victória, et miraculórum glória decorásti: concéde propítius, ut eo interveniénte, malórum spiríţuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Vesp. de seq. Commem. præced. Si habeat ij. Vesp. omnia ut in j. sed loco ultimi Psalmi dic. Crédidi *etc.* ℣. *et Aña ad Magnif. ut infra.*

DIE XIII. OCTOBRIS.
SS. Danielis et Sociorum *Martyrum.*

Duplex ij. classis.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter hic posita.

Oratio.

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet, quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Æmygdii.

Aña. O Æmygdi Martyr gloriósе, quos in Christo genuísti fílios, et veræ fídei lacte enutrísti, tua, quæsumus, orátio comméndet nos indesinénter Deo.

℣. Ora pro nobis.

Oratio ut supra.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres. *de eodem Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anno salutíferi Christi supra millésimum ducentésimo vigésimo séptimo, sexto Idus Octóbris, dum áurea illa nascéntis órdinis Seráphici témpora felíciter

promicárent, vir, sanctitúdinis venerándæ, frater Dániel minister Calábriæ cum sex áliis frátribus, vidélicet Angelo, Samuéle, Domno, Leóne, Hugolino, atque Nicoláo, martyrii láuream insígniter adéptus est. Hi a fratre Elía generáli minístro, patrísque Francísci tunc agénte vices, obténta facultáte, e Túsciæ plagis, ducénte Christo, Septam Saracenórum urbem perrexérunt. Illuc cum pervenissent, procedéntes in urbis médium, líbera voce, Christum solum esse mundi Salvatórem unánimes cónclamant. Verum postquam aliquándiu ea, quæ sunt christiánæ fídei, veritatísque Evangélicæ, palam protestáti fuíssent, ac miserándam eórum vecórdiam, ac cœcitátem damnássent; a furéntibus turbis arrépti, flagris cæsi sunt, variísque affécti contuméliis, ac oppróbriis. Quæ illi propter Christum ómnia nihil pendéntes, illórum demum Dómino sistúntur.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

Hos tyránnus, tonsis de religióso more capíllis, intrépidis vúltibus, ore étiam imperióso, ac férvido loquéntes aspíciens, mente captos arbitrátur. Jubet proínde in cárcerem eos cónjici, ferreísque vínculis constríngi. Octávo autem die ad se dedúctos intérrogat, velint ne, quæ de christiána fide prius asseverássent, írrita esse, suóque Deo abnegáto, ad Mahumétícæ legis ritum convérti? At vero, quæ díxerant illi constabiliéntes válidis ratiónibus, spíritu veritátis aspiránte, osténdunt, nullum absque baptísmo, uniúsque Redemptóris hóminum Christi Jesu suffrágio ad salútem áditum esse. Eos ígitur Arbáldus Judex cápite animadvérti decrévit. Tunc lata senténtia beátus Pater Dániel sócios, filiósque suos exhílarans dixit: Gaudeámus in Dómino,

fidelíssimi commilitónes, festivísque diem hunc gáudiis consecrémus. Adstant enim Angeli ánimas nostras e córporis ergástulo solútas in empyrea regna cum palmæ trophæo deductúri. Nos hódie in suam sortem candidáti mártyres excípient. En nobis cœlórum jánua apérta est. Quid morámur, quo minus ad eórum beatitúdinem convolémus?

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

Porro ubi suis nudáti sunt vestiméntis, quasi forent ad lautíssimas épulas invitáti, e régia mirum in modum exsultabúndi ad supplícii locum próperant. Haudquáquam fácile sit relátu, quam pias Deo tunc pérsonent laudes, quamque impénse grátias agant. At ubi, quoad lícuit, Deo supplicavére, suásque ánimas commendavére ; spiculatóri tandem flecténtes cervícem, cápitis obtruncatióne gloriósam pro Christi fide mortem paciscúntur. Eórum itaque conquassátis capítibus, cadávera crudelíssime collísa, membratímque discérpta, magno fuére púeris, ac céteris ludíbrio, útpote quæ per urbem túrpiter raptáta sunt, ac dilaniáta : sed póstea a christiánis colléctа, cóngruo honóre cóndita fuérunt in Alphondéga Massiliénsi. Quæ post hæc cum regis Portugálliæ fílius dono accepísset, in Hispániam tránstulit : ubi horum suffrágiis vária plerísque impendúntur benefícia, crebris usquequáque miráculis suæ probitátis fidem non vulgárem faciéntibus.

℟. Tamquam.

In iij. Noct. Lectiones de eodem Communi ij. loco.

In Vesp. Commem. seq.

DIE XVI. OCTOBRIS.

(D. a. ex xiij. huj.)

S. Eduardi

Regis Conf. Semiduplex.

Omnia ut in Brev. xiij. hujus (m. t. v.)

Vesp. a Capitulo de sequenti Commem. præcedentis.

DIE XXI. OCTOBRIS.
S. Dominici Loricati

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio. Adésto.

Et fit Comm. S. Joannis Cantii, postea S. Hilarionis, Aña. Euge. ℣. Lex Dei. *SS. Ursulæ et Sociarum.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DOmínicus a férrea, qua ad carnem præcingebátur, loríca, cognoménto Loricátus, cum in sacris a se suscéptis Ordínibus simóniæ labem áliquam paréntum vítio inhæsísse accepísset, tanto ejus rei dolóre captus est, ut pœniténtiæ causa in solitúdinem secédens, apud erémum illam, quæ Lucéoli dícitur, monásticum institútum arripúerit, ubi sub severióris disciplínæ magístris Joánne de Monte Féretro, ac Petro Damiáni, póstea Cardináli Epíscopo Ostiénsi, brevi tantum divína grátia profécit, ut ipsis magístris esset admiratióni. Abstinéntia in primis erat admirábili, ac solo dúmtaxat pane conténtus sæpíssime jejunábat, cui si aliquándo fœnículum addidisset,carnáliter se vívere dictitábat : somni parcíssimus, íntegras sæpe noctes in oratióne, ac sui córporis castigatióne transigébat. Vixque dies ulla præteríbat, quin duo psaltéria modulándo utráque manu scopis armáta nudum corpus allíderet. Quadragesimáli vero témpore ad Christi Dómini passiónem expréssius recoléndam, tértium quoque psaltérium eádem córporis afflictatióne adjungébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

CUM autem divíni amóris æstu in dies se ipsum excruciándi novas adinveníret artes, suóque exémplo ad mortificatiónem

Jesu in córpore circumferéndam plúrimos provocáret, factum est, ut faciéndæ disciplínæ mos ádeo in illis pártibus inoléverit, ut non modo viri, sed étiam mulíeres hoc purgatórii genus inhiánter arríperent. Ipse vero semper ad perfectióra se exténdens, virgárum scopas in durióres corrigiárum scúticas in se ipsum convértit. Aspérrima quamvis hyeme, nudis semper pédibus incédere, atque única conténtus túnica, rigidíssimam paupertátem cólere instítuit. Nova ferreórum néxuum armaménta confíngens multis se vínculis per divérsa membra ipse síbimet judex, ut reum, violénter arctávit. Hos tamen córporis cruciátus benigníssimus Dóminus non sine miráculo módice temperávit, ut, qui sanctæ devotiónis æstuánti fúerat ardóre constríctus, pro Dei judício esset mirabíliter absolútus. Virginitátis dono fuit illústris, omnésque diáboli tentatiónes humilitáte, vigíliis, oratiónibus, ac jugi, constantíque linguæ, ceterorúmque sénsuum custódia superávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loríсam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

ERat in eo ubérrima lacrymárum grátia, atque in divínis láudibus persolvéndis fervor exímius. Ac dum inter ipsas compassíva teneritúdine intus per mentis afféctum transformarétur in eum, cui ex nímia caritáte crucifígi complácuit, per exténsa páriter ac suspénsa in crucis effígiem bráchia, crucifíxo confórmis apparébat, extérius, tantúmque divínus ignis in ejus péctore æstuábat, ut nunquam permítteret eum a spirituális exercítii labóre quiéscere. Ad summam ítaque senectútem pervéniens, cum nihil de vitæ asperitáte remítteret, sed interdícto étiam sibi módico, quo per interválla utebátur, vino, magis illam augéret, in morbum íncidit ; quo quamvis gráviter afflictarétur, sexta tamen féria per contínuum diem vix désiit vel modulándis psal-

mis insístere, vel corrigiárum se íctibus flagelláre. Post decúrsum vero noctúrnæ synáxis offícium, et matutínas horas cum prima jam hora sibi a frátribus, qui áderant, cantarétur, sanctum Deo spíritum réddidit prídie Idus Octóbris, anno salútis millésimo sexagésimo primo. Ejus corpus ne superveniéntium pietáte clam raperétur, in eádem, qua obíerat cellúla, cónditum fuit, ac nono post die íntegrum, incorruptúmque repértum, jussu Petri Damiáni Cardinális inde sublátum reverénter, ut dignum erat, in capítulo sepelítur. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusíllum gregem. *de eodem Communi ij. loco.*

Lectio ix. de S. Hilarione, cum ejus Commem. *Aña.* Similábo. ℣. Amávit. *et SS. Ursulæ et Sociarum.*

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

DIE XXII. OCTOBRIS.
S. Exuperantii
Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In utrisque Vesperis, et ad Matutinum.

Hymnus.

INsígnem méritis Exuperántium
Pastórem, pópuli, tóllite láudibus
Vestrum; de súperis mitis ut ædibus
Nostras excípiat preces.

Qui patris, téneræ matris et ímmemor,
Aurum paupéribus distríbuens, Dei
Verbo christíadum nóminis hóstibus
Acrem milítiam parat.

Afris nam prófugum fínibus Italos
Felix ad pópulos conséquitur chorus
Virtútum, Ausóniæ et constítuit potens
Gentis præsídium, et decus.

Jam vindex Súperi Núminis ácrior
Assuétas scéleri córripit íncrepans
Mentes, nil métuens hórrida cárceris
Duri víncula, nec minas.

Hinc factus méritis splendídior novis,
Summi cura micat, nobílior Patris,
Invitúsque licet múnera súscipit,
Partum quæ decus áugeant.

Jam te namque beat lúmine Cíngulum,

Jam te munífico pascit et úbere,
Et te Pastor amans dívite cópia
Implet de pátrio sinu.
Oh ! ergo précibus sollícitet Patrem,
Sanctum sollícitet pro grege Fílium,
Et nostra exhíbeat vota Paráclito,
Trino Númini, et Unico. Amen.

Oratio.

Deus, qui beátum Exuperántium Confessórem tuum, atque Pontíficem, grátiæ tuæ donis cumulátum, ad cœléstem glóriam perduxísti; concéde nobis, quæsumus, ut ejus patrocínio muníti ætérna præmia conséqui mereámur. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Dominici, Aña. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Exuperántius, Cingulanórum in Picéno Epíscopus, Eulásii fílius, in Africa, quæ ejus natále solum esse créditur, cum annos áliquot tum suæ, tum proximórum salúti procurándæ sédulam óperam navásset, mox suo património in páuperes erogáto, contra christiáni nóminis hostes, verbo divíno prædicándo, acre certámen iníre instítuit. Itaque, Africa relícta, in Itáliam commigrávit; ubi cum difficília témpora incidíssent, próditum memóriæ est, Exuperántium conátibus nonnullórum, qui profános quosdam ritus tuebántur, magna ánimi constántia restitísse, illatásque sibi ob eam rem moléstias, atque injúrias invícto ánimo tolerásse.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Cum ita se géreret Exuperántius, ut nihil métuens impiórum minas, aut cárceris horrórem, sceleratórum hóminum vítia corrípiens, læsum divíni Núminis honórem vindicá-

ret, ac novis virtútum méritis inclarésceret, Cínguli Epíscopo vita functo, invítus licet, eam cáthedram regéndam suscépit. Quam ille annórum complúrium spátio sanctíssime administrávit, gregémque suæ euræ créditum verbo, et exémplo sic pavit, ut móriens pretiósam relíquerit memóriam sui; civésque non amisísse eum se, sed sanctitátis, et miraculórum fama illústrem Patrónum in cœlis apud Deum nactos esse gratularéntur. Sacræ ejus exúviæ paucis post annis honorificénter collocátæ fuérunt, templúmque ejus in honórem exstrúctum fuit, latéque ejus cultus propagátus. Quod quidem templum sancti Epíscopi cultu, et grátiis curatiónum insígne, annuátim in die ipsíus natáli, et per octo dies immediáte sequéntes pie inviséntibus Nicoláus quartus Póntifex máximus indulgéntias concéssit. Cum autem intérea sacræ ejúsdem relíquiæ eo ipso in templo occultátæ fuíssent, postquam diu delituérant, tandem labénte sæculo decimoquínto, summa civitátis gratulatióne, detéctæ fuérunt, ejúsque Inventiónis memória festíve deínceps quotánnis colénda institúta est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio v.

Novíssimis autem tempóribus, crebrescénte fama beneficiórum, quæ sancti Exuperántii, intercessióne Deus largiebátur, hominibúsque ad ejus túmulum, sive acceptórum, sive impetrandórum causa étiam ex longínquis locis magno concúrsu confluéntibus, Románi Pontífices ad confovéndam fidélium pietátem, et sancti Epíscopi glóriam promovéndam, Clemens décimus tértius templo ejus amplióres honóres, atque indulgéntias constítuit; Pius sextus vero benígne concéssit, ut sacræ ejus exúviæ e véteri sepúlcro in novum sacéllum transferréntur, ejúsque facti memória in pósterum cele-

brarétur quotánnis Domínica quarta Júlii; mox Lectiónes secúndi Noctúrni próprias Apostólica auctoritáte probávit, eásque in tota Cinguléna diœcési ab utróque clero recitári permísit. Ac demum Pius séptimus nomen sancti Exuperántii Martyrológio Románo inscríbi, et auctióres secúndi Noctúrni Lectiónes próprias recitári indúlsit. ℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de eodem Comm.*

AD LAUDES.

Hymnus.

Carnis solútum vínculis,
Qui cœlitum fastígia
Conscéndit alta, præsulem
Sanctum sequámur cánticis.

Signis corúscans plúrimis
Corpus colunt jam cérnui
Cives, colunt et ádvenæ,
Qui vota reddunt súpplices.

Sacris amíctus véstibus
Illum sacérdos ínvocat
Gentis Patrónum, máximum
Rebus levámen ásperis.

Nam víndicem quiéscere
Iram supérni Núminis,
Picéna sentit nátio
Favóre sancti præsidis.

Urnæ subínde nóbilem
Impónit aram Cíngulum,
Templúmque gaudet tóllere
Ejus dicátum nómini.

Románus olim Póntifex
Cultum probávit débitum,
Corpus repértum dénuo
Ornat novis honóribus.

Laus sit Deo, sit glória,
Qui magna per mirácula
Nostri Patróni júgiter
Clarum sepúlcrum réddidit.
Amen.

DIE XXVI. OCTOBR.

S. Chryspoliti

Episcopi et Martyris.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

IN UTRISQUE VESP.

Ad Magnif. Aña. Beáte Chryspólite Martyr Christi, qui magnas virtútes operátus es, deprecáre pro nobis fílium Dei. ℣. Ora pro nobis sancte Chryspólite. ℟. Ut digni

efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Ræsta quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Chryspóliti Mártyris tui atque Pontíficis fidem cóngrua devotióne sectémur; ac illíus exémplo cuncta nobis adversántia pro ejúsdem fídei dilatatióne vincámus. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Evaristi.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hryspólitus cum Christi Jesu imitátor illústris verbi Dei prædicatióni sédulo instáret, ac proptérea in Itáliam appúlsus várias illíus urbes peragráret, Bictónium Umbriæ civitátem pervénit. Ibi mulíerem a dæmone jam fere annis trédecim obséssam sibi occurréntem cum liberásset, illam cum tota família in Christi fide instrúctam baptizávit, a qua hospítio étiam recéptus est. Rei nóvitas plures commóvit, ut in Christum créderent, quibus cum Chryspólito nocte quadam in Dei láudibus persisténtibus, vox Dómini persónuit enúncians, Chryspólitum ejúsdem urbis futúrum Pontíficem, quod non multo post factum est : nam ad illam regéndam ecclésiam designátus fuit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Pus sibi concréditum vix suscéptum egrégie adminístrans, potens ópere, et sermóne, plebem sibi commíssam a géntium erróribus, assíduis conciónibus ímpigre abdúcere satégit, eo felíci evéntu ut brevi urbis, ac diœcésis íncolæ, tum et finitimórum locórum christiánæ fídei mystériis instrúcti, ac salutári lavácro expiáti Christi bonus odor eváserint. Hos miris identídem signis, ac miráculis in vera religióne confirmáre non déstitit; quosdam confráctis crúribus languéntes prístinæ incolumitáti restítuit : quosdam a rábidis lupórum mórsibus eréptos dimísit illæsos : álios tetro deténtos cárcere confráctis poténter

compédibus ad própria remísit.

℞. Desidérium.

Lectio vj.

TOT, tántaque veræ fídei trophæa per Chryspólitum erécta Ethnícos excitárunt, ut in sanctum Epíscopum sævírent : quare ad imperatórem delátus, ejus jussu comprehénsus, et ut idólis géntium thus adoléret, plúries minis, ac promíssis tentátus est, intrépide, constantérque rénuens, fústibus cædi, in equúleo suspéndi, spíneis flagéllis dilaniári, ac demum in hórridum cárcerem detrúdi jussus est. His vero nihil ad labefactándam ejus in fide constántiam proficiéntibus, in accénsam fornácem conjícitur, in qua, ut olim tres Hebræórum púeri, immúnis servátur: serra tandem sacrum ejus corpus in duas scínditur partes, quod a fidélibus aromátibus cónditum cum hymnis, et cánticis in campo Bucarónis honorífice sepúltum est, ubi in ejus honórem deínde ecclésia consecráta fuit, a qua decimoquárto Kaléndas Mártias translátum in civitátem, ubi ad præséntem usque diem cólitur, piéque ad se confugiéntibus singulária præstat benefícia.

℞. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Io.* x. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus : bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

MAgnum quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio : et quæ multa índiget sapiéntia, et fortitúdine, qualem Christus propósuit, ut ánimam pro óvibus ponámus, et numquam illas deserámus : ut lupo generóse resistámus. Hæc enim inter pastórem, et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus; alter, sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit, furem ma-

ctántem, et rapiéntem oves, et mercenárium permittténtem, neque defendéntem commíssas.

℟. Coróna.

Lectio viij.

Quod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est : Væ pastóribus Israel : nonne pascébant semetípsos? Nonne greges pascúntur a pastóribus? Sed illi contrárium faciébant, quod máximæ malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum. Idcírco inquit : Neque quod períerat, quærébant : neque confráctum alligábant, neque infírmum consolidábant, quóniam se, non gregem pascébant. Idem et Paulus áliis verbis significat; omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. Hic est vere.

Lect. ix. de S. Evaristo.

Ad Laudes. ℣. Ora pro nobis.

Ad Bened. Aña. Gloriósus in Sancto tuo; mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

Comm. S. Evaristi.

In ij. Vesper. omnia ut in primis.

DOM. INFRA OCTAV. OMNIUM SANCTORUM.

SS. Reliquiarum

quæ in Ecclesiis Diœc. asservantur.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis Dominica IV. Oct.

DIE XIV. NOVEMBR.

S. Stanislai Kostkæ

Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis die xiij. hujus.

DIE XVI. NOVEMBR.

S. Josaphat

Episc. Mart. Dupl.

Omnia ut in Breviario die xiv. Novembris.

DIE XXVII. NOVEMB.

S. Leonardi a Portu Mauritio

Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis e xheri.

DIE XXVIII. NOV.

S. Jacobi a Marchia

Confessoris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusillum gregem. *de Communi ij. loco.*

Index.

Septembris.

Octobris.

Novembris.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 4 Decembris 1900.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA SANCTORUM
Clero PISAURENSI indulta.

PARS HIEMALIS.

DIE XXVII. NOVEMB.
(*d. a. ex. xiii. hujus.*)
S. Nicolai I.
Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.
In ij. Vesperis. Oratio. Exáudi.

DIE XXVIII. NOV.
S. Gregorii III.
Papæ Conf. Duplex.
Oratio. Da, quæsumus.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius, hujus nóminis tértius, natióne Syrus, patre Joánne, Gregório secúndo vita functo, unánimi cleri et pópuli consénsu, nec non divíno quodam instínctu, cum digníssimus ómnium esset, subrogátus est, anno Christi septingentésimo trigésimo primo. Vir singulári doctrína, et virtúte, Latína et Græca lingua erudítus, mirábili dicéndi facúndia, atque ádeo felíci memória, ut totum Psaltérium memóriter recitáret; is demum, quem prædecessóri suo Gregório, doctrína et prudéntia sapientíssimi hómines æquiparándum esse duxérunt. ℟. Invéni.

Lectio v.

CAthólicæ fídei propugnátor acérrimus, Leónem Isáurum imperatórem iconoclástam patérnis mónitis et lítteris ad saniórem mentem redúcere

conátus est. Sed cum nihil profíceret, convocáto Romæ nonagínta quinque Episcopórum concílio, sacrárum imáginum cultum apostólico decréto firmávit, et diro anathémate fériit Iconómachos. Quæ cum ad Leónis aures pervenissent, áltius rugíre cœpit, misítque advérsus Gregórium florentíssimam classem cum potentíssimo exércitu, sed hæc, volénte ac víndice Deo, in Adriático sæva tempestáte agitáta fœdo naufrágio périit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

MUlta quoque a Luitprándo Longobardórum rege iníque passus est, qui et Urbem longa obsidióne cinxit, et sancti Petri basílicam sacrílega manu dirípuit. In his angústiis sanctíssimus Póntifex ad Cárolum Martéllum, antecessóris exémplo, legátos cum sacris munéribus destinávit. Munívit Urbis mœnia, largas in egénos eleemósynas erogávit, novas basílicas fundaméntis exstrúxit, antíquas ornávit, ac restaurávit, Vaticánam præsértim, intra quam oratórium auro, argénto, gemmis, omníque pretiósi óperis génere ditátum eréxit, in quo sanctórum Apostolórum, et Mártyrum relíquias summa cura et diligéntia toto christiáni orbis ámbitu conquisítas repósuit, et coléndas expósuit, eo máxime témpore, quo illas Hagiómachi diabólico furóre proculcábant. Multa monastéria restítuit, et sanctis légibus instrúxit, statuítque, ut Presbyteri et mónachi altérnis noctu diúque divínas laudes celebrárent. Fractus demum labóribus, méritis licet, atque virtútibus ínclytus, anno sui pontificátus undécimo nondum perácto, quarto Kaléndas Decémbris pie óbiit in Dómino, et in prædícto oratório Vaticáno sepúltus est. ℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

In Vesp. Orat. Exáudi.

DIE XXIX. NOVEMB.

S. Gelasii I.

Papæ Confessoris.

Duplex (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GElásius, gente Africánus, patre Valério, in Felícis tértii locum subrogátus, pontificátum gessit annos quátuor, menses octo, duodevigínti dies. Creávit in dúplici ordinatióne Diáconos duos, Presbyteros trigínta et duos, sexagínta septem per divérsa loca Epíscopos. Vir sane singulári fídei propagándæ ac servándæ zelo ardentíssimus, omni litteratúra, præsértim sacra instructíssimus, et intrépidi péctoris róbore, tum ad vindicánda Ecclésiæ et Sedis apostólicæ jura, tum ad retundéndam hæreticórum, et schismaticórum protérviam armátus.

℟. Invéni.

Lectio v.

EJus cura et stúdio, non clerus modo plúrimum auctus est, verum étiam univérsa Ecclésia magnis increméntis adolévit. In quo certe illíus prudéntia mirábilis fuit, cum eo témpore Anastásius imperátor hæréticus, et Theodorícus Ariánus rerum utriúsque impérii potiréntur. Imminénte famis perículo, úbere annóna Urbem recreávit. Lupercália, áliaque Gentílium spectácula, quæ ad hæc usque témpora, post tam multa imperatórum, edícta advérsus idololatríam lata, et Romanórum Pontíficum stúdia ad eam exstirpándam adhíbita, viguísse constat, Andrómacho senatóre, aliísque Románis frustra licet refragántibus, pénitus abolévit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

ALia quam plúrima ad dignitátem et disciplínam Ecclésiæ spectántia præstitit, sancívit, et scripsit. Defensóres Acácii, Euphémium præsértim Constantinopolitánum damnávit; scriptísque ad divérsos nervosíssimis juxta atque doctíssimis lítteris, vel eos in offício contínuit, vel aberrántes redúxit. Pelagiános, Manichæos, et álios hæréticos coércuit, eorúmque libros públicis flammis tradi curávit. Præter decretáles, et Hymnos ecclesiásticos, egrégia scripsit opúscula contra

Nestórium, Aríum, Pelágium, et Eutychéten. Sed illud præ céteris memorándum, quod libros canónicos ab áliis, et probátos ab apócryphis in Románа synodo septuagínta Episcopórum, singulári decréto distínxit. Post multos demum labóres in regénda universáli Ecclésia exantlátos, sanctíssimus et doctíssimus Póntifex pie óbiit in Dómino undécimo Kaléndas Decémbris, anno Christi quadringentésimo nonagésimo sexto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

DIE I. DECEMBRIS.

(*D. a. ex xix. Nov.*)

S. Elisabeth

Viduæ. Duplex.

Oratio.

TUórum corda fidélium Deus miserátor illústra : et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et cœléstі semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ELísabeth, Andréæ regis Hungáriæ fília, ab infántia Deum timére cœpit : et crescens ætáte, crevit étiam pietáte. Ludóvico Lantgrávio Hássiæ et Thuríngiæ in cónjugem copuláta, non minóri cura quæ Dei, quam quæ viri sui erant, exsequebátur. Surgens enim noctúrno témpore oratióni diu incumbébat; ac váriis misericórdiæ offíciis dédita, víduis, pupíllis, ægrótis, egéntibus sédulo inserviébat : gravíque fame urgénte, domus suæ fruménta liberáliter erogábat. Leprósos hospítio suscípiens, manus eórum et pedes osculabátur. Curándis autem et aléndis paupéribus insígne xenodochíum constrúxit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

DEfúncto cónjuge, ut Deo libérius servíret, depósitis ómnibus sæculáris glóriæ induméntis, vili tú-

nica indúta est, atque órdinem Pœniténtium sancti Francísci ingréssa, patiéntiæ et humilitátis virtúte máxime enítuit. Nam bonis ómnibus exúta, a própriis ædibus ejécta, ab ómnibus derelícta, contumélias, irrisiónes, obtrectatiónes invícto ánimo tolerávit, ádeo ut summópere gaudéret, se tália pro Deo pati. Ad ínfima quæque ministéria erga páuperes et ægrótos se abjíciens, eis necessária procurábat, solis oléribus et legumínibus pro suo victu conténta.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

CUM vero in his aliísque plúrimis sanctis opéribus vitam religiosíssime transegísset, finis tandem suæ peregrinatiónis advénit, quem domésticis suis ante prædíxit. Cumque defíxis in cœlum óculis divínæ contemplatióni vacáret, a Deo mirabíliter recreáta, et sacraméntis refécta, obdormívit in Dómino. Statímque plúrima ad ejus túmulum mirácula patráta sunt. Quibus audítis, et rite probátis, Gregórius nonus Sanctórum número eam ascrípsit.

℟. Fallax grátia.

DIE IV. DECEMBRIS.

S. Barbaræ

Virginis et Martyris.

Duplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE V. DECEMBRIS.

S. Heracliani

Episc. Pisaur.

Duplex (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui nos beáti Heracliáni Confessóris tui, atque Pontíficis méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius : ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit Comm. Fer. ac S. Sabbæ Ab. ℣. Justum

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In ij. et iij. Noct. de Comm. j. loco.

In Laud. Commem. Fer. et S. Sabbæ. ℣. Amávit.

DIE IX. DECEMBRIS.

S. Eutychiani

Papæ et Mart. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EUtychiánus natióne Tuscus, pátria Lunénsis, Maríno patre, post beáti Felícis sacerdótium, Románæ Ecclésiæ episcopátum suscépit. Constítuit fruges, fabas, et uvas super altári benedíci: itémque a fidélibus nullátenus Mártyrem sepelíri sine dalmática, aut purpuráto colóbio. Qui cum per divérsa loca trecéntos sexagínta duos Mártyres sua manu sepelísset, illis et ipse sociátus, sub Numeriáno imperatóre martyrio coronátus est sexto Idus Decémbris, sepultúsque in cœmetério Callísti via Appia. Quinque ordinatiónibus mense Decémbri creávit Presbyteros quatuórdecim, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca novem. Vixit in pontificátu annos octo, menses quinque, et dies áliquot. ℟. Honéstum.

Sermo S. Máximi Epísc.

De S. Cypriano Hom. 2.

Lectio v.

IN martyrio beatíssimi Eutychiáni, fratres caríssimi, univérsa nobíscum Christi exsúltat Ecclésia, quam in omne gáudium, et cœléstis eruditióne sermónis instrúxit, et múnere triumphális sánguinis decorávit. Fuit enim in eo, sicut compértum habémus, et contra erróres diábolí spirituális sapiéntiæ plenitúdo, et advérsum persecutiónes mundi, christiáni péctoris mitigáta constántia. Quis non hujúsmodi virum quantis valet præcóniis prosequátur, cujus eloquéntia inspiráta divínitus et Ecclésias dócuit, et sæculum confutávit? ℟. Desidérium.

Lectio vj.

VEre hic mirábilis, atque ómnium ubíque stúdiis celebrándus, quem sánctitas sacerdótem, perítia doctórem, fides Mártyrem consecrávit. Pretiósa, inquit David, in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus. Vidéte caríssimi, in quantum venerábilis Eutychiánus étiam prophéticam supergréssus est laudem, cujus in conspéctu Dómini non solum mors, sed et vita éxstitit pretiósa. Moriéndo namque próprium Christo sánguinem dedit:

vivéndo nihilóminus cohortatióne fortíssima innúmeros cœlo Mártyres acquisívit.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Homilia. Quia Dóminus. *de Communi ij. loco.*

DIE X. DECEMBRIS.

Translat. Almæ Domus Lauret. B. M. V.

Dupl. primæ clas. cum Oct.

Ut in fine Breviarii.

DIE XI. DECEMBRIS.

S. Damasi

Papæ Conf. Duplex.

Ut in Breviario, præter ritum.

DIE XII. DECEMB.

S. Melchiadis

Papæ Martyris. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MElchíades Afer post Eusébium Románam ténuit Ecclésiam. Qui cum adhuc Présbyter esset, misit Diáconos cum lítteris Maxéntii imperatóris, et lítteris præfécti prætórii ad Urbis præféctum, ut ea loca recíperet, quæ fúerant Christiánis témpore persecutiónis abláta. Réddita autem Ecclésiis pace, Constantínum Augústum adivére Donatístæ, ut in eórum contra Cæciliánum Carthaginiénsem Epíscopum causa júdices daret. Quibus Constantínus respóndit: Petístis a me in sæculo judícium, cum ego ipse Christi judícium exspéctem. Attamen dati sunt júdices Epíscopi tres, missíque Romam ad Melchíadem Pontíficem, ut ibi pro fratrum concórdia et unitáte synodus cogerétur. ℟. Honéstum.

Lectio v.

IN Urbem ítaque hi tres profécti convenérunt cum áliis quíndecim Epíscopis, ipsóque Melchíade in domum Faustæ in Lateránis, ubi causa discússa Cæciliánus ómnium Episcopórum senténtiis innocens est pronuntiátus, et ejúsdem Melchíadis decréto judícium est clausum. Ut autem Donatístæ cathólicæ uniréntur Ecclésiæ, Melchíades (prout scribit sanctus Augustínus) tamquam vir óptimus, fílius christiánæ

pacis, et pater christiánæ plebis ádmodum laborávit, obláta étiam conditióne, ut quibuscúmque in locis duo essent contrariárum factiónum Epíscopi, is confirmarétur qui prior fuísset ordinátus, et álteri plebs ália regénda providerétur.

℞. Desidérium.

Lectio vj.

Sanxit, ne ulla ratióne die Domínico, aut quinta féria, quis fidélium jejunáret, quia eos dies quasi sacro jejúnio deputátos pagáni celebrábant. Item státuit, ut oblatiónes consecrátæ per Epíscopum, quæ dicebántur ferméntum, per Ecclésias dirigeréntur; ne Presbyteri in suis títulis una cum suis plébibus celebrántes, se ab Epíscopi communióne separátos judicárent. Qui cum in persecutióne Maximiáni multa passus esset, tandem sub Constantíno quiévit in Dómino quarto Idus Decémbris, sepultúsque est in cœmetério Callísti via Appia. Una ordinatióne creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca úndecim. ℞. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

℞. *viij.* Dómine prævenísti.

DIE XIV. DECEMBR.

(*d. a. ex iv. hujus.*)

S. Petri Chrysologi

Episc. Conf. et Doct.

Duplex.

Ut in Breviario die iv. hujus.

Et fit Commem. Octavæ.

DIE XVII. DECEMBR.

(*d. a. ex xiij. Nov.*)

S. Didaci

Conf. Semid. (*m. t. v.*)

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábilii nfírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitáti nostræ; ut piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus ad perénnem in cœlis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Didacus Hispánus ex óppido sancti Nicolái de Portu diœcésis Hispalénsis, ab ineúnte ætáte

pii sub sacerdótis disciplína, sanctióris vitæ solitária in ecclésia tirocínium exércuit. Deínde ut fírmius Deo se conjúngeret, in convéntu de Arrizzáfa fratrum Minórum (quos Observántes vocant) sancti Francísci régulam in statu laicáli profésssus est. Magna ibi alacritáte, húmilis obediéntiæ, et reguláris observántiæ jugum súbiens, contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus cœléstibus, litterárum expers, mirándum in modum et plane divínitus loquerétur.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Canáriis in ínsulis, ubi frátribus sui órdinis præfuit, multa perpéssus, martyrii æstuans desidério, plures infidéles verbo et exémplo ad Christi fidem convértit. Romam véniens anno jubilæi, Nicoláo quinto Pontífice, ægrotórum curæ in convéntu Aræ cœli destinátus, eo caritátis afféctu munus hoc exércuit, ut Urbe annónæ inópia laboránte, ægrótis tamen, quorum aliquándo úlcera étiam lambéndo abstergébat, nihil pénitus necessárii defécerit. Exímia quoque fides et grátia curatiónum in eo elúxit, cum lámpadis, quæ collucébat ante imáginem beatíssimæ Dei Genitrícis, quam summa devotióne colébat, óleo ægros inúngens, signo crucis imprésso, multórum morbos mirabíliter sanáverit. ℟. Amávit.

Lectio vj.

Hemum Complúti finem sibi vitæ adésse intélligens, lácera et obsoléta indútus túnica, conjéctis in crucem óculis, singulári devotióne illis verbis ex sacro hymno pronuntiátis : Dulce lignum, dulces clávos, dúlcia ferens póndera, quæ fuísti digna portáre Regem cœlórum, et Dóminum; ánimam Deo réddidit, prídie Idus Novémbris, anno Dómini supra millésimum quadringentésimo sexagésimo tértio. Ejus corpus cum menses non paucos (ut pio confluéntium desidério fíeret satis) insepúltum mansísset, quasi jam incorruptiónem indúerit, odórem suavíssimum efflávit. Il-

lum multis et illústribus miráculis clarum Sixtus quintus Póntifex máximus Sanctórum número ascrípsit. ℟. Iste homo. *In iij. Noct., Homil.* Pusíllum. *de Comm. ij. loco.*

DIE XVIII. DECEMB.

Exspectatio Partus B. M. V.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE XIX. DECEMBR.

B. Urbani V.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio.

Deus, qui ad tuénda fórtiter Sedis apostólicæ jura fidémque cathólicam late propagándam beátum Urbánum Confessórem tuum atque Pontíficem constántia roborásti : fac nos ipsíus præsídiis adjútos ita militánti Ecclésiæ servíre, ut triumphánti consociári mereámur. Per Dóminum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

Urbánus quintus, Póntifex máximus, nóbili Grimoardórum gente natus, in Castro Grísaco diœcésis Mimaténsis, quum innocénti adolescéntia floréret, monásticum hábitum sub régula sancti Benedícti índuit, ac in Massiliénse cœnóbium sancti Victóris cooptándus, vota nuncupávit. In theológiæ ac juris disciplínis ita excélluit, ut per plures annos Tolósæ, Parísiis, Avenióne, in Monte Pessuláno, Decréta summa cum laude interpretarétur. Abbas dein sancti Germáni Antissiodorénsis a Cleménte sexto, póstmodum ab Innocéntio sexto sancti Victóris Massiliénsis præses renuntiátus, tam império, quam obediéntia summus et exímius, ad majóra jam parátus dum árduis negótiis et legatiónibus pro Ecclésia fungerétur, in Petri sedem assúmptus, Avenióne ritu solémni coronátus est. ℟. Invéni.

Lectio v.

Vix ínito pontificátu ánimum admóvit ad Sedem apostólicam in Urbem reducéndam, ad mores fidélium emendándos, ad clericórum restauréndam disciplínam, ad claustra reformánda, ad ca-

thólicam fidem propagándam. Apostólicas enim missiónes frátribus Minóribus commíssas promóvit usque ad Tártaros et últimos Orientáles : multósque hæréticos ex Albánia, Valáchia et Bulgária ad Ecclésiam cathólicam redúxit. Nihil étiam omísit ut Græcórum contumáciam vínceret, recépta semel et íterum ab imperatóre Joánne fídei professióne. Sacrum bellum contra infidéles indíxit, ac rege Cypri cópiis præfécto, Alexandríam Ægypti felíciter expugnávit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

INterim civílem Sedis apostólicæ principátum pene evérsum, Ægídio Cardinále Albornótio egrégiam opem conferénte, ita restítuit, ut sibi et successóribus suis, necessária tandem libertáte parta, lubens et ovans, in almam Urbem cum ingénti Romanórum gáudio rediérit. Basílicas Petri et Pauli instaurávit, ac sacrosánctam Lateranénsem Ecclésiam incéndio pénitus absúmptam magnis súmptibus restítuit. In qua capita príncipum Apostolórum retroáctis tempóribus in sacéllum sancti Lauréntii transláta, recognóvit; éaque solémniter pópulo Románo osténsa et in thecas insérta auro et gemmis distíncta, fidélibus colénda propósuit. Monastérium in Monte Pessuláno instítuit; prætérea Montis Cassíni cœnóbium in priscum decus, alter quasi cónditor, redintegrávit. Demum ab Urbe cum ánimo íterum reverténdi ob Ecclésiæ negótia discéssit, et Aveniónem pervénit, ubi letháli morbo corréptus, pretiósam mortem oppétiit anno millésimo tercentésimo septuagésimo. Miráculis post óbitum clarus, depósitus est in sancti Victóris ecclésia, ubi adhuc vivens sepúlcrum sibi statúerat. Cultum, ab immemorábili témpore eídem exhíbitum, post quintum ab óbitu revolútum sæculum Pius nonus Póntifex máximus, prævio Sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio approbávit et confirmávit; ejúsque Offícium et Missam sub ritu dúplici a clero Románo

et a plúribus diœcésibus recitári celebraríque benígne indúlsit.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

DIE XX. DECEMBRIS.

(*Fixa ex XIV. Novemb.*)

S. Josaphat

Episc. Mart. Duplex.

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quatuor Tempor. vero A Miléto. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Josaphat Kuncewistius nobílibus et cathólicis paréntibus Vladimíriæ in Volhínia natus, cum puérulus matrem de Christi passióne loquéntem audíret, jáculo a látere imáginis Jesu Crucifíxi immísso, vulnus in corde suscépit. Dei amóre incénsus, ádeo oratióni aliísque piis opéribus instáre cœpit, ut provectióribus adolescéntibus exémplo et admiratióni esset. Vicénnis inter claustrálessanctiBasilíi alúmnos monásticam régulam proféssus, mirum quos in evangélica perfectióne progréssus fécerit. Nudis pédibus, frigidíssima licet sæviénte regiónis híeme, incedébat : carnes nunquam, vinum nonnísi ex obediéntia adhíbuit, asperrimóque cilício ad óbitum usque corpus afflíxit. Castitátis florem, quem ab adolescéntia Vírgini Deíparæ vóverat, inviolátum servávit. Virtútis doctrinæque ejus brevi sic fama percrébuit, ut quamvis júnior, Byténii monastério præféctus sit; mox VilnénsisArchimandríta, ac demum Archiepíscopus Polocénsis, invítus quidem, sed Cathólicis gestiéntibus, fúerit renuntiátus.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HAC dignitáte auctus, nihil de prióri vivéndi ratióne remíttens, nonnísi divínum cultum et creditárum sibi óvium salútem cordi hábuit. Cathólicæ unitátis ac veritátis strénuus propugnátor, totis víribus allaborávit ut schismáticos hæreticósque ad communiónem cum beáti Petri sede redúceret. Summum Pontíficem ejúsque potestátis plenitúdinem ab impudentíssimis impiórum calúmniis et erróribus, qua conciónibus, qua scriptis pietáte ac doctrína refértis deféndere nunquam déstitit. Episcopálem jurisdictiónem et Ecclésiæ bona a láicis usurpáta vindicávit. Incredíbile dictu est quot hæréticos in sinum matris Ecclésiæ revocáverit. Uniónis vero Græcæ Ecclésiæ cum Latína Josaphátum promotórem exstitísse præclaríssimum, étiam pontifícia orácula disérte testántur. Ad hæc, et templi Dei decóri instaurándo, et sacrárum vírginum exstruéndis ædibus, aliísque piis opéribus juvándis, mensæ suæ provéntus ultro erogávit. In páuperes ádeo effúsus, ut cum olim inópiæ cujúsdam víduæ sublevándæ nihil occúrreret, episcopále pállium, seu Omophórion, oppignorári jússerit. ℟. Desidérium.

Lectio vi.

TOT cathólicæ fídei increménta perditissimórum hóminum ádeo excitavérunt ómnia, ut, conspiratióne ínita, Christi athlétam ad necem quæreren; quam sibi imminére ipse in suo ad pópulum sermóne prænuntiávit. Cum ítaque Vitépscum pastorális visitatiónis grátia proféctus esset, illi archiepiscopáles invádunt ædes; óbvios quosque fériunt ac cædunt. Tum vir mitíssimus quæréntibus sponte occúrrit, eósque amíce compéllans, Filióli, inquit, quare familiáres meos cæditis? Si quid contra me habétis, ecce adsum. Hinc ímpetu facto, eum verbéribus contúndunt, telis confódiunt, ac demum immáni secúri necátum, in flumen projíciunt; die duodécima Novémbris anni sexcentésimi vicésimi tértii su-

pra millésimum, ætátis ejus quadragésimi tértii. Corpus mirábili luce circumfúsum, ex imo flúminis álveo elátum est. Sanguis Mártyris parricídiis ipsis in primis prófuit, qui fere omnes cápitis damnáti, ejuráto schísmate suum scelus detestáti sunt. Cum tantus Præsul plúrimis post óbitum coruscáret miráculis, eum Urbánus octávus Póntifex máximus Beatórum honóribus decorávit. Pius nonus tértio Kaléndas Július anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, cum sæculária Apostolórum Príncipum solémnia celebraréntur, coram Patrum Cardinálium senátu, simúlque astántibus fere quingéntis, Patriárchis, Metropolítis et Epíscopis cujuscúmque ritus, qui ex toto terrárum orbe convénerant, hunc ecclesiásticæ unitátis assertórem, primum ex Orientálibus, solémni ritu in Vaticána basílica Sanctórum órdini accénsuit. Cujus Offícium ac Missam Leo décimus tértius summus Póntifex ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Magnum quiddam. *ut in Festo S. Thomæ Mart. in Brev. die xxix. Decembris.*

DIE XXII. DECEMBR.

B. Victoris III.

Papæ et Confessoris.

Duplex (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui per beátum Victórem Confessórem tuum atque Pontíficem in summa Ecclésiæ dignitáte declinánda eáque tuénda, præclárum humilitátis et fortitúdinis exémplum dedísti : concéde nobis ejus méritis et imitatióne, hóstium ómnium insídias invícto ánimo superáre. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Victor Papa tértius, Desidérius ántea dictus, Benevénti príncipe família natus, a primis annis exímia pietáte morúmque innocéntia præfúlsit. Vix exácta adolescéntia terrénas núptias aversátus, quas ei paréntes statúerant,

sponsam clam déserens, erémum pétiit. Matre vero et consanguíneis id ægre feréntibus, ne a sancto propósito dimoverétur, mónachi vitam ampléxus, várias successíve sedes mutávit. Cavénse scílicet monastérium incóluit, póstea ad cœnóbium ínsulæ Tremítis divértit, et apud eremítas Montis Majéllæ aliquándo delítuit. Dein cum ex gravi morbo convaluísset, Cassínum Montem ascéndit, ubi propter singuláres virtútes a mónachis Abbas designátus, et a Stéphano nono confirmátus est. Ejúsdem Pontíficis nutu Constantinópolim legátus míttitur pro restituénda Ecclésiæ Græcæ cum apostólica sede communióne.

℟. Invéni David.

Lectio v.

STéphano defúncto ad Cassinénse cœnóbium revérsus, brevi a Nicoláo secúndo sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális renuntiátus fuit, simúlque Cassinénsis Abbas benedíctus. Idem Póntifex ejúsque successóres eum ad præcípua ac difficíllima Ecclésiæ negótia pertractánda destinárunt, quin a monachórum regímine distraherétur; nam non solum eórum aucto número sanctæ régulæ observántiam promóvit, sed cœnóbium fere ex íntegro restítuit. Basílicam ínsuper sancti patris Benedícti córpore claram, ádeo spléndide a fundaméntis excitávit, pretiosísque lapídibus ab orientálibus étiam oris advéctis, opéribus musívis, ac sacra supelléctili mira arte magnóque sumptu elaboráta ditávit, ut præclárum munificéntiæ ejus ingeniíque exstet monuméntum. Hanc basílicam Alexánder secúndus in signum suæ erga Desidérium benevoléntiæ consecrávit, astántibus quamplúrimis Epíscopis, et Cardinálibus, inter quos digni sunt memória sanctus Petrus Damiánus et Hildebrándus, qui póstea Gregórii séptimi assúmpto nómine eídem Alexándro succéssit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

CUM ipse sanctus Gregórius morti próximus eum tamquam digníssimum

qui sibi in apostólica Sede succéderet designásset, commúni suffrágio Desidérius Póntifex elígitur. At hujus humílitas tunc máxime emítuit, qui per annum fere íntegrum tantam dignitátem declinávit. Eníxis dein Præsulum, príncipum, ac pópuli précibus indúctus, in Capuána synodi Victóris nomen et summi pontificátus insígnia accépit. Romam dedúctus, solémni ritu consecrátur, ejéctis inde pseudopontífice Guibérto ejúsque factiónis homínibus. Exércitum sub vexíllo sancti Petri ex tota fere Itália colléctum contra Saracénos transmísit in Africam, ubi commísso prœlio, illórum ácies pénitus profligávit. Benevénti coácta synodo schismáticos anathémate pérculit, ac investitúras, quæ in electiónibus libertátem Ecclésiæ opprimébant, omníno proscrípsit; plúraque ália ad ecclesiásticam disciplínam pertinéntia decrévit. Perácta synodo, letháli morbo corréptus, Cassínum a Cardinálibus et Epíscopis comitátus deférri vóluit, ubi labóribus ærumnísque pro conciliánda Ecclésiæ pace conféctus, ánimam Deo réddidit sanctitáte et miráculis illústris, anno millésimo octogésimo séptimo. Sedit a suæ consecratiónis die menses quátuor et dies septem; ejúsque corpus in basílica Cassinénsi summa veneratióne cólitur.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XXIII. DECEMB.

B. Urbani II.

Papæ et Confessoris.

Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui beáto Pontífici Urbáno pro Ecclésiæ tuæ libertáte et décore felíciter decertáre tribuísti, eúmque ad rediménda ab infidélium potestáte tuæ vitæ mortális et passiónis monuménta per virtútem Crucis roborásti : concéde, ut ipsíus intercessióne, contra hostes ánimæ nostræ dimicántes in terris, ætérnæ glóriæ bravíum accípere mereámur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SÆculo undécimo, fervénte luctuosíssimo dissídio Ecclésiam inter et Impérium, non minóri fortitúdine quam céteri Pontífices, qui per ea témpora Románam obtinuérunt sedem, enítuit Urbánus secúndus, Odo ántea vocátus, e nóbili família apud Castelliónem supra Matrónam non procul a Rheménsi urbe ortus. Is Brunóne magístro, celebérrimo póstea Carthusianórum institutóre, philosóphicis ac theológicis stúdiis óperam dedit, et ob egrégias virtútes in Ecclésia Rheménsi canonicátu potítus est. At sæculi curas pertæsus, ac régulam sancti Benedícti proféssus, primum in Cluniacénsi, dein in Bainsonénsi et Cavénsi cœnóbiis religiosíssime conversátus est. Vestígia sequútus sancti Gregórii séptimi, viri ópere et sermóne poténtis, a quo in majóribus Ecclésiæ negótiis adhíbitus fúerat, atque Epíscopus Ostiénsis et sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális creátus, pari ánimi constántia ac fortitúdine jura Ecclésiæ contra láicam potestátem vindicávit.

℟. Invéni.

Lectio v.

SUmmus Póntifex renuntiátus, Cassíni montem invísit, sacras ibi beatíssimi patris Benedícti exúvias veneratúrus, ejúsque ope a lápidis morbo, quo diu laboráverat, insígni prodígio sanátus fuit. Cavénsis monastérii ecclésiam et sancti Nicolái Barénsis basílicam consecrávit, ibíque corpus ejúsdem thaumatúrgi magna cum solemnitáte repósuit. In eádem Barénsi basílica insígne concílium hábuit, ut Græcórum erróres confutáret, doctíssimis præsértim usus arguméntis, quibus sanctus Anselmus Archiepíscopus Cantuariénsis fidem cathólicam assé ruit. Aliis prætérea divérsis in locis convocátis concíliis, ecclesiásticæ disciplínæ observántiam strénue curávit. Sed ómnium celebérrimum fuit Claromontánum concí-

lium, in quo illárum sacrárum expeditiónum felicíssimo succéssu auctor éxstitit, quæ ex salutíferæ Crucis Christi signo, quo decorabántur, Cruciatárum nómine fuérunt appellátæ. Ac sane mirum est Pontíficem páuperem, uti erat tunc Urbánus, absque regum ope, sine ulla exactióne, aut tribúto, tam ingéntem príncipum virorúmque nobílium, ac ceterórum ex omni órdine, statu et regno multitúdinem congregásse, qui ad difficilem ádeo expeditiónem sponte et álacri ánimo properárent; quibus pro stipéndio sola proponebátur peccatórum indulgéntia, et sola spes vitæ ætérnæ pro præmio.

℟. Pósui.

Lectio vj.

BEátam Dei Genitrícem singulári obséquio prósequens, speciálium precum in ejus honórem recitatiónem cléricis æque ac láicis ea occasióne indíxit, ut qui fidéles suscipiéndæ expeditióni ímpares essent, mílites pro religiónis causa dimicántes saltem oratiónibus adjuvárent. Hinc et cultus beátæ Maríæ, qui hodiéque in Sábbato celebrári solet, ab eo institútus fuísse perhibétur. Post plúrimos autem labóres pro Ecclésia superátos, Romæ, quæ jam cum tota Itália ab Henríci imperatóris oppressióne eváserat, universáli quoque Ecclésia in tranquilliórem statum revocáta, tandem meritórum magis quam diérum plenus, anno millésimo nonagésimo nono, die vigésima nona Júlii gloriósa justórum morte quiévit, cum Petri cáthedram tenuísset annos úndecim, menses quátuor, dies decem et octo. Corpus ex ædibus Petri Leónis apud sanctum Nicoláum in cárcere ad basílicam Vaticánam delátum est, ibíque inter totíus Urbis luctum et tristítiam honorífice cónditum. Cultum usque ab immemorábili témpore beáto Urbáno secúndo exhíbitum Leo décimus tértius Póntifex máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto ratum hábuit et confirmávit, atque Offícium cum Missa, in ejus honórem quotánnis celebrán-

dum clero Románo, Rheménsi ac Tolosáno benígne indúlsit.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

DOMINICA III.
POST EPIPHANIAM.

Sanctæ Familiæ, Jesu, Mariæ, Joseph.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE XVI. JANUAR.
S. Marcelli I.

Papæ Mart. Duplex.

Ut in Breviario præter ritum.

DIE XXIII. JANUAR.
Desponsatio B. M. V.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

Cammem. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. Mart.

DIE XXVII. JANUAR.
S. Vitaliani

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Vitaliánus, pátria Signiénsis, natióne Campánus, Anastásio patre, duóbus fere ménsibus ab Eugénii hujus nóminis primi óbitu, non sine pública bonórum ómnium gratulatióne, in ejus locum subrogátus fuit, vir sane disciplínæ, ac régulæ ecclesiásticæ amantíssimus, et retinentíssimus. Illam in vigóre suo, ut a prædecessóre lætus accéperat, ita sédulus successóri relíquit, et nihil unquam omísit, quod ad illíus splendórem servándum pertinéret.

℟. Invéni.

Lectio v.

Nulli labóri, nulli pepércit indústriæ, ut Orientálem Ecclésiam, jam diutúrno schísmate a Romána separátam, et Constántium imperatórem Heráclii nepótem Monothelitárum fautórem, impiíque auctórem Typi, ad meliórem frugem redúceret. Eódem ánimo et fine Petrum Patriárcham

Constantinopolitánum, scriptis ad eum lítteris hortátus est ad reddéndam Ecclésiæ pacem, et fidem cathólicam amplecténdam.

℟. Pósui.

Lectio vj.

VArias scripsit epístolas, ut sacrórum cánonum indemnitáti, et divínæ fídei propagatióni consúleret. In id præsértim pastorális íllius cura incúbuit, non sine próspero evéntu. Religiónem enim in Anglia collabéntem restítuit : et cum ibi esset sacrórum ministrórum penúria, magnum Theodórum Tharsénsem, et Adriánum Abbátem eo misit : illum quidem, ut Ecclésiæ Anglicánæ Primas esset : hunc vero, ut monásticam disciplínam restauráret. Cum demum illíus píetas multum, diúque refulsísset, ac sedísset annos quatuórdecim, et menses quinque, ex hac vita ad Deum migrávit, anno Christi sexcentésimo sexagésimo nono, et in Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XXVIII. JANUAR.

(*D. a. ex heri.*)

S. Joannis Chrysostomi

Episc. Conf. et Doct. Duplex.

Ut in Breviario ex heri.

DIE XXX. JANUARII.

S. Felicis IV.

Papæ Conf. Dupl. (*m. t. v.*)

Oratio. Exáudi.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix quartus Samnítis, Castóris fílius, divína grátia copióse instrúctus, beáto Joánne Papa in Theodoríci regis Itáliæ Ariáni cárcere defúncto, ob húmilem pietátem, atque simplicitátem céteris prælátus, celsum Románi episcopátus locum proméruit. Per id tempus Athalaricus Theodoríci succéssor, quamquam et ipse Ariánus, apostólicæ tamen sedis honóri cónsulens, instantísque Románi cleri desidériis favens, suo decréto constítuit, quod juxta priscæ consuetúdinis tenórem

(ne clerus foréņsibus lítibus profanátus sæculáribus implicétur) si quis áliquem ad Románum clerum pertinéntem in quálibet causa probábili créderet actióne pulsándum, ad beatíssimi Papæ judícium prius veníret audiéndus; ut aut ipse inter utrósque more suæ sanctitátis cognósceret, aut causam delígeret æquitátis stúdio terminándam. Qui vero reveréntiam tantæ sedi exhibére contémneret, decem librárum auri dispéndio mulctári jussit, per manus memoráti Antístitis erogándo. ℞. Invéni.

Lectio v.

Porro Felix nefáriam damnávit præsumptiónem eórum, qui sacerdotáli ordinatióne suscépta, ad sæculáris vitæ mores demigrábant. Eréxit in Urbe basílicam sanctórum Cosmæ et Damiáni eo loco, qui appellátur Via Sacra, juxta templum Urbis Romæ, consumptámque incéndio sancti Mártyris Saturníni basílicam via Salária a solo refécit. Idem paupéribus largus, et míseris solátia præbens, cum créscere fecísset opes apostólicæ sedis, ærumnósam hanc cum beáta vita commutávit, sepúltus in basílica sancti Petri, quarto Idus Octóbris, Justiniáno imperatóre, et Athalaríco Itáliæ rege. Duábus ordinatiónibus mense Februário et Mártio creávit Presbyteros quinquagínta quinque, Diáconos quátuor, Epíscopos per divérsa loca vigínti novem. Sedit in pontificátu annos quátuor, menses duos, dies decem et octo. ℞. Pósui.

Sermo S. Gregórii Papæ.

Lectio vj. 2. *Par. Past. c.* j

Tantum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metíri se sollícite stúdeat, quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo (necésse est) cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humi-

litátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in interiórum sollicitúdine non relínquens. ℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homil. Ut ignorántiam illam. *de Communi ij. loco.*

FERIA III.

POST DOM. SEPTUAG.

Orationis D.N.J.C.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

FERIA III.

POST DOM. SEXAG.

Commem. Passionis D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE III. FEBRUAR.

S. Blasii

Episc. Mart. Duplex.

Ut in fine Breviarii. Lectiones ij. et iij. Noct. propriæ ut ibidem.

DIE VI. FEBRUARII.

SS. XXVI. Martyrum Japonensium.

Duplex.

Ut in fine Brev. ex heri. Lectio ix. et Commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.

DIE IX. FEBRUARII.

S. Apolloniæ

Virg. et Mart. Duplex.

Oratio. Deus qui inter cétera.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. De Virgínibus. *de Communi.*

In ij. Noct. Lect. iv. Apollónia Virgo. *ut in Breviario.*

Lectio v. Quóniam hódie, *vj.* Hæc nubes. *de Communi j. loco.*

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos. *de eodem Comm. j. loco.*

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. Aña. Símile est. *de Laud.*

DIE XII. FEBRUARII.

S. Feliciani

Episc. et Mart. Duplex.

In j. Vesp. ad Magnif. Aña. Sancte Feliciáne Martyr Dómini pretióse, adésto nostris précibus pius ac propítius.

Oratio.

DEus, qui beáti Feliciáni Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne christiánæ religiónis sémina fecundásti : concéde propítius; nos ejus semper

patrocínio muníri, cujus salutári doctrína sumus ad veram pietátem institúti. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occnrrente.

In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Feliciánus Fulgínia in Umbria oriúndus a christiánis et nobílibus paréntibus in timóre Dei diligénter instrúctus, a pueritia singulári virtúte spécimen exhíbuit futúræ sanctitátis. Ingénio potens, et humanióribus lítteris imbútus, Romam amandátus est, altióribus formándus disciplínis. Pietáti tamen magis, quam lítteris addíctus, Ecclésias et loca sacra frequentábat. Eleuthérius Papa, cógnita adolescéntis virtúte, pie cogitávit, eum per ecclesiástica rudiménta ad Sacerdótii promovére dignitátem. Commíssa ítaque ejus cura Victóri Archidiácono, inter Pontifícios educári jussit alúmnos, et veste ornári clericáli. Lítteris demum et pietáte inter sócios præfulgéntem sacerdotáli órdine insignívit, et in pátriam remísit, ut concíves et finítimos pópulos ab erróribus revocáret.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Injúnctum sibi munus tanto Feliciánus fidei ardóre exórsus est, ut brevi quamplúrimos ad Christum convérterit, et vitæ sanctimónia ad pietátem excitárit. Decedénte ínterim Epíscopo Fulgináte, fidélium votis et cleri suffrágio succéssor elígitur: diúque relúctans, tandem a Victóre Papa, ejus olim nutritóre Romæ consecrátur: magnísque auctus honóribus, et potestáte accépta per finítimas províncias prædicándi, et rem ecclesiásticam rite constituéndi, ad destinátam sibi sedem regréditur. Interámnæ prædicatiónem auspicátus, multos Christo lucrifécit: et Valéntinum Diáconum, insígnem mox Christi Mártyrem, jubénte Victóre, Epíscopum consecrávit. Spoléti et quacúmque, per Umbriam præsértim et Picénum, iter fáceret, multis magnísque patrátis mirácu-lis, et nonnúllis ecclésiis constrúctis, fidem propa-

gávit. Assísii a Lúcio Flávio præside plúrimis affectus injúriis et verbéribus, urbe pulsus, discípulos, quos Christo pepérerat, in húmili tugúrio doctrína et cœléstibus prodígiis in fide confirmávit. ℟. Desidérium.

Lectio vj.

FUlgíniæ demum óptimi pastóris partes exércens, dum illuc Décius imperátor, Persis Medísque debellátis, pertránsit, apud eum, accusátur, quod christiános género illústres, inter quos erant Abdon et Sennen Persárum réguli, quos captívos ante rhedam ducébat, in cárcere sæpe visitárit, et christianórum relígio per eum magna percepísset increménta. Comprehénsus ítaque, magnísque largitiónibus et promíssis frustra tentátus, tandem equúleo suspénsus, virgis férreis percússus, iísque ignítis adústus; tum nováculis, úngulis férreis, aliísque instruméntis excarnificátus, detrúditur in cárcerem cum prædíctis christiánis Romam in vínculis, pertrahéndus. Sed gravi senectúte pressus, atrocibúsque confráctus torméntis, dum ante rhedam abdúcitur, haud procul a Fulgínia, génibus flexis, oculísque in cœlum eréctis, ætátis anno nonagesimoquárto, in cœlum migrávit. Sacrum ejus corpus Fulgínátes honorífice cónditum, tamquam suæ urbis Patróni, summa prosequúntur veneratióne. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus diem judícii. *de Comm. iij. loco.*

In Quadrag. Lect. ix. Homil. et Comm. Feriæ.

Ad Benedictus, Aña. O gemma clara Mártyrum, qui sidus cœli factus es, Feliciáne, quæsumus, sis memor tui mémorum.

DIE XIII. FEBRUAR.

S. Gregorii II.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius hujus nóminis secúndus, natióne Románus, patre Marcéllo, anno Christi

septingentésimo décimo quárto, mirábili totíus cleri et pópuli concórdia ad suprémum Ecclésiæ cathólicæ pontificátum evéctus est. Hic a pueritia divíno cúltui addíctus in Lateranénsi patriarchío sub beáti Sérgii óculis, et disciplína víxerat, Subdiáconi primum, tum Sacellárii múnere functus. Mox bibliothécæ cura illi crédita, ad diaconátus tandem órdinem promótus, in régiam urbem, una cum sanctíssimo Papa Constantíno proféctus est. Ibi ab imperatóre de nonnúllis capítibus interrogátus, cum sacrárum litterárum peritíssimus esset, et constantíssimus rerum ecclesiasticárum defénsor, óptima, et cathólica responsióne príncipi satisfécit.

℟. Invéni.

Lectio v.

URbis mœnia contra Longobardórum excursiónes, áliqua ex parte reparávit. Aliquot basílicas témporum injúria collápsas restítuit. Urbána monastéria fere desérta, et mónachos in prístinam formam et disciplínam redégit. Imo post mortem Honéstæ matris, patérnam domum in ecclésiam, et monastérium commutávit, quod multis prædiis instrúctum relíquit. Corbiniánum et Bonifátium viros apostólico spíritu plenos, in Germániam misit, ad prædicándum Gentílibus Christi Evangélium, eósque sacris episcopátus ínfulis decorávit, postquam innúmeram paganórum multitúdinem ab iis ad Christi fidem convérsam fuísse accepísset. Ut omnes óptimi pastóris partes impléret, óptimis légibus ecclesiásticam disciplínam, et Christianórum mores instrúxit. Géminam synodum Romæ hábuit, álteram advérsus illícita conjúgia, álteram advérsus Iconoclástas.

℟. Pósui.

Lectio vj.

LEónem Isáurum sacrárum imáginum destructórem váriis epístolis ab illa hæresi removére, omníque illum officiórum génere sibi demeréri stúduit; cum tamen hic ad scéleris cúmulum, óptimum Pontíficem neci trádere

ferro séxies, semel auro, et munéribus corrúmpere, quamvis frustra, tentásset. Luitprándo, cum Exárcho ad excídium Urbis properánti, sanctíssimus Póntifex, Dei fretus præsídio, ad prata Nerónis occúrrit, et piis mónitis regis ánimum ita mollívit, ut non jam hostis, sed pius adorátor ensem, et corónam príncipi Apostolórum obtúlerit. Cum autem imperátor destructiónem machinarétur, eúmdem diro anathémate pérculit, et ínito cum Francis fœdere ab ímpio molímine detérruit. Rebus demum præcláre gestis, quibus máximis quibúsque prædecessórum suórum æquiparátur, pie óbiit in Dómino, sexto pontificátus anno, et in basílica Vaticána cónditus est. ℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

In ij. Vesperis, Oratio. Exáudi.

DIE XIV. FEBRUARII.

S. Dionysii

Papæ Conf. Duplex.

(*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Dionysius ex mónacho, post beátum Xystum secúndum, Románæ Ecclésiæ Epíscopus est constitútus. Is contra Sabelliános scripsit, et advérsus eos, qui Fílium Dei opus aut creatúram asseverábant, plura volúmina édidit. Dionysii Alexandríni Epíscopi apud se accusáti, quasi qui Fílium Dei factum, et non substantiálem Patri díceret, in Romána synodo causam discússit, ad quem ejúsdem synodi, id indígne feréntis senténtiam perscrípsit. Sed cum Alexandrínus Antístes íterum atque íterum, missis Romam suis scriptis, se purgásset, atque defendísset, matúro demum consílio est absolútus. Presbyteris Ecclésias in Urbe Dionysius distríbuit, et cœmetéria, paróchias, atque diœcéses divísit. Dénique multis pro Ecclésia perfúnctus labóribus, ac fídei documéntis clarus, Aureliáno imperatóre, migrávit ad Dóminum, sepultúsque est in cœmetério Callísti via Appia, sexto Kalén-

das Januárii. Hábuit mense Decémbri ordinatiónes duas, quibus creávit Presbyteros duódecim, Diáconos sex, Epíscopos per divérsa loca septem. Sedit annos úndecim, menses tres, dies quatuórdecim.

℟. Invéni.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Epist. ad Rom. cap. 15. Serm. 29. circa finem.

Lectio v.

CHristum díligens, et gregem illíus útique díligit : et Móysen tum primum super pópulum Judæórum pósuit, quando, qua esset in illum benevoléntia, re ipsa jam declaráverat. David quoque símili modo regno inaugurátus est, posteáquam apparúerat, quam amíco esset in pópulum afféctu: ita quippe júvenis adhuc pópuli causa dóluit, ac zelávit, ut et ánimam suam expóneret, cum vidélicet bárbarum illum e médio tollébat. Quod vero dicébat; Quid dábitur ei, qui alienígenam hunc interfécerit? non ídeo dicébat, quod mercédem exígeret, sed quo sibi crederétur, et in pugnam cum illo committerétur : nam cum adépta jam victória, ad regem esset ingréssus, nihil de mercéde méminit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

ET Sámuel quoque benígnus erat, et amátor pópuli : unde et dicébat : Absit autem hoc a me peccátum, ut cessem pro vobis oráre Dóminum. Ita et Paulus : imo non ita, sed multo plus ómnibus ardébat erga súbditos. Unde et discípulos ita erga se animávit, ut díceret : si possíbile fuísset, óculos vestros eruissétis, mihíque dedissétis. Et Christus óptimi pastóris régulam próferens, dixit: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Sunt enim Sanctórum ánimæ veheménter mites, et hóminum amántes, non solum erga domésticos, sed aliénos, ita ut hanc suam mansuetúdinem étiam ad animántia bruta exténdant. Proptérea et sápiens quíspiam dixit : Justus miserétur animárum jumentórum suórum: si jumentórum, multo magis hóminum.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homil. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

In ij. Vesp. Orat. Exáudi.

DIE XV. FEBRUARII.

S. Zosimi

Papæ et Conf. Duplex (*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fidélis sermo. *de Comm. Conf. Pont.*

In II Nocturno.

Lectio iv.

Zosimus Græcus Abrahámi fílius post sanctum Innocéntium Románæ Ecclésiæ episcopátum suscépit. Is Africanórum conciliórum decrétis advérsus Pelagiánam hæresim senténtiæ suæ robur annéxuit, et ad impiórum excídium gládio Petri déxtera ómnium armávit Antístitum; iis namque ab ipso probátis, per totum mundum hæresis Pelagiána damnáta est. Damnávit et Pelágium ipsum una cum Cœléstio, datis hac de re lítteris ad univérsam Ecclésiam.

℟. Invéni.

Lectio v.

Ecclesiásticæ disciplínæ tenacíssimus fuit, complúribus ad eam ubíque sive servándam sive restituéndam destinátis grávibus epístolis. Defíniit juxta probátum Ecclésiæ morem, ut si quis ab infántia ecclesiásticis ministériis nomen dedísset, inter Lectóres usque ad vigésimum ætátis annum, continuáta observatióne duráret. Si vero major jam et grandævus post baptísmum, sive inter Lectóres, sive inter Exorcístas, quinquénnio tenerétur, et inde Acólythus, vel Subdiáconus, quátuor annis, et sic ad diaconátum (si mererétur) accéderet, in quo órdine quinque annis hærére debéret, et inde, suffragántibus votis, sacerdótium promeréri posset.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Sancívit, ut Diáconi lævas linóstimis pallis tégerent, potestatémque fecit, ut per paróchias Pascháлis céreus benedicerétur. Cavit prætérea, ne clé-

rico póculum propinarétur in público, prætérquam in fidélium cellis, et máxime clericórum. Qui cum sanctíssime rexísset Ecclésiam annum unum, menses quátuor, dies septem, quiévit in pace, sepultúsque est juxta corpus sancti Lauréntii Mártyris, via Tiburtína, séptimo Kaléndas Januárii, Honório et Theodósio junióre imperántibus. Una ordinatióne mense Decémbri, creávit Presbyteros decem, Diáconos tres, Epíscopos per divérsa loca octo.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct., Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi. j. loco.*

DIE XVI. FEBRUAR.

B. Gregorii X.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii Confessóris atque Pontíficis religiónis zelo, et apostólicis curis amplificásti : ejus méritis et intercessióne concéde, ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrages. Laudémus viros. *de Comm. j. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius décimus Theáldus, seu Theobáldus ántea nuncupátus, Placéntiæ ad Æmíliæ fines nóbili Vicecómitum génere natus est. Adoléscens ecclesiásticæ milítiæ ascríptus, singulári nítuit honestáte morum, vitæque mundítia, nulla unquam, ut créditur, críminis contagióne pollúta. In Gálliam cum Jacóbo Cardináli Pecorário Gregórii noni legáto proféctus, Archidiáconus Leodiénsis renuntiátus est. Eo in Itáliam redeúnte, theológiæ Parísiis óperam dedit, ac magístri munus adéptus, verbo et exémplo fidéles, ac príncipes ad Terræ sanctæ recuperatiónem veheménter accéndit. In Syriam deínde peregrinátus, dum ibi sacram expeditiónem urgéret, a Cardinálibus, Vitérbii Pontíficis electiónem in annum fere tértium protrahéntibus, in Petri sedem evéctus est anno

millésimo ducentésimo septuagésimo primo.

℟. Invéni.

Lectio v.

ACcépto Ptolemáide electiónis decréto, in Itáliam navigávit, ac Vitérbium se cóntulit, deínde Romam, ubi anno insequénte solémniter inaugurátus est. Ab ipso pontificátus exórdio ad generális concílii celebratiónem curas, et cogitatiónes omnes adjécit. Eo Lugdúnum Galliárum indícto, Michaélem Palæólogum Græcórum imperatórem, tum álios christiános príncipes, et Græcæ, Latinæque Ecclésiæ Præsules lítteris amantíssimis invitávit, accersítis étiam exímiis doctrína, et sanctitáte viris, uti sancto Thoma Aquináte in ipso itínere vita functo, sancto Bonaventúra, sancto Philíppo Benítio, beáto Albérto magno, Petro de Tarantásia órdinis Prædicatórum, qui eídem in pontificátu succéssit. Igitur œcuménicam synodum Patrum número ómnium frequentíssimam cui præfuit Póntifex ipse, Græcis, ejuráto schísmate, ad Ecclésiæ unitátem recéptis, decrétis pro sacra expeditióne subsídiis, editísque plúribus sanctíssimis légibus, triméstri spátio felíciter celebrávit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

DE pace in Ecclésia firmánda cum primis sollícitus, Prælatórum dissídia, regum inimicítias, provinciárum ódia, populórum factiónes compósuit, dirémit, exstínxit. Ecclésiæ jura étiam advérsus reges et príncipes sevére ac fórtiter vindicávit, nullam esse prædicans solidiórem regnórum basim, quam tutélam ecclesiásticæ libertátis Páuperum amantíssimus, primus ómnium in apostólico palátio piárum in illos largitiónum præsidem constítuit, iísque própriis mánibus pedes quotídie abluébat. In Itáliam a concílio redux, dum profectiónem in Palæstínam meditátur, plúraque ália christiánæ reipúblicæ bono molirétur, Arétii in Etrúria morte intercéptus est quarto ab electióne sua anno, mense quarto, die décima. Fuit vir ánimi plane invícti et apostóli-

ci, terrenórum contémptu, cultus divíni stúdio, fídei zelo, disciplínæ, et morum restauratióne, rerum gerendárum prudéntia, fortitúdine, magnanimitáte, aliísque virtútibus prorsus exímius. Miráculis post mortem claruísse Ecclésiæ Aretínæ monuménta testántur. ℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XVII. FEBRUAR.

(*Fixa ex 11. Februarii.*)

S. Antheri

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANthérus, natióne Græcus, patre Rómulo, post sanctum Pontiánum Romæ ordinátus est Epíscopus. Is gesta Mártyrum diligénter a notáriis conquisívit, ac in Ecclésia recóndidit. Propter eam causam a Máximo præfécto martyrio coronátus est tértio Nonas Januárii, sepultúsque in cœmetério Callísti, via Appia, Maximíno príncipe. Unica ordinatióne mense Decémbri ordinávit Epíscopum Fundánæ civitátis in Campánia. Sedit in pontificátu mensem unum, dies duódecim. ℟. Honéstum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De Verbis Domini. 50.

Lectio v.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Anthérus? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum, quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

JAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátes, et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt,

nómine martyrii se jactant: ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte : quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam : Jam ipsi sunt : sed vide quid séquitur : caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem : et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia : détrahe caritátem, nihil prosunt cétera. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XVIII. FEBR.

S. Telesphori

Papæ et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Lectiones. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

TElésphorus, natióne Græcus, pátria Thuriénsis in magna Græcia, ex Presbytero Románæ Ecclésiæ (cujus dignum minístrum égerat) Póntifex máximus creátus est. Hoc suprémum munus ita óbiit, ut exímius Petri succéssor lectus esse viderétur. In ejus cáthedra sedit sub imperatóre Antoníno Pio, fervénte persecutiónis æstu. Qui tamen non óbstitit, ne sédulam óperam regéndæ Christi Ecclésiæ sollícitus navárit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HInc novis decrétis multa illum egrégie sancivísse légimus, quæ ad fidélium mores, ecclesiasticórum libertátem, et sacros ritus áttinent; scílicet Quadragesimále jejúnium, jam olim ab Apóstolis tráditum, novo edícto restaurásse, ac mandásse, ut in natáli Dómini sanctum Missæ sacrifícium ter celebrarétur, média nocte,

illucescénte auróra, hora demum tértia post solis ortum, et constituísse, ut sacræ Litúrgiæ hymnus angélicus, Glória in excélsis Deo, adderétur.
℟. Desidérium.

Lectio vj.

Dixísse quoque, ne sacerdótes a pópulo arguerántur, ut sublímis órdinis dignitáti consúleret. Ordinatióne quadrúplici, mense Decémbri, creávit Presbyteros duódecim, Diáconos octo, Epíscopos trédecim per divérsa loca. Cum autem in propagánda fide ardentíssimus esset, ac proínde idolórum sacerdótibus invísus, captus tandem cápitis abscissióne martyrium consummávit Nonis Januárii, et ejus corpus in Vaticáno sepúltum est. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Communi ij. loco.*

Lectio ix. S. Simeonis Episc. Mart.

DIE XIX. FEBRUAR.

S. Agathonis

Papæ et Confessoris.

Duplex (m. t. v.)

Oratio Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fidélis.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agatho, natióne Sículus, ex doctíssimo ac sanctíssimo mónacho Románus Póntifex creátus est, anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo. Vir summa humanitáte, exímio ánimi candóre singulári morum suavitáte, et comitáte præditus, cunctórum amans, cunctis amabilíssimus. Ita demum a natúra, et grátia comparátus, ut ad suprémam illam dignitátem geréndam natus, seu factus esse viderétur.
℟. Invéni.

Lectio v.

Accéptis a Constantíno Pogonato lítteris ad Donum prædecessórem scriptis, pro convocándo concílio œcuménico, ad diutúrnum schisma tolléndum, quo laborábat Ecclésia, et definiéndas fídei controvérsias, quæ toto fere Oriénte máximas tempestátes atque ruínas exci-

tárant, provinciáles synodos in Occidénte habéri curávit, in quibus Monothelitárum causa disceterétur, et damnaréntur erróres.

℟. Pósui.

Lectio vj.

HIS præmíssis, legátos suos, et concílii Románi, misit Constantinópolim cum binis lítteris ad imperatórem, in quibus prædícta hæresi docte, fuse, ac sólide refutáta, damnatísque primáriis illíus sectatóribus, Sérgio scílicet, Cyro, Paulo, Pyrrho, Petro, et áliis, antecessóres suos ab omni erróris labe immúnes hucúsque fuísse, expréssis verbis declarávit. Agathónis ígitur auctoritáte, sexta synodus universális congregáta est, in qua iídem erróres, iidémque errántes damnáti fuérunt. Demum cum tres annos, et quinque círciter menses sedísset, pie óbiit in Dómino, et in basílica príncipis Apostolórum sepultúræ mandátus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XX. FEBRUAR.

S. Hygini

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HYgínus Atheniénsis, philósopho patre, cum jam Románæ Ecclésiæ Présbyter esset, cleri suffrágiis, Telésphoro suffféctus est. Sedit in sancta Petri sede imperatóre Antoníno Pio Augústo annos tres, menses úndecim, dies vigínti octo. Ubi primum Póntifex renuntiátus est, clericórum órdines in suos gradus distínxit, ac fecit, ut in iis Ecclésiis quas Títulos vocant, tum primárii minístri, tum álii eísdem subjécti adéssent, qui fidélibus cum res postuláret, sacra ministrárent.

℟. Honéstum.

Lectio v.

INstítuit étiam, ne absque celebratióne Missæ, templa, vel oratória sacro ritu consecraréntur : ne inconsúlto Epíscopo, vel nova construeréntur, vel

jam constrúcta destrueréntur, et ne matéries ad sacrum illum usum congésta, et destináta, in profános usus converterétur. Edíxit prætérea, ut patríni baptísmo adéssent, qui de sacro fonte infántes levárent : ne quis Epíscopus reus críminis damnarétur, nisi a comprovinciálibus Epíscopis ejus causa probe discússa fuísset. Cuncta hæc ejus título, ac nómine sancíta exstant. Tres ordinatiónes hábuit mense Decémbri, quibus creávit Epíscopos sex, Presbyteros quíndecim, Diáconos quinque.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

CUM autem paulo ante Justínus claríssimus philósophus, et Christi Martyr scripsísset apológiam pro religióne christiána ad imperatórem Antonínum Pium Augústum, obtínuit ut persecútio desævíret. Hinc a christianórum cæde, non quidem omníno, plúrimum tamen, público príncipis edícto, temperátum est. Sanctíssimo tamen pastóri, cujus cura Domínico gregi consúltum fúerat, párcitum non fuit; nempe hic glorióso martyrio, ne antecessóribus dissímilis esset, innocentíssimam vitam terminávit, die undécima Januárii, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XXI. FEBRUAR.

S. Josephi a Leonissa *Conf. Duplex.*

Oratio.

DEus, fidélium remunerátor servórum, qui beátum Joséphum exímium in evangélica prædicatióne operárium effecísti : ejus, quæsumus, intercessióne concéde, ut a grato tibi servítio numquam cessémus in terris, et plenam a te mercédem recipiámus in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOséphus Leoníssæ in Aprútio piis honestísque paréntibus natus, a pueritia cœpit cla-

rére virtútibus. Nam et certos sibi indíxit jejúnii dies, et in pietátis opéribus maximópere delectabátur. Factus adolescéntior obláta sibi, óptima conjúgia castimóniæ sédulus cultor strénue recusávit, et consanguineórum blandiméntis, superátis Cappucinórum institúto nomen dedit. In religióne austeríssimum vitæ genus sectátus est. Aliquándo enim fabárum corruptárum pugíllo, módico pane, eóque múcido, et cœnósa aqua, étiam dum sacris conciónibus óperam daret, vitam transigébat. Sæpe étiam ad sex, et octo dies, omni prorsus cibo abstínuit; diris, cruentísque verbéribus, aspérrimo cilício, ferreáque caténa corpus domábat.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Ardentíssima caritáte, et stúdio dilatándæ christiánæ religiónis accénsus, Constantinópolim proféctus, Christi fidélibus in captivitáte degéntibus sédulo opitulabátur. Fídei desertóres reducébat: nutántes in religióne confirmábat, verbéribus licet, cárcere et contuméliis vexátus. Quare cum finem verbi Dei disseminándi non fáceret, alta e trabe péndere jussus, manu pedéque déxtero unco férreo perforátis, fumóque, ut suffocarétur, suppósito, in eo cruciátu Christi athléta tríduo permánsit. Indeque ab Angelo mirabíliter eréptus, sanátis vulnéribus, martyrii mérito cumulátus, in Itáliam revérsus est; íbique evangelizándis paupéribus cum ingénti animárum lucro totus incúbuit. Finítimas regiónes, et famílias factiónibus, ódiis, rixísque prope conféctas, précibus, conciónibus, continénti virtútum exémplo ad tranquillitátem redégit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Ludos, chóreas, aliósque tum véteres, tum gliscéntes abúsus ácriter insectabátur. Illud plane admirábile, quod vir Dei neque inédia, neque solis æstu, neque ímbrium vi, neque locórum asperitáte, ægra alióquin et advérsa sæpe valetúdine præpéditus, sex et octo

eádem die conciónes habúerit. Tot inter apostólici múneris labóres cœléstium contemplatióni addíctus crebro in écstasim raptus est, divinóque spíritu afflátus córdium árcana penetráre, et futúra prospícere frequens illi fuit. Grátia étiam miraculórum illústris. Truéntum exténso super aquas pállio cum sócio, et Maróiam flúvium bis sicco vestígio transívit. Prænunciáta, dénique mortis suæ die, Ecclésiæ Sacraméntis reféctus, placidíssime in ósculo Dómini occúbuit. Defúncti corpus præ mácie squálidum miram íllico venustátem índuit. Cor ejus usque in præsens molle, suavémque spirans odórem summa ómnium admiratióne adversátur. Illum miráculis clarum Clemens décimus secúndus Beátum appellávit, ac Benedíctus décimus quartus solémni pompa Sanctórum fastis ascrípsit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus et Salvátor noster. *de Comm. Evangelist. cum* ℟℟. *de Communi Conf. non Pont.*

In Quadrag. Lect. ix. Homil. et Comm. Feriæ.

DIE XXV. VEL XXVI. FEBRUARII.

S. Felicis III.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct. Lectiones. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Felix tértius, pátria Románus, natus ex nobilíssima domo Anícia, et divi Gregórii Magni átavus, post Simplícium Papam ad summi pontificátus ápicem est evéctus. Hic mira ánimi constántia, tamétsi Roma sub Hérulis Ariánis propémodum captíva viderétur, aliíque Patriárchæ conciliatiónem Zenónis imperatóris approbássent, solus illi non communicávit. Ejúsdem de fide edíctum promulgántis, audáciam fórtiter represśsit, Petrum Fullónem patriarchátu Antiochéno dejécit. Acácium Constantinopolitánum Epíscopum Romam veníre coégit, ut contra eum objéctis, in apostólicæ sedis judício respon-

déret, ac in eúmdem senténtia excommunicatiónis animadvértit.

℟. Invéni.

Lectio v.

Constítuit, ut Ecclésiæ nonnísi ab Epíscopis consecraréntur : semel baptizátos íterum rebaptizári sub grávibus pœnis prohíbuit. Basílicam sancti Agapíti constrúxit. Anno ejus pontificátus tértio, sanctus Bárnabas Apóstolus, cum sancti Matthæi Evangélio, in Cypro Anthémio Epíscopo Salamínæ appáruit; sicque prævia trina revelatióne, corpus sancti Bárnabæ cum Evangélio supradícto est invéntum. Duas fecit ordinatiónes mense Decémbri, quibus creávit Romæ Presbyteros vigínti novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca trigínta. Quinto Kaléndas Mártii e terris excédens ad Súperos evolávit. ℟. Pósui.

Sermo sancti Gregórii Papæ. *Ex Homilia xxxviij. in Evang.*

Lectio vj.

Uia nonnúnquam mentes audiéntium plus exémpla fidélium, quam docéntium verba convértunt, volo vobis áliquid de próximo dícere, quod corda vestra tanto formidolósius áudiant, quanto eis hoc de propínquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dícimus, sed eas, de quibus testes exsístunt, eísque interfuísse se réferunt, memorámus. Tres pater meus sorores hábuit, quæ cunctæ tres sacræ vírgines fuérunt; quarum una Tarsílla, ália Gordiána, ália Æmiliána dicebátur. Quadam vero nocte huic Tarsíllæ (quæ inter sorores suas virtúte contínuæ oratiónis, afflictiónis stúdio, abstinéntiæ singuláris, gravitáte vitæ venerábilis, in honóre, et cúlmine sanctitátis excréverat) sicut ipsa narrávit, per visiónem átavus meus Felix hujus Románæ Ecclésiæ Antístes appáruit, eíque mansiónem perpétuæ claritátis osténdit, dicens : Veni, quia in hac te lucis mansióne suscípio. Quæ subsequénti mox febre corrépta ad diem pervénit extrémum, et sicut nobílibus féminis, virísque moriéntibus multi convéniunt, qui eórum próximos consoléntur,

eádem hora ejus éxitus multi viri, ac féminæ ejus léctulum circumstetérunt, inter quas mater mea quoque ádfuit; cum sursum illa respíciens Jesum veniéntem vidit, et cum magna animadversióne cœpit circumstántibus clamáre, dicens: Recédite, recédite, Jesus venit. Cumque in eum inténderet, quem vidébat, sancta illa ánima a carne solúta est, tantáque súbito fragántia miri odóris aspérsa est, ut ipsa quoque suávitas cunctis osténderet, illuc auctórem suavitátis venísse.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homil. de Communi j. loco.

Lectio ix. de Homilia Feriæ.

DIE XXVI. VEL XXVII. FEBRUARII.

B. Antonii de Amand.

Conf. Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DA, quæsumus, miséricors Deus, ut intercedénte beáto António Confessóre tuo crucis mortificatiónem júgiter in córpore nostro ferámus, ac hóstili nullátenus incursióne turbémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANtónius prope Amándulam in Picéno sæculo decimoquárto piis honestísque paréntibus natus est. Adoléscens in monastério sancti Anastásii, cujus templum non longe díssitum frequentáre, et sacris mystériis pie sanctéque interésse consuéverat, a quodam loci illíus cœnobíta, qui singulárem ejus índolem ac pietátem suspéxerat, bonis ártibus et christiánis virtútibus erudítus, eo magístro ac duce tantum profécit, ut mundum relínqueret, atque eremitárum sancti Augustíni institútum amplecterétur, ad id máxime hortánte fama, quæ eo témpore de sancti Nicolái Tolentinátis insígni virtúte ac miráculis percrebúerat. Atque hunc ille sibi præcípuo quodam obséquio coléndum ac venerándum propósuit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

CUM autem probe intellígeret, religiosíssimum cultum esse imitári quem cólimus, id ipsum ille omni stúdio fácere instítuit. Itaque quarta et sexta féria (quod a sancto Nicoláo usurpátum nóverat) sevérum sibi jejúnium indíxit : quod páriter die sábbati omníno servábat. Réliquis vero diébus oléribus ac legumínibus, et módico vino conténtus erat. Somnus ádmodum brevis, córpore supra sarménta, cápite supra lápidem reclináto. Aspérrimo lumbos cilício constríngere, húmeros flagris cruentáre consuévit. Prætérea proximórum salúti alácriter inserviébat, eosdémque vel peccatórum sórdibus inquinátos pœniténtiæ lavácro mundáre, vel afflíctos solári, vel cárcere inclúsos invísere, vel egéntes atque ínopes, imploráta ditiórum ope, subleváre magnópere stúduit. ℟. Amávit.

Lectio vj.

TEtérrimum ab humáni géneris hoste certámen diu multúmque sustínuit. Præter céteras nocéndi artes, quibus ille Antónii mentem atque ánimum infestábat, verbéribus aliquándo in ejus corpus ita sæviébat, ut exánimem humi ac pene mórtuum relínqueret. Hisce tamen conátibus adversárius nihil consequebátur, nisi ut sancti viri constántia ad majórem in dies perfectiónem quibúsdam véluti stímulis excitarétur. Tandem tot victóriis ínclytus ac méritis plenus, quintum supra nonagésimum annum agens, ad promíssam legítime certántibus corónam glóriæ vocátus, ex hac vita migrávit anno salútis millésimo quadringentésimo quinquagésimo. Servi sui sanctitátem Deus miráculis illustrávit, atque his non ita multo post pópuli cultus accéssit : cujus proínde antiquitáte rite probáta, Clemens decimus-tértius, Beatórum número Antónius ut ascriberétur indúlsit. ℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

In Quadrag. Lectio ix. Homiliæ et Comm. Feriæ.

DIE XXVII. VEL XXVIII. FEBR.

(*d. a. ex xxiij. Jan.*)

S. Raymundi de Pennafort

Conf. Semiduplex.

Ut in Breviario die xxiij. Januarii.

DIE XXVIII. VEL XXIX. FEBRUAR.

S. Maronis

Presb. Mart. Duplex.

Oratio.

PRopitiáre, Dómine, pópulo tuo : et quos beáti Marónis Mártyris tui prædicatióne et miráculis christiánæ fídei mystériis imbuísti; semper ejus patrocínio ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Fratres, Debitóres. *de Communi plur. Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAro, Neréus, Achilléus, Eutyches et Victorínus sanctæ Fláviæ Domitíllæ nobilíssimæ vírginis familiáres, cum illam in servándæ virginitátis propósito confirmássent, ab ejus sponso Aureliáno tanquam christiáni accusáti, ob præcláram fídei confessiónem a Domitiáno imperatóre in Póntiam ínsulam deportáti sunt : ubi diútini ærúmnas exsílii invícta patiéntia tolerárunt. At, Domitiáno interfécto, ejúsque actis ob nímiam crudelitátem rescíssis, Nervæ successóris edícto in libertátem sunt restitúti: qua tamen diu pérfrui non potuérunt, cum, recrudescénte sub Trajáno advérsus christiános persecutióne, sínguli novis labóribus ac novo christiánæ fídei certámini fúerint expósiti.

℟. Honéstum.

Lectio v.

AUreliánus, qui ab imperatóre tunc témporis impetráverat, ut fortes Christi athlétas servos redígeret in potestátem suam, Marónem, Eutychètem et Victorínum pollicitatiónibus primo, deínde minis frustra tentávit, ut optátas sibi núptias conciliárent : sed cum voti compos fíeri non posset, síngulos ad sua prædia excolénda procul able-

gávit. Maro lóngius céteris ad centésimum trigésimum ab Urbe lápidem amandátus prope Novánam, nunc Civitátem Novam, terram fodére cogebátur diem totum, nullo ad tolerándam vitam suffécto cibo, præter cántabrum, arctum panem, quo vescebátur ad vésperam. Cum tamen christiánam fidem in pópulo disseminásset, ac Présbyter ordinátus plúrimos in Picéno prædicatióne et miráculis Jesu Christo fílios genuísset, ab Aureliáno ingéntis saxi mole ópprimi jussus est. Sed protegénte Dómino, cum evasísset incólumis, ejus rei spectáculo ac fama commótus provínciæ pópulus in Christum crédidit. Quare ímpius judex Marónem jussit intérfici.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

ILlústri consummáto martyrio, christiánus pópulus, eódem excíso lápide mártyrem inclúsit, et suo sepelívit triúmpho : íbique póstmodum oratórium ad littus maris Adriátici superædificávit quod a Novánæ deínde cívibus, qui sanctum Marónem sibi in Patrónum adscivérunt, amplificátum, perpétua veneratióne ac finitimárum étiam géntium frequéntia cólitur, et miraculórum fama ad hæc usque témpora illustrátur. Quibus commótus Alexánder Bórgia Firmánus Archiepíscopus, sacrum corpus constánti traditióne ac suórum decessórum monuméntis commendátum, novíssime vero refóssum ac rite recógnitum, ibídem honoríﬁce cóndidit die vigésima octáva június anno Christi millésimo septingentésimo quadragésimo primo, sedénte Benedícto decimoquárto Románo Pontífice : qui, ut præclári Mártyris memória celébrius colerétur, próprium ejus Offícium benígne approbávit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem

míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Cap. x.

QUÆ ista divísio est? Inter prima enim legis præcépta accépimus: honóra patrem tuum et matrem tuam : et ipse Dóminus ait : pacem meam do vobis : pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separàtus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas, impietáti præferrétur. Ubíque ódia, ubíque bella : et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desæviens. ℞. Coróna áurea.

Lectio viij.

GLádius, telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis, et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum; et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in prophétis auctóritas est. Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio, qui gládius missus in terram est, idest prædicatiónem ejus hóminum córdibus infúsam, fítque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca; quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior, et extérior, idest et corpus et ánima in spíritus novitáte gaudébit.

℞. Hic est vere martyr.

In Quadrag. Lectio ix. Homil. et Comm. Feriæ.

Lectio ix.

PErgit deínde eódem præceptórum, et intelligéntiæ decúrsu : nam posteáquam reliquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit : qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; quia qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis, et concupiscéntia, et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commóvimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc sacraménto fídei, spíritus novitáte victúrus.

DIE I. MARTII.

(*d. a. ex xxx. Jan.*)

S. Martinæ

Virg. et Mart. Semidupl.

Ut in Breviario die xxx. Januarii.

In Quadrag. Lectiones j. Noct. Confitébor.

Commem. et Lectio ix. de Homilia Feriæ.

DIE II. MARTII.

S. Simplicii

Papæ et Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SImplícius Tiburtínus, patre Castório, próxime post sanctum Hílarum Románæ Ecclésiæ principátum suscépit, ac difficíllimis tempóribus (cum magna ex parte christiáni orbis cathólica fides, ob cunctos fere príncipes hæresi inféctos, nutáret) summa vigilántia gubernávit. Leóni imperatóri peténti, ut rata haberéntur concéssa ab Epíscopis synodi Chalcedonénsis Ecclésiæ Constantinopolitánæ privilégia, veheméntius réstitit, misso étiam eam ob causam Constantinópolim suo legáto. Eádem pastoráli sollicitúdine plúrimum laborávit, ut Timótheus Ælúrus Alexandrínæ Ecclésiæ invásor, qui Constantinópoli líbere degens, annitebátur quam máxime propagáre hæresim, novúmque Zenónis imperatóris ópera cogi concílium, pellerétur in exsílium, sicque integritáti suæ Alexandrína redderétur Ecclésia. Reliquórum item perduéllium pro nova synodo indicénda conátibus fórtiter óbstitit, ásserens, nova concília non fácile convocánda, nisi cum áliquid in pravis sénsibus novum, aut in assertióne dógmatum emersísset ambíguum.

℟. Invéni.

Lectio v.

DAmnávit íterum Petrum Moggum, álterum Alexandrínæ sedis invasórem, curavítque, ut ex urbe pellerétur, ne áliquos módicæ fíeri infíceret, et ad perversitátis suæ factiónem pertráheret. Timótheo Solofacíolo, legítimo ejúsdem Ecclésiæ Antí-

stiti, juxta prístinum institútum, per suos legátos errόris suis condonatiónem expeténti, idcírco quod timóre pertérritus Dióscorum ad altáre nominásset, véniam impértiit. Antiochéni Epíscopi electiónem ad seditiónes vitándas Constantinópoli in concílii Nicæni præjudícium peráctam, ea lege ratam hábuit, ut deínceps, secúndum Patrum definitiónes, Orientáli comprovinciálium Episcopórum synodo, creátio Antiochéni Pontíficis reservarétur. Oblatiónes Ecclésiæ ita partiéndas esse præcépit, ut una dumtáxat pórtio Epíscopo, una ítidem clero, duæ vero in Ecclésiæ fábricam, et peregrínos, ac páuperes erogaréntur. Zenónem Epíscopum Hispalénsem vicária sedis apostólicæ auctoritáte fulcívit, ne apostólicæ institutiónis decréta, et sanctórum términos Patrum in Hispániis transcéndi permítteret.

℟. Pósui.

Lectio vj.

STátuit in Urbe hebdomádas, ut propter baptísmum, et pœniténtiam peténtes, Presbyteri quidem de regióne prima apud sanctum Paulum, de tértia apud sanctum Lauréntium et de séptima apud sanctum Petrum manérent. Dedicávit basílicas sancti Stéphani in Cœlio Monte, sancti Andréæ Apóstoli juxta sanctam Maríam, item áliam sancti Stéphani juxta sanctum Lauréntium, ac postrémo sanctæ Bibiánæ Mártyris áliam intra Urbem juxta palátium Liciniánum; itémque vasa complúra tum argéntea, tum áurea Románæ cóntulit Ecclésiæ. Demum Zenóne imperatóre, et Odoácre Itáliæ rege, migrávit ad Dóminum. Hábuit ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros quinquagínta octo, Diáconos úndecim, Epíscopos per divérsa loca trigínta sex. Sacerdótium administrávit annos quíndecim, menses quinque, et dies decem.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE III. MARTII.
S. Hyacinthæ de Mariscottis
Virg. Duplex.

Ut in fine Breviarii die vj. Februarii.

DIE IV. MARTII.
S. Lucii I.
Papæ et Mart. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LUcius Románus patre Porphyrio, post sancti Cornélii consummatiónem, Románæ Ecclésiæ episcopátum ténuit. Sanxit, ut duo Presbyteri, ac tres Diáconi, ecclesiástici causa testimónii, quovis loco Epíscopum non desérerent. Pacem lapsis dandam, et pœniténtia acta, communicatiónis fructum negándum non esse. Spíritu Dei plenus (ut sanctus Cypriánus scripsit) lítteris suis significávit. Ob Christi fidem exsílio relegátus, et póstmodum ad Ecclésiam suam incólumis redíre permíssus, tandem omni Ecclésiæ facultáte Archidiácono suo Stéphano prius trádita, cápite truncátus est quarto Nonas Mártii, Gallo et Volusiáno princípibus. Duas hábuit ordinatiónes mense Decémbri, quibus Presbyteros quátuor, Epíscopos per divérsa loca septem creávit. Ejus corpus primo via Appia ad sanctum Xystum, in cœmetério Callísti sepúltum, inde a Pascháli Papa in sanctæ Cæcíliæ títulum, una cum ejúsdem Vírginis, et sociórum corpóribus translátum, ibi sub sancto altári collocátum fuit.

℟. Honéstum.

De Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, et collegárum ejus ad sanctum Lúcium Papam et Mártyrem.

Lectio v.

SUper quidem tibi, frater caríssime, gratuláti sumus, cum te honóre gemináto in Ecclésiæ suæ administratióne Confessórem páriter, et Sacerdótem constítuit divína dignátio. Sed et nunc non minus tibi, et comítibus

tuis, atque univérsæ fraternitáti gratulámur, quod cum eádem glória, et láudibus vestris, réduces vos dénuo ad suos fécerit benígna Dómini, et larga protéctio; ut pascéndo gregi pastor, et gubernándæ navi gubernátor, et plebi regéndæ rector redderétur : et appaméret relegatiónem vestram sic divínitus esse dispósitam, non ut Epíscopus relegátus, et pulsus Ecclésiæ deésset, sed ut ad Ecclésiam major redíret. Neque enim in tribus púeris minor fuit martyrii dígnitas, quia, morte frustráta; de camíno ignis incólumes exiérunt; aut non consummátus Dániel éxstitit in suis láudibus, quia, qui leónibus missus fúerat ad prædam, protéctus a Dómino vixit ad glóriam. In Confessóribus Christi diláta martyria non mérita confessiónis mínuunt, sed magnália divínæ protectiónis osténdunt.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

REpræsentátum vidémus in vobis, quod apud regem fortes atque illústres púeri prædicavérunt, ipsos quidem parátos esse ardére flammis, ne diis ejus servírent, aut imáginem, quam fécerat, adorárent: Deum tamen, quem colébant, quemque et nos cólimus, poténtem esse, ut eos de camíno ignis exímeret, et de regis mánibus, ac de pœnis præséntibus liberáret; quod invenímus in confessiónis vestræ fide, et in Dómini circa vos protectióne nunc gestum : ut cum vos paráti fuéritis, et prompti omne subíre supplícium, Dóminus tamen vos pœnæ subtráheret et Ecclésiæ reserváret. Regrediéntibus vobis, breviáta non est in Epíscopo confessiónis suæ dígnitas, sed magis crevit sacerdótalis auctóritas, ut altári Dei assístat Antístes, qui ad confessiónis arma suménda, et faciénda martyria, non verbis plebem, sed factis cohortétur, et imminénte antichrísto, paret ad prœlium mílites, non solum sermónis et vocis incitaménto, sed fídei et virtútis exémplo.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Quia Dóminus. *de Communi ij. loco.*

DIE V. MARTII.
B. Hieronymi Ghirardutii
Conf. Duplex.

Oratio.

DEus auctor pacis, caritatísque amátor et custos, méritis et intercessióne beáti Hierónymi Confessóris tui cunctórum remissiónem nobis tríbue peccatórum; ut in pace et caritáte firmáti déxtera protectiónis tuæ ab ómnibus tueámur advérsis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr. In Quadr. Justus. *de Comm. j. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HIerónymus Ordinis Eremitárum sancti Augustíni adjéctus, inter sanctióres ejúsdem alúmnos, flóruit. Natus est Recinéti ex illústri família Ghirardutiórum juxta opiniónem a majóribus accéptam, cui supra hóminum memóriam Recineténses hæsérunt. Adolescéntiam, ut persuásum est univérsis, virtútum ómnium exercitatióne ornátam tradúxit, et præ se spécimen tulit futúræ sanctitátis. Hæc emícuit splendídius, postquam Ordini Eremitárum sancti Augustíni nomen dedit. Austerióris observántiæ fuísse tenacíssimum, sanctimónia declarávit, qua prǽditus pópulo prælucébat. Difficillímis enim illis tempóribus æstimatiónem ómnium comparáverat sibi; ítaque devínxerat ánimos, ut dissidéntes conciliáre, atque intestínas simultátes compónere potúerit.
℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

PAcis conciliatórem fuísse non solum Recinéti, sed álibi étiam tráditum est. Firmános enim inter atque Asculános cruénta dissídia Hierónymus extinxísse fertur. Qua de causa fama inter véteres increbúerat, ipsum Firmum versus proficiscéntem, siccis pédibus tranásse flumen Cluéntum, instráto pállio super aquas exundántes. Obiit Recinéti in cœnóbio fratrum suórum, ubi méritis onústus pretiósam mortem oppétiit, cívibus desidérium sui relínquens, atque memóriam perén-

nem pacis mútuæ concordiæque, quarum diébus vitæ suæ auctor esse non désiit. Demórtui corpus in féretro decúmbens pópuli concúrsu circúmdatum insígni miráculo claruísse, assérunt scriptóres, qui de rebus ejus gestis locúti sunt. Honorífice cónditum fuit subínde sub altáre : supra quod exstrúctum deínde est élegans sacéllum, quod vísitur etiámnum, supplicúmque frequéntia celebrátur.

℟. Amávit.

Lectio vj.

EXciti cives memória pacis, quam Hierónymus vivens totis víribus promovébat, inflammátos sensérunt sese ad cavéndum sibi magis a simultátibus novis et a factiónibus quas témporum vices excitáre solébant. Quare die festo ejúsdem, qui solémni pompa ab antíquis usque tempóribus agi solet in domínica secúnda quadragésimæ, selécti viri, selectæque féminæ ex primóribus jussu civitátis designántur, ut dissídia compónant toto anni currículo. In festo eódem memória Hierónymi honorátur concióne pública in ecclésia sancti Augustíni, oblatiónibus præbéri cœptis nómine Communitátis magnáque Recineténsium celebritáte, qui júgiter ad beáti viri túmulum cónfluunt venerabúndi. Quibus rite perpénsis, ad augéndum cultum erga beátum Hierónymum, qui ab óbitu ejus exórtus crevit in dies, et hucúsque prodúctus persévérat, Pius Séptimus Póntifex máximus Missam cum Offício próprio ab utróque clero Recineténsi recitári posse permísit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos. Et réliqua.

Homilía sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. in Fer. vj. post Cíneres.

QUid fratrem et próximum tuum odis et persé-queris? o stulte! Non est ille inimícus, sed

próximus : non te perséquitur homo, quem fecit Deus; sed malítia, quam fecit homo; illa est inimícus tuus, illam óderis, illam perséqueris, illam destrúxeris. Tolle malítiam a fratre; non te persequétur, non tibi malefáciet. Fac ergo, ut déstruas illam : sed quómodo? Si esuríerit, inquit Apóstolus, inimícus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim agens, carbónes ignis cóngeres super caput ejus, et accendétur cáritas, et destruétur malítia, et cessábit inimicítia, et erit frater, quem inimícum putábas. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, ut ait Apóstolus; certámen enim magnum est inter fratris malítiam et tuam bonitátem : certa viríliter, ut benefíciis vincas illum, qui te aggréditur incómmodis : grandis enim tibi glória est, si in hoc certámine victor eváseris; et grandis est confúsio, si superátus fúeris. Non cedat bónitas tua malítiæ fratris tui, non victa succúmbat; sed super eum triúmpha.

℟. Iste est.

Lectio viij.

SUffícere debúerat ad dilectiónem inimicórum hæc tam spléndida et gloriósa victória : suffícere et cómmodum grande, quod ex persecutióne cápimus. Sed adhuc álias habémus ratiónes et consideratiónes, quibus ad hoc ánimum inclinémus. Prima considerátio est, quod Deus ita vult et præcipit, et hoc gratum est illi. Quanta quotídie fácimus pro amícis? Quot alienátos et invítos orántibus amícis, in nostram grátiam recípimus, ut illis placeámus? O Christiáne, facis hoc pro amícis, et non facis pro Deo! máxime cum hoc non solum cónsulat, sed et præcípiat; ut si non velis reconciliári inimíco, propter hoc grátiam et amicítiam illíus perdas : et si nolis inimíco fíeri amícus, Dei inimícus efficiáris? O Dómine, vere ne tuam amicítiam perdam? Omnes fúrias, immo et ipsos dæmones, si præcíperes dilígere, pro amícis habérem. Quantæ ergo malítiæ est nolle flecti, nolle obtemperáre? Quid tantum pótuit tibi

próximus nocére, ut non magis Dei amor et benefícia pónderent et váleant apud te? Vides, quia non est fragílitas, sed pervérsitas, nolle hoc implére.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

SEcúnda est considerátio tui status et professiónis. Nonne Christiánus es? nonne hanc scholam séqueris? Réspice magístrum tuum, ducem tuum; et vide quanta bona fecit inimícis tuis : quómodo curábat ægrótos eórum, quómodo docébat, quómodo diligébat, quómodo sitiébat salútem eórum, quómodo pro crucifigéntibus orábat, Pendébat in cruce cruéntus, plagátus et lacerátus ab iis, quibus tanta benefícia præstíterat : neque conténti torméntis, insultábant ludíbriis, deridéntes et subsannántes, movéntes cápita sua, dicébant : Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere. Audit patiénter insultatóres suos, et Patrem orat : Dimítte : et tu coram eo petis vindíctam? qua fronte? quo vultu? et quid, óbsecro, símile tu passus es ab inimícis tuis? Christiáne, réspice in fáciem Christi tui, réspice et ejúsdem scholæ discípulos, Apóstolos et Mártyres, quantum laboravérunt, quómodo sudavérunt, ut profícerent in illis a quibus affligebántur, et quómodo docébant et illumináre cupiébant persecutóres suos. Si ergo de schola Christi es, cur non séqueris professiónem? cur eum discípulus non imitáris? Non legis, quia omnes, qui pie volunt vívere in Christo, persecutiónem patiúntur?

In Quadrag. Lect. ix. Homiliæ et Commem. Feriæ.

DIE VI. MARTII.

(*D. a. ex vj. hujus.*)

S. Casimiri

Regis Conf. Semid.

Ut in Breviario die iv. hujus.

DIE XI. MARTII.

S. Margaritæ Cortonensis

Pœnitentis. Semiduplex.

Ut in fine Breviarii die xxvj. Febr.

COMMEMORATIO S. TERENTII MART.

IN SUFFRAGIIS FACIENDA.

AD VESPERAS.

Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : Ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

AD LAUDES.

Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum Sanctis in cœlo triúmphas, súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Tam ad Vesp. quam ad Laud. ab Oct. Epiph. usque ad Purif. dicitur sequens.

℣. Ora pro nobis, beáte Terénti.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

A Purif. usque ad Adventum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

PRO CANONICIS CATHEDRALIS.

COMMEM. S. THOMÆ APOSTOLI.

AD VESP. ET AD LAUD.

Aña. Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt (Allelúia.)

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ commemoratióne gloriári; ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

Kalendarium perpetuum

pro Clero Civit. et Diœc. Pisaurensis

NOVEMBER.

27* S. Nicolai I. Pap. Conf., *dupl.*
28* S. Gregorii III. Pap. Conf., *dupl.*
29* *Vigilia.* S. Gelasii I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Vig. et S. Saturnini Mart.
30 S. Andreæ Ap., *dupl. ij. class.*

DECEMBER.

1* S. Elisabeth Hungariæ Regin. Vid. *dupl.* (*ex 19 Nov.*)
2 S. Bibianæ Virg. et Mart. *semidupl.*
3 S. Francisci Xaverii Conf., *dupl.*
4* S. Barbaræ Virg. et Mart , *dupl.*
5* S. Heracliani Ep. Pisauren. Conf., *dupl. Commem.* S. Sabbæ Abb.
6 S. Nicolai Ep. Conf., *dupl.*
7 S. Ambrosii Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
8 Immaculata Conceptio B. Mariæ Virg., *dupl. j. class.* cum Oct.
9* S. Eutichiani Pap. Mart., *dupl. Comm.* Oct.
10* Translat. Almæ Domus Lauretanæ, *dupl. j. class.* cum Oct.
11* S. Damasi I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Oct.
12* S. Melchiadis I. Pap. Mart. *dupl. Comm.* Oct.
13 S. Luciæ Virg. et Mart., *dupl. Comm.* Oct.
14* S. Petri Chrysologi Ep. Conf. et Doct., *dupl.* (*ex 4 huj.*) *Comm.* Oct.
15 Octava Immac. Concept. Deiparæ, *dupl.*
16 S. Eusebii Ep. Mart., *semidupl. Comm.* Oct. Alm. Domus Lauret.
17* S. Didaci Conf., *semidupl.* (*ex 13 Novemb.*)
18* Expectatio Partus B. Mariæ Virginis, *dupl. maj.*
19* B. Urbani V. Papæ Conf., *dupl.*
20* *Vigilia.* S. Josaphat Episc. Mart., *dupl.* (*ex 14 Nov.*)
21 S. Thomæ Ap., *dupl. ij. class.*
22* B. Victoris III. Papæ Conf., *dupl.* (*ex 16 Oct*).
23* B. Urbani II. Papæ Conf., *dupl.* (*ex 19 Aug.*)
24 *Vigilia* Nativitatis Domini.
25 Nativitas Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. j. classis* cum Octava.
26 S. Stephani Protomart., *dupl. ij. class.* cum Oct. *Comm.* Octavæ.

27 S. Joannis Ap. et Ev., *dupl. ij. class.* cum Oct. *Comm.* Octavar.
28 SS. Innocentium Mart., *dupl. ij. class.* cum Oct. *Comm.* Octavar.
29 S. Thomæ Cantuarien Ep. Mart., *dupl. Comm.* Octavar.
30 De Dom. infra Octavam, *semidupl. Comm.* Octavar.
31 S. Silvestri I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Octavar.

JANUARIUS.

1 Circumcisio D. N. J. C., *dupl. ij class.*
2 Octava S. Stephani Protom., *dupl. Comm. Octavarum.*
3 Octava S. Joannis Ap. et Ev., *dupl. Comm. Octavæ.*
4 Octava SS. Innocentium Martyrum, *dupl.*
5 Vigilia Epiphaniæ, *semidupl.* (Nihil de S. Telesphoro.)
6 Epiphania D. N. J. Christi, *dupl. j. class.* cum Octava.
7 De Octava, *semidupl.*
8 De Octava, *semidupl.*
9 De Octava, *semidupl.*
10 De Octava, *semidupl.*
11 De Octava, *semidupl.*
12 De Octava, seu de Dom. infra Oct., *semidupl.*
13 Octava Epiph. D. N. J. Christi, *dupl.*
14 S. Hilarii Ep. Conf. et Doct. *dupl. Comm.* S. Felicis M.
15 S. Pauli primi Erem. *dupl. Comm.* S. Mauri Abb.
16* S. Marcelli Pap. Mart., *dupl.*
17 S. Antonii Abb., *dupl.*
18 Cathedra S. Petri Ap. Romæ, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. et Mart.
19 S. Canuti Mart., *semid. ad libit. Comm.* SS. Marii et Soc. Mart.
20 SS. Fabiani I. Pap. et Sebastiani Mart., *dvpl.*
21 S. Agnetis Virg. et Mart., *dupl.*
22 SS. Vincentii et Anastasii Mart., *semidupl.*
23* Desponsatio B. Mariæ Viag., *dupl. maj. Comm.* S. Joseph, et S. Emerentianæ Virg. et Mart.
24 S. Timothei Ep. Mart. *dupl.*
25 Conversio S. Pauli Ap., *dupl. maj., Comm.* S. Petri Ap.
26 S. Polycarpi Ep. et Mart., *dupl.*
27* S. Vitaliani I. Pap. Conf., *dupl.*
28* S. Joannis Chrysostomi Ep. Conf. et Doct., *dupl.* (*assign. ex heri*) *Comm.* S. Agnetis. *secundo.*
29 S. Francisci Salesii Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
30* S. Felicis IV. Pap. Conf., *dupl.*
31 S. Petri Nolasco Conf., *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. II. post Epiph. SS. Nominis Jesu, *dupl. ij. class. Comm.* Domin.

* Dom. III. post Epiph. S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, *dupl. maj. Comm.* Domin.

* Feria III. post Domin. Septuagesimæ. Orationis D. N. Jesu Christi in Monte Oliveti, *dupl. maj.*

* Feria III. post Domin. Sexag. Comm. Passionis D. N. Jesu Chrisii, *dupl. maj.*

FEBRUARIUS.

1 S. Ignatii Ep. et Mart., *dupl.*
2 Purificatio B. Mariæ Virg., *dupl. ij. classis.*
3* S. Blasii Ep. et Mart., *dupl.*
4 S. Andreæ Corsini Ep. et Conf., *dupl.*
5 S. Agathæ Virg. et Mart., *dupl.*
6* SS. XXVI. Martyrum Japonensium, *dupl. Comm.* S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 S. Romualdi Abb., *dupl.*
8 S. Joannis de Matha Conf., *dupl.*
9* S. Apolloniæ Virg. et Mart., *dupl.*
10 S. Scholasticæ Virg., *dupl.*
11 SS. Septem Fnndator. Ord. Servor. B. M. V., *dupl.*
12* S. Feliciani Ep. et Mart., *dupl.*
13* S. Gregorii II. Pap. Conf., *dupl.*
14* S. Dionysii I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Valentini M.
15* S. Zosimi I. Pap. et Conf., *dupl. Comm.* SS. Faustini et Soc. Mm.
16* B. Gregorii X. Pap. et Conf., *dupl.*
17* S. Antheri Pap. Mart., *dupl.*
18* S. Telesphori Pap. et Mart., *dupl. Comm.* S. Simeonis Ep. et Mart.
19* S. Agathonis I. Pap. et Conf., *dupl.*
20* S. Hygini I. Pap. et Mart., *dupl.*
21* S. Josephi a Leonissa Conf., *dupl.*
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiæ, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli Ap.
23 *Vigilia.* S. Petri Damiani. Card. Ep. C. et Doct., *dupl. extra Quadr. Comm.* Vig
24 S. Mathiæ Ap., *dupl. ij class.*
25* S. Felicis III. Pap. et Conf., *dupl.*
26* B. Antonii ab Amandula Conf., *dupl.*
27* S. Raymundi de Pennafort Conf., *semidupl.* (*ex 23. Jan.*)
28* S. Maronis Mart., *dupl.*

In anno Bissextili Februar. habet dies 29; ac proinde:
de S Mathia Ap. fit die 25.
de S. Felice III. Pap. et Conf. die 26.
de B. Antonio ab Amandula die 27.
de S. Raymundo de Pennafort Conf. die 28.
de S. Marone Mart. die 29.
vacua remanente die 24 Februarii.

MARTIUS.

1* S. Martinæ Virg. et Mart., *semidupl.* (*ex* 30 *Januar.*)
2* S. Simplicii Pap. et Conf., *dupl.*
3* S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg. *dupl.*
4* S. Lucii I. Pap. et Mart., *dupl.*
5* B. Hieronymi Ghirardutii Conf., *dupl.*
6* S. Casimiri Regis Conf., *semid.* (*ex* 4 *huj.*)
7 S. Thomæ Aquin. Conf. et Doct.. *dupl. Comm.* SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8 S. Joannis de Deo Conf., *dupl.*
9 S. Franciscæ Romanæ Vid., *dupl.*
10 SS. Quadraginta Militum Mart., *semidupl.*
11* S. Margaritæ Corton. Pœnit., *semidupl.* (*ex* 23 *Febr.*)
12 S. Gregorii I. Pap. Conf. et Doct., *dupl.*

Concordat cum originali. — Imprimatur.
Tornaci, die 2 Januarii 1902.
Vict. Durez, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA SANCTORUM
Clero PISAURENSI indulta.

PARS VERNA.

FERIA VI.
POST CINERES.
Sacræ Coronæ D. N. J. C.
Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

FERIA VI.
POST DOM. I. QUADRAG.
SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.
Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

FERIA VI.
POST DOM. II. QUADRAG.
SS. Sindonis D. N. J. C.
Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

FERIA VI.
POST DOM. III. QUADRAG.
Sacrorum Quinque Vulnerum D.N.J.C.
Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

FERIA VI.
POST DOM. IV. QUADRAG.
Pretiosissimi Sanguinis D.N.J.C.
Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

DIE XII. FEBRUARII.
S. Feliciani
Episc. et Mart. Duplex.

In j. Vesp. ad Magnif. *Aña.* Sancte Feliciáne Martyr Dómini pretióse, adésto nostris précibus pius ac propítius.

Oratio.

DEus, qui beáti Feliciáni Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne christiánæ religiónis sémina fecundásti : concéde propítius; nos ejus semper patrocínio muníri, cujus salutári doctrína sumus ad veram pietátem institúti. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FEliciánus Fulgínia in Umbria oriúndus a christiánis et nobílibus paréntibus in timóre Dei diligénter instrúctus, a pueritia singulári virtúte spécimen exhíbuit futúræ sanctitátis. Ingénio potens, et humanióribus lítteris imbútus, Romam amandátus est, altióribus formándus disciplínis. Pietáti tamen magis, quam lítteris addíctus, Ecclésias et loca sacra frequentábat. Eleuthérius Papa, cógnita adolescéntis virtúte, pie cogitávit, eum per ecclesiástica rudiménta ad Sacerdótii promovére dignitátem. Commíssa ítaque ejus cura Victóri Archidiácono, inter Pontifícios educári jussit alúmnos, et veste ornári clericáli. Lítteris demum et pietáte inter sócios præfulgéntem sacerdotáli órdine insignívit, et in pátriam remísit, ut concíves et finítimos pópulos ab erróribus revocáret.

℞. Honéstum fecit.

Lectio v.

INjúnctum sibi munus tanto Feliciánus fídei ardóre exórsus est, ut brevi quamplúrimos ad Christum convérterit, et vitæ sanctimónia ad pietátem excitárit. Decedénte ínterim Epíscopo Fulgináte, fidélium votis et cleri suffrágio succéssor elígitur: diúque relúctans, tandem a Victóre Papa ejus olim nutritóre Romæ consecrátur: magnísque auctus honóribus, et potestáte accépta per finítimas províncias prædicándi, et rem ecclesiásticam rite constituéndi, ad destinátam sibi sedem regréditur. Interámnæ prædicatiónem auspicátus, multos Christo lucrifécit: et Valéntinum Diáconum, insígnem mox Christi

Mártyrem, jubénte Victóre, Epíscopum consecrávit. Spoléti et quacúmque, per Umbriam præsértim et Picénum, iter fáciens, multis magnísque patrátis miráculis, et nonnúllis ecclésiis constrúctis, fidem propagávit. Assísii a Lúcio Flávio præside plúrimis afféctus injúriis et verbéribus, urbe pulsus, discípulos, quos Christo pepérerat, in húmili tugúrio doctrína et cœléstibus prodígiis in fide confirmávit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

FUlgíniæ demum óptimi pastóris partes exércens, dum illuc Décius imperátor, Persis Medísque debellátis, pertránsiit, apud eum, accusátur, quod christiános génere illústres, inter quos erant Abdon et Sennen Persárum réguli, quos captívos ante rhedam ducébat, in cárcere sæpe visitárit, et christianórum relígio per eum magna percepísset increménta. Comprehénsus ítaque, magnísque largitiónibus et promíssis frustra tentátus, tandem equúleo suspénsus, virgis férreis percússus, iísque ignítis adústus; tum nováculis, úngulis férreis, aliísque instruméntis excarnificátus, detrúditur in cárcerem cum prædíctis christiánis Romam in vínculis pertrahéndus. Sed gravi senectúte pressus, atrocibúsque confráctus torméntis, dum ante rhedam abdúcitur, haud procul a Fulgínia, génibus flexis, oculísque in cœlum eréctis, ætátis anno nonagesimoquárto, in cœlum migrávit. Sacrum ejus corpus Fulginátes honorífice cónditum, tamquam suæ urbis Patróni, summa prosequúntur veneratióne.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus diem judícii. *de Comm. iij. loco.*

In Quadrag. Lect. ix. Homil. et Comm. Feriæ.

Ad Benedictus, Aña. O gemma clara Mártyrum, qui sidus cœli factus es, Feliciáne, quæsumus, sis memor tui mémorum.

DIE XIII. FEBRUAR.

S. Gregorii II.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Gregórius hujus nóminis secúndus, natióne Románus, patre Marcéllo, anno Christi septingentésimo décimo quarto, mirábili totíus cleri et pópuli concórdia ad suprémum Ecclésiæ cathólicæ pontificátum evéctus est. Hic a pueritia divíno cúltui addíctus in Lateranénsi patriarchío sub beáti Sérgii óculis, et disciplína víxerat, Subdiáconi primum, tum Sacellárii múnere functus. Mox bibliothécæ cura illi crédita, ad diaconátus tandem órdinem promótus, in régiam urbem, una cum sanctíssimo Papa Constantíno proféctus est. Ibi ab imperatóre de nonnúllis capítibus interrogátus, cum sacrárum litterárum peritíssimus esset, et constantíssimus rerum ecclesiasticárum defénsor, óptima, et cathólica responsióne príncipi satisfécit.

℟. Invéni.

Lectio v.

Urbis mœnia contra Longobardórum excursiónes, áliqua ex parte reparávit. Aliquot basílicas témporum injúria collápsas restítuit. Urbána monastéria fere desérta, et monáchos in prístinam formam et disciplínam redégit. Imo post mortem Honéstæ matris, patérnam domum in ecclésiam, et monastérium commutávit, quod multis prædiis instrúctum relíquit. Corbiniánum et Bonifátium viros apostólico spíritu plenos, in Germániam misit, ad prædicándum Gentílibus Christi Evangélium, eósque sacris episcopátus ínfulis decorávit, postquam innúmeram paganórum multitúdinem ab iis ad Christi fidem convérsam fuísse accepísset. Ut omnes óptimi pastóris partes impléret, óptimis légibus ecclesiásticam disciplínam, et Christianórum mores instrúxit. Géminam synodum Romæ hábuit, álteram advérsus illícita conjúgia, álteram advérsus Iconoclástas.

℟. Pósui.

Lectio vj.

LEónem Isáurum sacrárum imáginum destructórem váriis epístolis ab illa hæresi removére, omníque illum officiórum génere sibi demeréri stúduit; cum tamen hic ad scéleris cúmulum, óptimum Pontíficem neci trádere ferro séxies, semel auro, et munéribus corrúmpere, quamvis frustra, tentásset. Luitprándo, cum Exárcho ad excídium Urbis properánti, sanctíssimus Póntifex, Dei fretus præsídio, ad prata Nerónis occúrrit, et piis mónitis regis ánimum ita mollívit, ut non jam hostis, sed pius adorátor ensem, et corónam príncipi Apostolórum obtúlerit. Cum autem imperátor destructiónem machinarétur, eúmdem diro anathémate pérculit, et ínito cum Francis fœdere ab ímpio molímine detérruit. Rebus demum præcláre gestis, quibus máximis quibúsque prædecessórum suórum æquiparátur, pie óbiit in Dómino, sexto pontificátus anno, et in basílica Vaticána cónditus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

In ij. Vesperis, Oratio. Exáudi.

DIE XIV. FEBRUAR.

S. Dionysii

Papæ Conf. Duplex.

(m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct. In Quadrag. Lect. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DIonysius ex mónacho, post beátum Xystum secúndum, Románæ Ecclésiæ Epíscopus est constitútus. Is contra Sabelliános scripsit, et advérsus eos, qui Fílium Dei opus aut creatúram asseverábant, plura volúmina édidit. Dionysii Alexandríni Epíscopi apud se accusáti, quasi qui Fílium Dei factum, et non substantiálem Patri díceret, in Romána synodo causam discússit, ad quem ejúsdem synodi, id indígne feréntis senténtiam prescrípsit. Sed cum Alexandrínus Antístes íterum atque íterum, missis Romam suis scriptis, se purgásset, atque defendísset, matúro de-

mum consílio est absolútus. Presbyteris Ecclésias in Urbe Dionysius distríbuit, et cœmetéria, paróchias, atque diœcéses divísit. Dénique multis pro Ecclésia perfúnctus labóribus, ac fídei documéntis clarus, Aureliáno imperatóre, migrávit ad Dóminum, sepultúsque est in cœmetério Callísti via Appia, sexto Kaléndas Januárii. Hábuit mense Decémbri ordinatiónes duas, quibus creávit Presbyteros duódecim, Diáconos sex, Epíscopos per divérsa loca septem. Sedit annos úndecim, menses tres, dies quatuórdecim.

℟. Invéni.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Epist. ad Rom. cap. xj. Serm. xxix. circa finem.

Lectio v.

CHristum díligens, et gregem illíus útique díligit : et Móysen tum primum super pópulum Judæórum pósuit, quando, qua esset in illum benevoléntia, re ipsa jam declaráverat. David quoque símili modo regno inaugurátus est, posteáquam apparúerat, quam amíco esset in pópulum afféctu: ita quippe júvenis adhuc pópuli causa dóluit, ac zelávit, ut et ánimam suam expóneret, cum vidélicet bárbarum illum e médio tollébat. Quod vero dicébat: Quid dábitur ei, qui alienígenam hunc interfécerit? non ídeo dicébat, quod mercédem exígeret, sed quo sibi crederétur, et in pugnam cum illo committerétur : nam cum adépta jam victória, ad regem esset ingréssus, nihil de mercéde méminit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

ET Sámuel quoque benígnus erat, et amátor pópuli : unde et dicébat : Absit autem hoc a me peccátum, ut cessem pro vobis oráre Dóminum. Ita et Paulus : imo non ita, sed multo plus ómnibus ardébat erga súbditos. Unde et discípulos ita erga se animávit, ut díceret : si possíbile fuísset, óculos vestros eruissétis, mihíque dedissétis. Et Christus óptimi pastóris régulam próferens, dixit: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Sunt enim Sanctórum ánimæ veheménter mites, et hó-

minum amántes, non solum erga domésticos, sed aliénos, ita ut hanc suam mansuetúdinem étiam ad animántia bruta exténdant. Proptérea et sápiens quíspiam dixit : Justus miserétur animárum jumentórum suórum: si jumentórum, multo magis hóminum.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homil. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

In ij. Vesp. Orat. Exáudi.

DIE XV. FEBRUARII.

S. Zozimi

Papæ et Conf. Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ZOsimus Græcus Abrahámi fílius post sanctum Innocéntium Románæ Ecclésiæ episcopátum suscépit. Is Africanórum conciliórum decrétis advérsus Pelagiánam hæresim senténtiæ suæ robur annéxuit, et ad impiórum excídium gládio Petri déxtera ómnium armávit Antístitum iis namque ab ipso probátis, per totum mundum hæresis Pelagiána damnáta est. Damnávit et Pelágium ipsum una cum Cœléstio, datis hac de re lítteris ad univérsam Ecclésiam.

℟. Invéni.

Lectio v.

ECclesiásticæ disciplínæ tenacíssimus fuit, complúribus ad eam ubíque sive servándam sive restituéndam destinátis grávibus epístolis. Defíniit juxta probátum Ecclésiæ morem, ut si quis ab infántia ecclesiásticis ministériis nomen dedísset, inter Lectóres usque ad vigésimum ætátis annum, continuáta observatióne duráret. Si vero major jam et grandævus post baptísmum, sive inter Lectóres, sive inter Exorcístas, quinquénnio tenerétur, et inde Acólythus, vel Subdiáconus, quátuor annis, et sic ad diaconátum (si mererétur) accéderet, in quo órdine quinque annis hærére debéret, et inde, suffragántibus votis, sacerdótium promeréri posset. ℟. Pósui.

Lectio vi.

SAncívit; ut Diáconi lævas linóstimis pallis tégerent, potestatémque fecit, ut per paróchias Paschális céreus benediceretur. Cavit prætérea, ne clérico póculum propinarétur in público, prætérquam in fidélium cellis, et máxime clericórum. Qui cum sanctíssime rexísset Ecclésiam annum unum, menses quátuor, dies septem, quiévit in pace, sepultúsque est juxta corpus sancti Lauréntii Mártyris, via Tiburtína, séptimo Kaléndas Januárii, Honório et Theodósio junióre imperántibus. Una ordinatióne mense Decémbri, creávit Presbyteros decem, Diáconos tres, Epíscopos per divérsa loca octo. ℟. Iste est qui.

In iij. Noct., Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XVI. FEBRUAR.

B. Gregorii X.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii Confessóris atque Pontíficis religiónis zelo, et apostólicis curis amplificásti : ejus méritis et intercessióne concéde, ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrages. Laudémus viros. *de Comm. j. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius décimus, Theáldus, seu Theobáldus ántea nuncupátus, Placéntiæ ad Æmíliæ fines nóbili Vicecómitum génere natus est. Adoléscens ecclesiásticæ milítiæ ascríptus, singulári nítuit honestáte morum, vitæque mundítia, nulla unquam, ut créditur, críminis contagióne pollúta. In Gálliam cum Jacóbo Cardináli Pecorário Gregórii noni legáto profectus, Archidiáconus Leodiénsis renuntiátus est. Eo in Itáliam redeúnte, theológiæ Parísiis óperam dedit, ac magístri munus adéptus, verbo et exémplo fidéles, ac príncipes ad Terræ sanctæ recuperatiónem veheménter accéndit. In Syriam deínde peregri-

nátus, dum ibi sacram expeditiónem urgéret, a Cardinálibus, Vitérbii Pontíficis electiónem in annum fere tértium protrahéntibus, in Petri sedem evéctus est anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo.

℟. Invéni.

Lectio v.

ACcépto Ptolemáide electiónis decréto, in Itáliam navigávit, ac Vitérbium se cóntulit, deínde Romam, ubi anno insequénte solémniter inaugurátus est. Ab ipso pontificátus exórdio ad generális concílii celebratiónem curas, et cogitatiónes omnes adjécit. Eo Lugdúnum Galliárum indícto, Michaélem Palæólogum Græcórum imperatórem, tum álios christiános príncipes, et Græcæ, Latinæque Ecclésiæ Præsules lítteris amantíssimis invitávit, accersítis étiam exímiis doctrína, et sanctitáte viris, uti sancto Thoma Aquináte in ipso itínere vita functo, sancto Bonaventúra, sancto Philíppo Benítio, beáto Albérto magno, Petro de Tarantásia órdinis Prædicatórum, qui eídem in pontificátu succéssit. Igitur œcuménicam synodum Patrum número ómnium frequentíssimam cui præfuit Póntifex ipse, Græcis, ejuráto schísmate, ad Ecclésiæ unitátem recéptis, decrétis pro sacra expeditióne subsídiis, editísque plúribus sanctíssimis légibus, triméstri spátio felíciter celebrávit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

DE pace in Ecclésia firmánda cum primis sollícitus, Prælatórum dissídia, regum inimicítias, provinciárum ódia, populórum factiónes compósuit, dirémit, exstínxit. Ecclésiæ jura étiam advérsus reges et príncipes sevére ac fórtiter vindicávit, nullam esse prædicans solidiórem regnórum basim, quam tutélam ecclesiásticæ libertátis. Páuperum amantíssimus, primus ómnium in apostólico palátio piárum in illos largitiónum præsidem constítuit, iísque própriis mánibus pedes quotídie abluébat. In Itáliam a concílio redux, dum profectiónem in Palæstínam meditátur, plúraque ália

christiánæ reipúblicæ bono molirétur, Arétii in Etrúria morte intercéptus est quarto ab electióne sua anno, mense quarto, die décima. Fuit vir ánimi plane invícti et apostólici, terrenórum contémptu, cultus divíni stúdio, fídei zelo, disciplínæ, et morum restauratióne, rerum gerendárum prudéntia, fortitúdine, magnanimitáte, aliísque virtútibus prorsus exímius. Miráculis post mortem claruísse Ecclésiæ Aretínæ monuménta testántur.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XVII. FEBRUAR.

(*Fixa ex xj. Februar.*)

S. Antheri

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANthérus, natióne Græcus, patre Rómulo, post sanctum Pontiánum Romæ ordinátus est Epíscopus. Is gesta Mártyrum diligénter a notáriis conquisívit, ac in Ecclésia recóndidit. Propter eam causam a Máximo præfécto martyrio coronátus est tértio Nonas Januárii, sepultúsque in cœmetério Callísti, via Appia, Maximíno príncipe. Unica ordinatióne mense Decémbri ordinávit Epíscopum Fundánæ civitátis in Compánia. Sedit in pontificátu mensem unum, dies duódecim.

℟. Honéstum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De Verbis Domini. 50.

Lectio v.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Anthérus? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum, quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non

enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

JAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátes, et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant: ut hoc pállio dealbáti facíliusfuréntur,quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte : quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed potíus contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam : Jam ipsi sunt : sed vide quid séquitur : caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem:et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia : détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XVIII. FEBR.
S. Telesphori
Papæ et Mart.
Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Lectiones. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

TElésphorus, natióne Græcus, pátria Thuriénsis in magna Græcia, ex Presbytero Románæ Ecclésiæ (cujus dignum minístrum égerat) Póntifex máximus creátus est. Hoc suprémum munus ita óbiit, ut exímius Petri succéssor lectus esse viderétur. In ejus cáthedra sedit sub imperatóreAntonínoPio, fervénte persecutiónis æstu. Qui tamen non óbstitit, ne sédulam óperam regéndæ Christi Ecclésiæ sollícitus navárit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HInc novis decrétis multa illum egrégie sancívisse légimus, quæ ad fidélium

mores, ecclesiasticórum libertátem, et sacros ritus áttinent; scílicet Quadragesimále jejúnium, jam olim ab Apóstolis tráditum, novo edícto restaurásse, ac mandásse, ut in natáli Dómini sanctum Missæ sacrifícium ter celebrarétur, média nocte, illuscescénte auróra, hora demum tértia post solis ortum, et constituísse, ut sacræ Litúrgiæ hymnus angélicus, Glória in excélsis Deo, adderétur. ℟. Desidérium.

Lectio vj.

Dixísse quoque, ne sacerdótes a pópulo argueréntur, ut sublímis órdinis dignitáti consúleret. Ordinatióne quadrúplici, mense Decémbri, creávit Presbyteros duódecim, Diáconos octo, Epíscopos trédecim per divérsa loca. Cum autem in propagánda fide ardentíssimus esset, ac proínde idolórum sacerdótibus invísus, captus tandem cápitis abscissióne martyrium consummávit Nonis Januárii, et ejus corpus in Vaticáno sepúltum est. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Communi ij. loco.*

Lectio ix. S. Simeonis Episc. Mart.

DIE XIX. FEBR.

S. Agathonis

Papæ et Confessoris.

Duplex (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fidélis.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agatho, natióne Sículus, ex doctíssimo ac sanctíssimo mónacho Románus Póntifex creátus est, anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo. Vir summa humanitáte, exímio ánimi candóre, singulári morum suavitáte, et comitáte prædítus, cunctórum amans, cunctis amabilíssimus; ita demum a natúra, et grátia comparátus, ut ad suprémam illam dignitátem geréndam natus, seu factus esse videtur. ℟. Invéni.

Lectio v.

Accéptis a Constantíno Pogonáto litteris ad Donum prædecessórem

scriptis, pro convocándo concílio æcuménico, ad diutúrnum schisma tolléndum, quo laborábat Ecclésia, et definiéndas fídei controvérsias, quæ toto fere Oriénte máximas tempestátes atque ruínas excitárant, provinciáles synodos in Occidénte habéri curávit, in quibus Monothelitárum causa discuterétur, et damnaréntur erróres.

℟. Pósui.

Lectio vj.

HIS præmíssis, legátos suos, et concílii Románi, misit Constantinópolim cum binis lítteris ad imperatórem, in quibus prædícta hæresi docte, fuse, ac sólide refutáta, damnatísque primáriis illíus sectatóribus, Sérgio scílicet, Cyro, Paulo, Pyrrho, Petro, et áliis, antecessóres suos ab omni erróris labe immúnes hucúsque fuísse, expréssis verbis declarávit. Agathónis ígitur auctoritáte, sexta synodus universális congregáta est, in qua iídem erróres, iidémque errántes damnáti fuérunt. Demum cum tres annos, et quinque círciter menses sedísset, pie óbiit in Dómino, et in basílica príncipis Apostolórum sepultúræ mandátus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XX. FEBRUAR.

S. Hygini

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HYgínus Atheniénsis, philósopho patre, cum jam Románæ Ecclésiæ Présbyter esset, cleri suffrágiis, Telésphoro suffféctus est. Sedit in sancta Petri sede imperatóre Antoníno Pio Augústo annos tres, menses úndecim, dies vigínti octo. Ubi primum Póntifex renuntiátus est, clericórum órdines in suos gradus distínxit, ac fecit, ut in iis Ecclésiis quas Títulos vocant, tum primárii minístri, tum álii eísdem subjécti adéssent, qui fidélibus cum res postuláret, sacra ministrárent.

℟. Honéstum.

Lectio v.

INstítuit étiam, ne absque celebratióne Missæ, templa, vel oratória sacro ritu consecraréntur : ne inconsúlto Epíscopo, vel nova construeréntur, vel jam constrúcta destrueréntur, et ne matéries ad sacrum illum usum congésta, et destináta, in profános usus converterétur. Edíxit prætérea, ut patríni baptísmo adéssent, qui de sacro fonte infántes levárent : ne quis Epíscopus reus críminis damnarétur, nisi a comprovinciálibus Epíscopis ejus causa probe discússa fuísset. Cuncta hæc ejus título, ac nómine sancíta exstant. Tres ordinatiónes hábuit mense Decémbri, in quibus creávit Epíscopos sex, Presbyteros quíndecim, Diáconos quinque.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

CUM autem paulo ante Justínus claríssimus philósophus, et Christi Martyr scripsísset apológiam pro religióne christiána ad imperatórem Antonínum Pium Augústum, obtínuit ut persecútio desævíret. Hinc a christianórum cæde, non quidem omníno, plúrimum tamen, público príncipis edícto, temperátum est. Sanctíssimo tamen pastóri, cujus cura Domínico gregi consúltum fúerat, párcitum non fuit; nempe hic glorióso martyrio, ne antecessóribus dissímilis esset, innocentíssimam vitam terminávit, die undécima Januárii, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XXI. FEBRUAR.

S. Josephi a Leonissa *Conf. Dupl.*

Oratio.

DEus, fidélium remunerátor servórum qui beátum Joséphum exímium in evangélica prædicatióne operárium effecísti : ejus, quæsumus, intercessióne concéde, ut a grato tibi servítio numquam cessémus in terris, et plenam a te mercédem recipiámus in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Beátus vir.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOséphus Leonís-sæ in Aprútio piis honestísque paréntibus natus, a pueritia cœpit claré-re virtútibus. Nam et certos sibi indíxit jejúnii dies, et in pietátis opéribus maximópere delectabátur. Factus adolescéntior obláta sibi, óptima conjúgia castimóniæ sédulus cultor strénue recusávit, et consanguineórum blandiméntis, superátis Cappucinórum institúto nomen dedit. In religióne austeríssimum vitæ genus sectátus est. Aliquándo enim fabárum corruptárum pugíllo, módico pane, eóque múcido, et cœnósa aqua, étiam dum sacris conciónibus óperam daret, vitam transigébat. Sæpe étiam ad sex, et octo dies, omni prorsus cibo abstínuit; diris, cruentísque verbéribus, aspérrimo cilício, ferreáque caténa corpus domábat. ℟. Honéstum.

Lectio v.

ARdentíssima caritáte, et stúdio dilatándæ chr stianæ religiónis accénsus, Constantinópolim proféctus, Christi fidélibus in captivitáte degéntibus sédulo opitulabátur. Fídei desertóres reducébat : nutántes in religióne confirmábat, verbéribus licet, cárcere et contuméliis vexátus. Quare cum finem verbi Dei disseminándi non fáceret, alta e trabe péndere jussus, manu pedéque déxtero unco férreo perforátis, fumóque, ut suffocarétur, suppósito, in eo cruciátu Christi athléta tríduo permánsit. Indeque ab Angelo mirabíliter ereptus, sanátis vulnéribus, martyrii mérito cumulátus, in Itáliam revérsus est; íbique evangelizándis paupéribus cum ingénti animárum lucro totus incúbuit. Finítimas regiónes, et famílias factiónibus, ódiis, rixísque prope conféctas, précibus, conciónibus, continénti virtútum exémplo ad tranquillitátem redégit. ℟. Amávit.

Lectio vi.

LUdos, chóreas, aliósque tum véteres, cum gliscéntes abúsus ácriter insectabátur. Illud plane admirábile, quod vir Dei

neque inédia, neque solis æstu, neque ímbrium vi, neque locórum asperitáte, ægra alióquin et advérsa sæpe valetúdine præpéditus, sex et octo eádem die conciónes habúerit. Tot inter apostólici múneris labóres cœléstium contemplatióni addíctus crebro in écstasim raptus est, divinóque spíritu afflátus córdium árcana penetráre, et futúra prospícere frequens illi fuit. Grátia étiam miraculórum illústris. Truéntum exténso super aquas pállio cum sócio, et Maróiam flúvium bis sicco vestígio transívit. Prænunciáta dénique mortis suæ die, Ecclésiæ Sacraméntis reféctus, placidíssime in ósculo Dómini occúbuit. Defúncti corpus præ mácie squálidum miram íllico venustátem índuit. Cor ejus usque in præsens molle, suavémque spirans odórem summa ómnium admiratióne adversátur. Illum miráculis clarum Clemens décimus secúndus Beátum appellávit, ac Benedíctus décimus quartus solémni pompa Sanctórum fastis ascrípsit. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus et Salvátor noster. *de Comm. Evangelist. cum* ℟℟. *de Communi Conf. non Pont.*

In Quadrag. Lect. ix. Homiliæ et Commem. Feriæ.

DIE XXV. VEL XXVI. FEBRUARII.

S. Felicis III.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct. Lectiones. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Felix tértius, pátria Románus, natus ex nobilíssima domo Anícia, et divi Gregórii Magni átavus, post Simplícium Papam ad summi pontificátus ápicem est evéctus. Hic mira ánimi constántia, tamétsi Roma sub Hérulis Ariánis propémodum captiva viderétur, aliíque Patriárchæ conciliatiónem Zenónis imperatóris approbássent, solus illi non communicávit. Ejúsdem de fide edíctum promulgántis, audáciam fórtiter représsit, Petrum Ful-

lónem patriarchátu Antiochéno dejécit. Acácium Constantinopolitánum Epíscopum Romam veníre coégit, ut contra eum objéctis, in apostólicæ Sedis judício respondéret, ac in eúmdem senténtia excommunicatiónis animadvértit.

℟. Invéni.

Lectio v.

Constítuit, ut Ecclésiæ nonnísi ab Epíscopis consecraréntur : semel baptizátos íterum rebaptizári sub grávibus pœnis prohíbuit. Basílicam sancti Agapíti constrúxit. Anno ejus pontificátus tértio, sanctus Bárnabas Apóstolus, cum sancti Matthæi Evangélio in Cypro Anthémio Epíscopo Salamínæ appáruit; sicque prævia trina revelatióne, corpus sancti Bárnabæ cum Evangélio supradícto est invéntum. Duas fecit ordinatiónes mense decémbri, quibus creávit Romæ Presbyteros vigínti novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca trigínta. Quinto Kaléndas Mártii e terris excédens ad Súperos evolávit.

℟. Pósui.

Sermo sancti Gregórii Papæ. *Ex Homilia xxxviij. in Evang.*

Lectio vj.

Quia nonnúnquam mentes audiéntium plus exémpla fidélium, quam docéntium verba convértunt, volo vobis áliquid de próximo dícere, quod corda vestra tanto formidolósius áudiant, quanto eis hoc de propínquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dícimus, sed eas, de quibus testes exsístunt,eísque interfuísse se réferunt, memorámus. Tres pater meus soróres hábuit, quæ cunctæ tres sacræ vírgines fuérunt;quarum una Tarsílla, ália Gordiána, ália Æmiliána dicebátur. Quadam vero nocte huic Tarsíllæ (quæ inter soróres suas virtúte contínuæ oratiónis, afflictiónis stúdio, abstinéntiæ singuláris, gravitáte vitæ venerábilis, in honóre, et cúlmine sanctitátis excréverat) sicut ipsa narrávit, per visiónem átavus meus Felix hujus Románæ Ecclésiæ Antístes appáruit, eíque mansiónem perpétuæ claritátis osténdit, dicens : Veni, quia

in hac te lucis mansióne suscípio. Quæ subsequénti mox febre corrépta ad diem, pervénit extrémum, et sicut nobílibus féminis, virísque moriéntibus multi convéniunt, qui eórum próximos consoléntur, eádem hora ejus éxitus multi viri, ac féminæ ejus léctulum circumstetérunt, inter quas mater mea quoque ádfuit; cum sursum illa respíciens Jesum veniéntem vidit, et cum magna animadversióne cœpit circumstántibus clamáre, dicens : Recédite, recédite, Jesus venit. Cumque in eum inténderet, quem vidébat, sancta illa ánima a carne solúta est, tantáque súbito fragántia miri odóris aspérsa est, ut ipsa quoque suávitas cunctis osténderet, illuc auctórem suavitátis venísse.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno: Homil. de Communi j. loco.

In Quadrag. Lect. ix. de Homil. Fer. et Comm. in Laud,

DIE XXVI. VEL XXVII. FEBRUARII.
B. Antonii de Amand.
Conf. Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DA, quæsumus, miséricors Deus, ut intercedénte beáto António Confessóre tuo crucis mortificatiónem júgiter in córpore nostro ferámus, ac hóstili nullátenus incursióne turbémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANtónius prope Amándulam in Picéno sæculo decimoquárto piis honestísque paréntibus natus est. Adoléscens in monastério sancti Anastásii, cujus templum non longe díssitum frequentáre, et sacris mystériis pie sanctéque interésse consuéverat, a quodam loci illíus cœnobíta, qui singulárem ejus índolem ac pietátem suspéxerat, bonis ártibus et christiánis virtútibus erudítus, eo magístro ac duce tantum profécit, ut mundum relínqueret, atque eremitárum sancti Augustíni institútum amplecterétur, ad id máxime hortánte fama, quæ eo témpore de sancti Nicolái Tolen-

tinátis insígni virtúte ac miráculis percrebúerat. Atque hunc ille sibi præcípuo quodam obséquio coléndum ac venerándum propósuit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

CUM autem probe intellígeret, religiosíssimum cultum esse imitári quem cólimus, id ipsum ille omni stúdio fácere instítuit. Itaque quarta et sexta féria (quod a sancto Nicólao usurpátum nóverat) sevérum sibi jejúnium indíxit : quod páriter die sábbati omníno servábat. Réliquis vero diébus oléribus ac legumínibus, et módico vino conténtus erat. Somnus ádmodum brevis, córpore supra sarménta, cápite supra lápidem reclináto. Aspérrimo lumbos cilício constríngere, húmeros flagris cruentáre consuévit. Prætérea proximórum salúti alácriter inserviébat, eosdémque vel peccatórum sórdibus inquinátos pœniténtiæ lavácro mundáre, vel afflíctos solári, vel cárcere inclúsos invísere, vel egéntes atque ínopes, imploráta ditiórum ope, subleváre magnópere stúduit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

TEtérrimum ab humáni géneris hoste certámen diu multúmque sustínuit. Præter céteras nocéndi artes, quibus ille Antónii mentem atque ánimum infestábat, verbéribus aliquándo in ejus corpus ita sæviébat, ut exánimem humi ac pene mórtuum relínqueret. Hisce tamen conátibus adversárius nihil consequebátur, nisi ut sancti viri constántia ad majórem in dies perfectiónem quibúsdam véluti stímulis excitarétur. Tandem tot victóriis ínclytus ac méritis plenus, quintum supra nonagésimum annum agens, ad promíssam legítime certántibus corónam glóriæ vocátus, ex hac vita migrávit anno salútis millésimo quadringentésimo quinquagésimo. Servi sui sanctitátem Deus miráculis illustrávit, atque his non ita multo post pópuli cultus accéssit : cujus proínde antiquitáte rite probáta, Clemens decimustértius, Beatórum núme-

ro Antónius ut ascriberétur indúlsit. ℞. Iste.

In iij. Noct. Hom. Sancti Evangéli, *de Com. j. loco.* *In Quadrag. Lectio ix. Homil. et Comm. Feriæ.*

DIE XXVII VEL XXVIII. FEBR.

(d. a. ex 23. Jan.)

S. Raymundi de Pennafort,

Conf. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde, ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones In Quadrag. Justus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEátus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus eximia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem, et cultum semper pro víribus auxit. ℞. Honéstum.

Lectio v.

ANnum círciter quintum supra quadragésimum agens, in órdine fratrum

Praedicatórum solémni emíssa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo Aragóniæ regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur ordo religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt : cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas : quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem órdinis magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

AB eódem Gregório Romam accersítus, et capelláni, ac pœnitentiárii, et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generále magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Aragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormí-

vit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto. Quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco,*

In Quadrag. Lectio ix. Hom. et Comm. Feriæ.

DIE XXVIII. VEL XXIX. FEBRUAR.

S. Maronis

Presb. Mart. Duplex.

Oratio.

PRopitiáre, Dómine, pópulo tuo : et quos beáti Marónis Mártyris tui prædicatióne et miráculis christiánæ fídei mystériis imbuísti; semper ejus patrocínio ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scrip. occurr.

In Quadrag. Fratres, Debitóres. *de Communi plur. Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAro, Neréus, Achilléus, Eutyches et Victórinus sanctæ Fláviæ Domitíllæ nobilíssimæ vírginis familiáres, cum illam in servándæ virginitátis propósito confirmássent, ab ejus sponso Aureliáno tanquam christiáni accusáti, ob præcláram fídei confessiónem a Domitiáno imperatóre in Póntiam ínsulam deportáti sunt : ubi diútini ærúmnas exílii invícta patiéntia tolerárunt. At, Domitiáno interfécto, ejúsque actis ob nímiam crudelitátem rescíssis, Nervæ successóris edícto in libertátem sunt restitúti : qua tamen diu pérfrui non potúerunt, cum, recrudescénte sub Trajáno advérsus christiános persecutióne, sínguli novis labóribus ac novo christiánæ fídei certámini fúerint expósiti.

℟. Honéstum.

Lectio v.

AUreliánus, qui ab imperatóre tunc témporis impetráverat, ut fortes Christi athlétas servos redígeret in potestátem suam, Marónem, Eutychetem et Victorínum pollicitatiónibus primo, deínde minis frustra tentávit, ut optátas sibi núptias conciliárent : sed cum voti compos fíeri non posset,

síngulos ad sua prædia excoléndą procul ablegávit. Maro lóngius céteris ad centésimum trigésimum ab Urbe lápidem amandátus prope Novánam, nunc Civitátem Novam, terram fodére cogebátur diem totum, nullo ad tolerándam vitam suffécto cibo, præter cántabrum, arctum panem, quo vescebátur ad vésperam. Cum tamen christiánam fidem in pópulo disseminásset, ac Présbyter ordinátus plúrimos in Picéno prædicatióne et miráculis Jesu Christo fílios genuísset, ab Aureliáno ingéntis saxi mole ópprimi jussus est. Sed protegénte Dómino, cum evasísset incólumis, ejus rei spectáculo ac fama commótus provínciæ pópulus in Christum crédidit. Quare ímpius judex Marónem jussit intérfici.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

ILlústri consummáto martyrio, christiánus pópulus, eódem excíso lápide mártyrem inclúsit, et suo sepelívit triúmpho : íbique póstmodum oratórium ad littus maris Adriátici superædificávit quod a Novánæ deínde cívibus, qui sanctum Marónem sibi in Patrónum adscivérunt, amplificátum, perpétua veneratióne ac finitimárum étiam géntium frequéntia cólitur, et miraculórum fama ad hæc usque témpora illustrátur. Quibus commótus Alexánder Bórgia Firmánus Archiepíscopus, sacrum corpus constánti traditióne ac suórum decessórum monuméntis commendátum, novíssime vero refóssum ac rite recógnitum, ibídem honorífice cóndidit die vigésima octáva júnii anno Christi millésimo septingentésimo quadragésimo primo, sedénte Benedícto decimoquárto Románo Pontífice : qui, ut præclári Mártyris memória celébrius colerétur, próprium ejus Offícium benígne approbávit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* x.

IN illo témpore : dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem

vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Cap. x.

QUÆ ista divísio est? Inter prima enim legis præcépta accépimus : hónora patrem tuum et matrem tuam : et ipse Dóminus ait : pacem meam do vobis: pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas, impietáti præferrétur. Ubíque ódia, ubíque bella : et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desæviens. ℟. Coróna áurea.

Lectio viij.

GLádius, telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis, et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum; et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in prophétis auctóritas est. Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio, qui gládius missus in terram est, idest prædicatiónem ejus hóminum córdibus infúsam, fítque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca : quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior, et extérior, idest et corpus et ánima in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Hic est vere martyr.

In Quadrag. Lectio ix. Homil. et Comm. Feriæ.

Lectio ix.

PErgit deínde eódem præceptórum, et intelligéntiæ decúrsu : nam posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit : qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; quia qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis, et concupiscéntia, et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commóvimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dómi-

num sit secútus, in hoc sacraménto fídei, spíritus novitáte victúrus.

DIE I. MARTII.

(d. a. ex xxx. Jan.)

S. Martinæ

Virg. et Mart. Semid.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius, ut qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In j. et ij. Vesperis, quando dicendæ sunt, dicitur Hymnus. Martínæ célebri. *usque ad* Quærit præmia Cœlitum. *et in fine* A nobis ábigas. *Et ad Matutinum incipitur a* Non illam. *usque ad finem.*

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus.

Psalmus. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

MArtínæ célebri pláudite nómini
Cives Romúlei, pláudite glóriæ :
Insígnem méritis dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Hæc dum conspícuis orta paréntibus
Inter delícias, inter amábiles
Luxus illécebras dítibus áffluit
Faustæ munéribus domus.

Vitæ despíciens cómmoda, dédicat
Se rerum Dómino, et munífica manu
Christi paupéribus distríbuens opes,
Quærit præmia Cœlitum.

NON illam crúcians úngula, non feræ,
Non virgæ horríbili vúlnere cómmovent ;
Hinc lapsi e Súperum sédibus Angeli
Cœlésti dape récreant.

Quin et depósita sævítie leo
Se rictu plácido prójicit ad pedes :
Te Martína tamen dans gládius neci
Cœli cœtibus ínserit.

Te, thuris rédolens ara vapóribus
Quæ fumat, précibus júgiter ínvocat,
Et falsum périmens auspícium, tui
Delet nóminis ómine.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas. Amen.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Confitébor. *de Comm. j. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Martína virgo Romána, patre consulári, illústri génere nata, téneris adhuc annis orbáta paréntibus, christiánæ pietátis ardóre succénsa, divítias, quibus affluébat, mira in páuperes liberalitáte distríbuit. Sub Alexándro príncipe, cum deos inánes cólere juberétur, immáne fácinus summa libertáte detestátur. Quaprópter íterum atque íterum affécta verbéribus, uncis, úngulis férreis, testárum fragméntis laceráta, acutíssimis gládiis membrátim concísa, ádipe fervénti perúncta, demum in amphitheátro damnátur ad béstias : a quibus illæsa divínitus evádens, in ardéntem rogum injécta, incólumis pari benefício servátur.

℟. Propter.

Lectio v.

Ex ejus tortóribus nonnúlli, míraculi novitáte corrépti, Dei aspiránte grátia, Christi fidem ampléxi, post cruciátus gloriósam martyrii palmam cápitis abscissióne promeruére. Ad ejúsdem preces nunc terræmótibus exórtis, nunc ígnibus e cœlo tonánte delápsis, deórum templa prostráta sunt, et simulácra consúmpta. Intérdum ex vulnéribus lac cum sánguine erúpit, splendórque nitidíssimus, ac suavíssimus odor e córpore emanávit : intérdum sublímis régia in sede divínis láudibus una cum Cœlítibus interésse visa es.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

His ce prodígiis, ejúsque in primis constántia, ácriter permótus judex, caput vírgini amputári præcépit; qua perémpta, auditáque de cœlo voce, qua ad Súperos evocabátur, urbs tota contrémuit ac multi idolórum cultóres ad Christi fidem con-

vérsi sunt. Sacrum Martínæ corpus, sedénte sancto Urbáno primo, martyrio affectum, Urbáno octávo Pontífice máximo, in pervetústa ejúsdem ecclésia, ad Mamertínum cárcerem, in Capitolíni clivi radícibus, cum sanctórum Mártyrum Concórdii, Epiphánii et sociórum corpóribus repértum, eódem loco in meliórem formam redácto, atque decéntius ornáto, magno pópuli concúrsu, totíus Urbis lætítia, solémni ritu ac pompa repósitum est.

℟. Afferéntur.

In iij. Noct. Homil. Sæpe vos. *de Comm. Virg.*

In Quadrag. Lect. ix. Hom. et Com. Fer. in Laud.

AD LAUDES.

Hymnus.

Tu natále solum prótege, tu bonæ
Da pacis réquiem Christíadum plagis;
Armórum strépitus, et fera prœlia
In fines age Thrácios.
Et regum sócians ágmina sub crucis
Vexíllo, Solymas néxibus éxime,
Vindéxque innócui sánguinis hósticum
Robur fúnditus érue.
Tu nostrum cólumen, tu decus ínclytum,
Nostrárum obséquium réspice méntium;
Romæ vota libens éxcipe, quæ pio
Te ritu canit, et colit.
A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas. Amen.

DIE II. MARTII.

S. Simplicii

Papæ et Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Simplícius Tiburtínus, patre Castório, próxime post sanctum Hílarum Románæ Ecclésiæ principátum suscépit, ac difficíllimis tempóribus (cum magna ex parte christiáni orbis cathólica fides, ob cunctos fere príncipes hæresi inféctos, nutáret) summa vigilántia gubernávit.

Leóni imperatóri peténti, ut rata haberéntur concéssa ab Epíscopis synodi Chalcedonénsis Ecclésiæ Constantinopolitánæ privilégia, veheméntius réstitit, misso étiam eam ob causam Constantinópolim suo legáto. Eádem pastoráli sollicitúdine plúrimum laborávit, ut Timótheus Ælúrus Alexandrínæ Ecclésiæ invásor, qui Constantinópoli líbere degens, annitebátur quam máxime propagáre hæresim, novúmque Zenónis imperatóris ópera cogi concílium, pellerétur in exsílium, sicque integritáti suæ Alexandrína redderétur Ecclésia. Reliquórum item perduéllium pro nova synodo indicénda conátibus fórtiter óbstitit, ásserens, nova concília non fácile convocánda, nisi cum áliquid in pravis sénsibus novum, aut in assertióne dógmatum emersísset ambíguum.

℟. Invéni.

Lectio v.

Damnávit íterum Petrum Moggum, álterum Alexandrínæ sedis invasórem, curavítque, ut ex urbe pellerétur, ne áliquos módicæ fídei infíceret, et ad perversitátis suæ factiónem pertráheret. Timótheo Solofacíolo, legítimo ejúsdem Ecclésiæ Antístiti, juxta prístinum institútum, per suos legátos errória suis condonatiónem expeténti, idcírco quod timóre pertérritus Dióscorum ad altáre nominásset, véniam impértiit. Antiochéni Epíscopi electiónem ad seditiónes vitándas Constantinópoli in concílii Nicæni præjudícium peráctam, ea lege ratam hábuit, ut deínceps, secúndum Patrum definitiónes, Orientáli comprovinciálium Episcopórum synodo, creátio Antiochéni Pontíficis reservarétur. Oblatiónes Ecclésiæ ita partiéndas esse præcépit, ut una dumtáxat pórtio Epíscopo, una ítidem clero, duæ vero in Ecclésiæ fábricam, et peregrínos, ac páuperes erogaréntur. Zenónem Epíscopum Hispalénsem vicária Sedis apostólicæ auctoritáte fulcívit, ne apostólicæ institutiónis decréta, et sanctórum términos Patrum in Hispániis transcéndi permítteret.

℟. Pósui.

Lectio vj.

STátuit in Urbe hebdómadas, ut propter baptísmum, et pœniténtiam peténtes, Presbyteri quidem de regióne prima apud sanctum Paulum, de tértia apud sanctum Lauréntium et de séptima apud sanctum Petrum manérent. Dedicávit basílicas sancti Stéphani in Cœlio Monte, sancti Andréæ Apóstoli juxta sanctam Maríam, item áliam sancti Stéphani juxta sanctum Lauréntium, ac postrémo sanctæ Bibiánæ Mártyris áliam intra Urbem juxta palátium Liciniánum; itémque vasa complúra tum argéntea, tum áurea Románæ cóntulit Ecclésiæ. Demum Zenóne imperatóre, et Odoácre Itáliæ rege, migrávit ad Dóminum. Hábuit ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros quinquagínta octo, Diáconos úndecim, Epíscopos per divérsa loca trigínta sex. Sacerdótium administrávit annos quíndecim, menses quinque, et dies decem. ℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi. j. loco In Quadrag. Lect. ix. Homil. et Comm. Feriæ in Laud.*

DIE III. MARTII.

S. Hyacinthæ de Mariscottis

Virg. Duplex.

Ut in fine Breviarii die vj. Februarii.

DIE IV. MARTII.

S. Lucii I.

Papæ et Mart. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LUcius Románus patre Porphyrio, post sancti Cornélii consummatiónem, Románæ Ecclésiæ episcopátum ténuit. Sanxit, ut duo Presbyteri, ac tres Diáconi, ecclesiástici causa testimónii, quovis loco Epíscopum non desérerent. Pacem lapsis dandam, et pœniténtia acta, et communicatiónis fructum negándum non esse, Spíritu Dei plenus (ut sanctus Cypriánus scripsit) lítteris suis significávit. Ob Christi fidem exsílio relegátus, et póstmodum ad

Ecclésiam suam incólumis redíre permíssus, tandem omni Ecclésiæ facultáte Archidiácono suo Stéphano prius trádita, cápite truncátus est quarto Nonas Mártii, Gallo et Volusiáno princípibus. Duas hábuit ordinatiónes mense Decémbri, quibus Presbyteros quátuor, Epíscopos per divérsa loca septem creávit. Ejus corpus primo via Appia ad sanctum Xystum, in cœmetério Callísti sepúltum, inde a Pascháli Papa in sanctæ Cæcíliæ títulum, una cum ejúsdem Vírginis, et sociórum corpóribus translátum, ibi sub sancto altári collocátum fuit. ℞. Honéstum.

De Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, et collegárum ejus ad sanctum Lúcium Papam et Mártyrem.

Lectio v.

Super quidem tibi, frater caríssime, gratuláti sumus, cum te honóre gemináto in Ecclésiæ suæ administratióne Confessórem páriter, et Sacerdótem constítuit divína dignátio. Sed et nunc non minus tibi, et comítibus tuis, atque univérsæ fraternitáti gratulámur, quod cum eádem glória, et láudibus vestris, réduces vos dénuo ad suos fécerit benígna Dómini, et larga protéctio; ut pascéndo gregi pastor, et gubernándæ navi gubernátor, et plebi regéndæ rector redderétur : et apparéret relegatiónem vestram sic divínitus esse dispósitam, non ut Epíscopus relegátus, et pulsus Ecclésiæ deésset, sed ut ad Ecclésiam major redíret. Neque enim in tribus púeris minor fuit martyrii dígnitas, quia, morte frustráta; de camíno ignis incólumes exiérunt; aut non consummátus Dániel éxstitit in suis láudibus, quia, qui leónibus missus fúerat ad prædam, protéctus a Dómino vixit ad glóriam. In Confessóribus Christi diláta martyria non mérita confessiónis mínuunt, sed magnália divínæ protectiónis osténdunt.
℞. Desidérium.

Lectio vj.

Repræsentátum vidémus in vobis, quod apud regem fortes atque illústres púeri prædicavérunt, ipsos qui-

dem parátos esse ardére flammis, ne diis ejus servírent, aut imáginem, quam fécerat, adorárent: Deum tamen, quem colébant, quemque et nos cólimus, poténtem esse, ut eos de camíno ignis exímeret, et de regis mánibus, ac de pœnis præséntibus liberáret; quod invenímus in confessiónis vestræ fide, et in Dómini circa vos protectióne nunc gestum : ut cum vos paráti fuéritis, et prompti omne subíre supplícium, Dóminus tamen vos pœnæ subtráheret et Ecclésiæ reserváret. Regrediéntibus vobis, breviáta non est in Epíscopo confessiónis suæ dígnitas, sed magis crevit sacerdotális auctóritas, ut altári Dei assístat Antístes, qui ad confessiónis arma suménda, et faciénda martyria, non verbis plebem, sed factis cohortétur, et imminénte antichrísto, paret ad prœlium mílites, non solum sermónis et vocis incitaménto, sed fídei et virtútis exémplo. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homil. Quia Dóminus. *de Comm. ij. loco. In Quadrag. Lect. ix Hom. et Comm. in Laud.*

DIE V. MARTII.
B. Hieronymi Ghirardutii *Conf. Dupl.*

Oratio.

Deus auctor pacis, caritatísque amátor et custos, méritis et intercessióne beáti Hierónymi Confessóris tui cunctórum remissiónem nobis tríbue peccatórum; ut in pace et caritáte firmáti déxtera protectiónis tuæ ab ómnibus tueámur advérsis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Justus. *de Communi j. loco.*

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Hierónymus órdinis Eremitárum sancti Augustíni adjéctus, inter sanctióres ejúsdem alúmnos, flóruit. Natus est Recinéti ex illústri família Ghirardutiórum juxta opiniónem a majóribus accéptam, cui supra hóminum memóriam, Recineténses hæsérunt. Adolescéntiam, ut persuásum est univérsis, virtútum ómnium exercitatióne ornátam tradúxit, et præ se spé-

cimen tulit futúræ sanctitátis. Hæc emícuit splendídius, postquam órdini Eremitárum sancti Augustíni nomen dedit. Austerióris observántiæ fuísse tenacíssimum, sanctimónia declarávit, qua præditus pópulo prælucébat. Difficíllimis enim illis tempóribus æstimatiónem ómnium comparáverat sibi; ítaque devínxerat ánimos, ut dissidéntes conciliáre, atque intestínas simultátes compónere potúerit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

PAcis conciliatórem fuísse non solum Recinéti, sed álibi étiam tráditum est. Firmános enim inter atque Asculános cruénta dissídia Hierónymus exstinxísse fertur. Qua de causa fama inter véteres increbúerat, ipsum Firmum versus proficiscéntem, siccis pédibus tranásse flumen Cluéntum, instráto pállio super aquas exundántes. Obiit Recinéti in cœnóbio fratrum suórum, ubi méritis onústus pretiósam, mortem oppétiit, cívibus desidérium sui relínquens, atque memóriam perénnem pacis mútuæ concordiæque, quarum diébus vitæ suæ auctor esse non désiit. Demórtui corpus in féretro decúmbens pópuli concúrsu circúmdatum insígni miráculo claruísse, assérunt scriptóres, qui de rebus ejus gestis locúti sunt. Honorífice cónditum fuit subínde sub altáre : supra quod exstrúctum deínde est élegans sacéllum, quod vísitur etiámnum, supplicúmque frequéntia celebrátur.

℟. Amávit.

Lectio vj.

EXciti cives memória pacis, quam Hierónymus vivens totis víribus promovébat, inflammátos sensérunt sese ad cavéndum sibi magis a simultátibus novis et a factiónibus quas témporum vices excitáre solébant. Quare die festo ejúsdem, qui solémni pompa ab antíquis usque tempóribus agi solet in domínica secúnda quadragésimæ, selécti viri, selectæque féminæ ex primóribus jussu civitátis designántur, ut dissídia compónant toto anni currículo. In festo eódem memória Hieró-

nymi honorátur concióne pública in ecclésia santi Augustíni, oblatiónibus præbéri cœptis nómine Communitátis magnáque Recineténsium celebritáte, qui júgiter ad beáti viri túmulum cónfluunt venerabúndi. Quibus rite perpénsis, ad augéndum cultum erga beátum Hierónymum, qui ab óbitu ejus exórtus crevit in dies, et hucúsque prodúctus perséverat, Pius séptimus Póntifex máximus Missam cum Offício próprio ab utróque clero Recineténsi recitári posse permísit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* v.

IN illo tempore : Dixit Jesus discípulis suis : Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos. Et réliqua.

Homilía sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. in Fer. vj. *post Cineres.*

QUid fratrem et próximum tuum odis et perséqueris? o stulte! Non est ille inimícus, sed próximus : non te perséquitur homo, quem fecit Deus; sed malítia, quam fecit homo; illa est inimícus tuus, illam óderis, illam perséqueris, illam destrúxeris. Tolle malítiam a fratre; non te persequétur, non tibi malefáciet. Fac ergo, ut déstruas illam : sed quómodo? Si esuríerit, inquit Apóstolus, inimícus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim agens, carbónes ignis côngeres super caput ejus, et accendétur cáritas, et destruétur malítia, et cessábit inimicítia, et erit frater, quem inimícum putábas. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, ut ait Apóstolus; certámen enim magnum est inter fratris malítiam et tuam bonitátem : certa viríliter, ut benefíciis vincas illum, qui te aggréditur incómmodis : grandis enim tibi glória est, si in hoc certámine victor eváseris; et grandis est confúsio, si superátus fúeris. Non cedat bónitas tua malítiæ fratris tui, non victa succúmbat; sed super eum triúmpha. ℟. Iste est.

Lectio viij.

SUffícere debúerat ad dilectiónem inimicórum hæc tam spléndida et gloriósa victória : suffícere et cómmodum grande, quod ex persecutióne cápimus. Sed adhuc álias habémus rationes et consideratiónes, quibus ad hoc ánimum inclinémus. Prima considerátio est, quod Deus ita vult et præcípit, et hoc gratum est illi. Quanta quotídie fácimus pro amícis? Quot alienátos et invítos orántibus amícis, in nostram grátiam recípimus, ut illis placeámus? O Christiáne, facis hoc pro amícis, et non facis pro Deo! máxime cum hoc non solum cónsulat, sed et præcípiat; ut si non velis reconciliári inimíco, propter hoc grátiam et amicítiam illíus perdas : et si nolis inimíco fíeri amícus, Dei inimícus efficiáris? O Dómine, vere ne tuam amicítiam perdam? Omnes fúrias, immo et ipsos dæmones, si præcíperes dilígere, pro amícis habérem. Quantæ ergo malítiæ est nolle flecti, nolle obtemperáre? Quid tantum pótuit tibi próximus nocére, ut non magis Dei amor et benefícia pónderent et váleant apud te? Vides, quia non est fragílitas, sed pervérsitas, nolle hoc implére.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

SEcúnda est considerátio tui status et professiónis. Nonne christiánus es? nonne hanc scholam séqueris? Réspice magístrum tuum, ducem tuum; et vide quanta bona fecit inimícis tuis : quómodo curábat ægrótos eórum, quómodo docébat, quómodo diligébat, quómodo sitiébat salútem eórum, quómodo pro crucifigéntibus orábat. Pendébat in cruce cruéntus, plagátus et lacerátus ab iis, quibus tanta benefícia præstíterat : neque conténti torméntis, insultábant ludíbriis, deridéntes et subsannántes, movéntes cápita sua, dicébant : Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere. Audit patiénter insultatóres suos, et Patrem orat: Dimítte : et tu coram eo petis vindíctam? qua fronte? quo vultu? et

quid, óbsecro, símile tu passus es ab inimícis tuis? Christiáne, réspice in fáciem Christi tui, réspice et ejúsdem scholæ discípulos, Apóstolos et Mártyres, quantum laboravérunt, quómodo sudavérunt, ut profícerent in illis a quibus affligebántur, et quómodo docébant et illumináre cupiébant persecutóres suos. Si ergo de schola Christi es, cur non séqueris professiónem? cur eum discípulus non imitáris? Non legis, quia omnes, qui pie volunt vívere in Christo persecutiónem patiúntur?

Te Deum laudámus.

In Quadrag. Lectio ix. Homiliæ et Commem. Feriæ.

DIE VI. MARTII.

(*D. a. ex iv. hujus.*)

S. Casimiri

Regis Conf. Semid.

Ut in Breviario die iv. hujus.

DIE XI. MARTII.

S. Margaritæ Cortonensis

Pœnitentis. Semiduplex.

Ut in fine Breviarii die xxvj. Febr.

DIE XIII. MARTII.

S. Titi

Episc. Conf. Duplex.

Ut in Breviario die vj. Februarii.

DIE XIV. MARTII.

(*D. a. ex ix. Febr.*)

S. Cyrilli Alexandrini

Episc. Conf. et Doct. Duplex.

Ut in Breviario die ix. Februarii.

DIE XV. MARTII.

S. Zachariæ

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lect. In Quadrag. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Zacharías natióne Græcus, patre Polychrónio, Gregório tértio ex hac luce subtrácto, ad beáti Petri cáthedram est evéctus. Vir fuit mitíssimi ingénii, miræ suavitátis et grátiæ, cleri ac pópuli Románi amátor, ad iram tardus, ad misericórdiam et cleméntiam promptíssimus, nulli malum pro malo reddens,

sed vincens in bono malum; ádeo ut, quos habúerat æmulos et inimícos, eósdem inítio pontificátus honóribus et præmiis affécerit. Póntifex creátus, ut Itáliam armis Longobardórum vexátam suæ tranquillitáti restitúeret, ad Luitprándum regem Interámnæ degéntem, et legátos misit, et ipse proféctus est; ubi et oratiónis elegántia, et vitæ sanctitáte sic regem demúlsit, ut quas civitátes, óppida, et patrimónia ab Ecclésia abstúlerat, eídem restitúerit.

℟. Invéni.

Lectio v.

SED et Ticínum usque proféctus eúmdem infléxit, ut a Ravennátum oppressióne cessáret. Rachim ádiit, Perúsiam acri obsidióne preméntem, quem tanta oratiónis majestáte permóvit, ut et ab omni oppugnatióne desísteret, et religiónis amóre succénsus, régiam dignitátem, et paludaméntum monacháli institúto, et hábitu permutáret. Consúltus a Francis, regnum illud a Childeríco, viro stúpido et ignávo, ad Pipínum pietáte et fortitúdine præstántem auctoritáte apostólica tránstulit. Multas synodos et concília celebrávit, pro ecclesiásticæ disciplínæ restauratióne.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

ROmæ ómnia loca sacra aut reparávit, aut ditióra effécit. Sanctórum imágines vetustáte exolétas renovávit, et Lateranénse patriarchíum, quod magna in penúria invénerat, pene a novo restaurávit, ac multas relíquias ibi invéntas divérsis Ecclésiis distríbuit. Paupéribus aléndis réditus assignávit. Bibliothécam sancti Petri constrúxit, basílicam sancti Geórgii in Velábro cóndidit : ædificávit et oratórium divæ Cæcíliæ via Tiburtína. Clerum valde diléxit, et donatívum síngulis Presbyteris et Diáconis erogávit Sancti Gregórii Dialogórum libros in Græcum tránstulit, rebúsque váriis pro Ecclésiæ utilitáte non minus pie, quam próspere gestis, sanctitátis láurea est coronátus.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

Lect. ix. de Homilia Feriæ occurr.

DIE XVI. MARTII.
S. Exuperantii
(*D. a. ex xj. Febr.*)
Episc. et Conf.
Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui beátum Exuperántium Confessórem tuum atque Pontíficem grátiæ tuæ donis cumulátum ad cœléstem glóriam perduxísti; concéde nobis, quæsumus; ut ejus patrocínio muníti, ætérna præmia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fidélis sérmo.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EXuperántius natus, ut fertur in Africa, quum ibi áliquot annos non solum suæ sed étiam proximórum sanctificatióni studuísset, mox in Itáliam venit : ubi tália præbuit, virtútum exémpla, ut Cingulanórum Epíscopo intérea vita functo, ejus in locum suffectus fúerit. Rexit eam Ecclésiam Exuperántius plures annos; gregémque suæ curæ créditum verbo et exémplo sic pavit, ut móriens pretiósam relíquerit memóriam sui; civésque non amisísse eum se, sed sanctitátis et miraculórum fama illústrem patrónum in cœlis apud Deum nactos esse gratularéntur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

SAcræ ejus exúviæ paucis post annis honorificénter collocátæ fuérunt, templúmque ejus in honórem exstrúctum fuit, latéque ejus cultus propagátus. Quod quidem templum, sancti Epíscopi cultu et grátiis curatiónum insígne, annuátim in die ipsíus natáli, et per octo dies immediáte sequéntes, pie invisééntibus, Nicoláus Quartus Póntifex máximus indulgéntias concéssit. Quum autem intérea sacræ ejúsdem Relíquiæ eo ipso in templo occultátæ fuíssent, postquam diu delitúerant, tandem labénte sæculo décimo

quinto summa civitátis gratulatióne detéctæ fuérunt : ejúsque inventiónis memória festíve deinceps quotánnis colénda institúta est.

℟. Pósui.

Lectio vj.

NOvíssimis autem tempóribus crebrescénte fama beneficiórum, quæ sancti Exuperántii intercessióne Deus largiebátur, hominibúsque ad ejus túmulum, sive acceptórum, sive impetrandórum causa étiam ex longínquis locis magno concúrsu confluéntibus; Románi Pontífices ad confovéndam, fidélium pietátem, et sancti Epíscopi glóriam promovéndam, Clemens décimus tértius templo ejus amplióres honóres atque indulgéntias constítuit. Pius sextus vero benígne concéssit, ut sacræ ejus exúviæ e véteri sepúlcro in novum sacéllum transferréntur, ejúsque facti memória in pósterum celebrarétur quotánnis domínica quarta júlii : mox lectiónes secúndi Noctúrni próprias apostólica auctoritáte probávit, eásque in tota Cinguléna diœcési ab utróque Clero recitári permísit.

℟. Iste est.

In iij. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

In Quadrag. Lectio ix. Homiliæ et Commemor. Feriæ.

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis

Archang. Dupl. maj.

Ut in fine Breviarii.

DIE XX. MARTII.

(*D. a. ex xviij. huj.*)

S. Cyrilli Hierosol.

Episc. Conf. et Doct. Duplex.

Ut in Breviario die xviij. hujus.

DIE XXII. MARTII.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ

Viduæ. Duplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXVIII. MARTII.

S. Xysti III.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lect. Fidélis. *de Comm. Post Pascha de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

XYstus hujus nóminis tértius, pátria Románus, fílius Xysti, defúncto sancto Cœlestíno Románæ Ecclésiæ Epíscopus præfícitur, totíus Urbis pace, et consensióne mirábili. Eum adhuc Presbyterum sanctus Augustínus exímie commendávit, tum quod prior anáthema Pelagiánis in pópulo frequentíssimo pronuntiárit, tum quod suis quoque scriptis advérsus eórum errórem veheménter pugnárit. Ut autem Románi sacerdótii gubernácula suscépit, decrétum Ephesínæ synodi advérsus Nestórium hábitum, volúmine descríbens, ad Oriéntis, et Occidéntis dedit Ecclésias, confírmans, duábus in Christo manéntibus perfécte natúris, unam Fílii Dei credéndam esse persónam. Qua de re et ad Nestórium ipsum, et ad Oriéntis Epíscopos, ad ejus errórem succidéndum senténtias diréxit, hæc inter cétera scribens Antiochéno Epíscopo : Nihil ultra líceat novitáti, quia nihil addi cónvenit vetustáti : perspícua majórum fides, et credúlitas, nulla cœni permixtióne turbétur.

℟. Invéni.

Lectio v.

IS a beáto Petro Apóstolo sibi per visum apparénte, una cum sancto Appollináre ejus discípulo, primo Ecclésiæ Ravennátis Epíscopo, quem ejúsdem Ecclésiæ Pontíficem ordináre debéret, admónitus; Petrum Ecclésiæ Forocorneliénsis Diáconum, præter Ravennátum senténtiam, illis præfécit Antístitem, quem cognoménto Chrysólogum admiránda morum sanctitúdo, et doctrína insígnis mirífice commendárunt. Cum autem Xystus ecclésiæ prædium abnúerit alienári, studerétque subleváre gravátos, ódium in se convértit Anícii Bassi excónsulis et Mariniáni patrícii, a quibus turpi calúmnia exagitátus, sponte vóluit suam in synodo causam judicári. Itaque in basílica Heleniána, quæ dícitur Sessoriánum Atrium, quinquagínta sex Episcopórum concílio coácto, præsénte Valentiniáno

imperatóre, cum univérso clero, atque senátu, Xystus declarátus est innocens, Bassus vero, et Mariniánus calumniatóres damnáti, atque proscrípti bonis prætérea Bassi ecclésiæ adjudicátis : quem intra tres menses divína ultióne defúnctum, Xystus reddens bona pro malis, cum linteamínibus et aromátibus, mánibus ipse contréctans, recóndidit, sepelivítque apud beátum Petrum Apóstolum, in sepúlcro majórum suórum.

℟. Pósui.

Lectio vj.

VEnerándus hic Póntifex complúra in Urbe magnífica præstitit : nam argéntea, et áurea vasa, possessionésque complúres ecclésiis cóntulit. Refécit basílicam sanctæ Maríæ majóris ad præsépe, quam et metállis áureis sacrísque imagínibus decorávit. Fecit et in Constantiniána basílica ornaméntum supra fontem, quod ántea non erat; nam marmórea epistylia, et porphyréticas colúmnas, quas Constantínus Augústus congregátas dimíserat, érigi curávit, ac vérsibus exornávit. Ejus item rogátu Valentiniánus Augústus argénteum fastígium a bárbaris sublátum, in eádem Constantiniána basílica restítuit : cujus imperatóris, et Theodósii principátu Xystus viam univérsæ carnis ingréssus quiévit in Dómino, sepultúsque est via Tiburtína in crypta juxta corpus sancti Lauréntii Mártyris. Una ordinatióne mense decémbri creávit Presbyteros vigínti octo, Diáconos duódecim, Epíscopos per divérsa loca quinquagínta duos, et rexit Ecclésiam annos septem, menses úndecim.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homil. de Communi j. loco.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ occurr.

DIE XXIX. MARTII.
S. Dominici
Abbatis.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui antíquuum serpéntem per Fílii tui mortem contérere dignátus es : fac nos, quæsumus, méritis beáti Domínici Abbátis diabólica vitáre con-

tágia, et a cunctis malis imminéntibus liberári. Per eúmdem.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Beátus vir. *de Comm. ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DOmínicus Fulgínii in Umbria illústri génere natus, a puerílibus ábstinens, ac præcláræ sanctitátis spécimen præferens, a paréntibus mónachis sancti Benedícti in eádem pátria excoléndus tráditur : sub quorum disciplína pietáte ac sciéntia tándiu profécit, ut in sacris initiári merúerit. A Deo ad majóra vocátus, tanquam Abraham a pátria egréssus, in Sabínam se cóntulit ad Dionysium Abbátem mira sanctitáte conspícuum; a quo reguléri hábitu indútus, et sancti Benedícti régulam proféssus, monásticæ perfectiónis exémplar ita se exhíbuit, ut commúnem hóminum exspectatiónem superáverit. Ibi aliquándo commorátus, solitúdinis et sanctióris vitæ desidério flagrans, ásperi montis Sabínæ ápicem conscéndit, ubi jejúniis, vigíliis aliísque córporis afflictatiónibus se exércens, assídua cœléstium meditatióne uni prorsus Deo ab homínibus sejúnctus vacábat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

VErum ejus fama sanctitátis ubíque diffúsa, ab Hubérto potentíssimo marchióne, aliísque nobílibus viris eníxe rogátus, ut in eórum terris monachórum cœnóbia construéret, eórum votis acquiéscens plúribus in locis vária excitávit monastéria : ex quibus ápprime memorábile est, quod império Domínici Petrus Rainérii Soræ dóminus pro suórum críminum satisfactióne sanctíssimæ Dei Genitrícis in honórem juxta Soram construxit cœnóbium, eorúmque ómnium, quæ cœnóbio necessária fuíssent, munífica largitióne ditávit. At admirábilis vitæ exémplo non tantum vir Dei clarus éxstitit, verum étiam prodigiórum glória mire refúlsit, uti usque ad hodiérnum diem mirácula crebra testántur. Advérsus nempe grándi-

nem et tempestátes præcípue illíus implorári patrocínium solet, raro populórum pietátem frustráto succéssu. Invocant ejus quoque, et præséntem experiúntur opem, qui fébribus conflictántur, aut rabidórum morsu canum ac serpéntum læsi, præsértim loco, qui Cucúlla dícitur, ubi sancti viri dens religióse servátur : ac in eódem território nóxii serpéntes ita prorsus venéno carére noscúntur, ut, juxta illud prophétæ, púeri cum eis, tanquam cum agnis, lúdere conspiciántur.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Tandem vir sanctus cum verbi Dei prædicatióne plures e vitiórum cœno ad salútis trámitem reduxísset, et per áliquot annos Soráno monastério sanctíssime præfuísset; méritis plenus, et Ecclésiæ sacraméntis rite munítus, undécimo Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino anno salútis millésimo trigesimoprímo. Post multa vero sæcula, scílicet décimi octávi sæculi inítio, Clemens undécimus Casemárii et Sopáni monastérii olim Abbas Commendatárius sacrum ejus corpus ex antíquo túmulo in álium pretiósis lapídibus sua profusíssima munificéntia exstrúctum per Episcopórum manus transférri jussit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* x.

In illo témpore : Revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio dicéntes : Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. xvij. *in Cap.* 3. *Gen.*

Dixit Dóminus Deus serpénti : Quia fecísti hoc, quia tali, inquit, malítiæ ministrásti, ut fraus illa ópere compleréturr, malum consílium afferéndo, ac letále póculum temperándo : quia sic fecísti, et a mea benevoléntia exclúdere voluísti creatúras meas ministério malígni dæmonis senténtiæ exhíbito, qui ob invídiam et ingéntem supérbiam suam e

cœlis in terram dejéctus est : proptérea, quia te in his ut instruménto est usus, perpétua mala tibi inferúntur, ut ille scire possit, quodnam ipsum máneat supplícium, et futúri hómines erudiántur, ne seducántur diáboli consíliis, neque illíus fraudes admíttant, ut ne in eásdem íncidant pœnas. ℟. Iste est.

Lectio viij.

PRoptérea maledíctus es tu inter omnes béstias, quia calliditáte male et non, ut oportébat, es usus; sed privilégium, quod super ómnia animántia possidébas, hoc tibi in ómnium malórum cessit occasiónem. Inquit enim, serpens erat prudentíssima ómnium bestiárum, quæ erant super terram. Proptérea maledíctus tu inter ómnia juménta, et omnes béstias terræ futúrus es. Et quia maledíctio non erat sensibilis, neque óculis vidéri póterat; propter hoc sensíbilem illi pœnam infert, ut contínuo ante óculos vidére póssimus supplícii ejus moniménta. Super pectus et super ventrem gradíeris, et terram cómedes ómnibus diébus vitæ tuæ; quia forma tua abúsus es, et in familiaritátem rationális animális a me cónditi veníre non formidásti. Sicut ígitur diábolus, qui per te operátus, et te ut instruménto usus est, e cœlis deórsum depúlsus est, quia, plusquam dignitátis suæ erat, sápere volébat; ita simíliter ímpero, ut et tu áliam formatiónis figúram hábeas, et super terram repas, eáque aláris, atque ádeo ne líceat tibi posthac suscípere, sed semper in hoc máneas statu, et solus ex animálibus terra pascáris; et neque hoc solum; nam et inimicítias ponam inter te et inter mulíerem, et inter semen tuum et semen ejus. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

NEque hoc conténtus ero, quod super terram reptes, sed et inimícam, fœderísque nésciam fáciam tibi mulíerem : neque eam solum, sed et semen ejus sémini tuo hostem perpétuum fáciam. Ipsa tuum observábit caput, et tu ejus observábis calcáneum. Tantum

enim illi robur concédam, ut contínuo incúmbat cápiti tuo; te autem fáciam sub pédibus ejus jácere. Vide hic, dilécte, per pœnam huic béstiæ deputátam, quantam humáni géneris curam nobis demónstret; et hoc quidem de visíbili serpénte : licet autem voiénti póstea considerári scriptórum sériem et cognóscere, si de sensíbili serpénte hæc dicta sunt, multo magis accipiénda esse de spirituáli serpénte. Etenim et illum pédibus nostris subjécit humiliátum, et id præstitit, ut nos ejus cápiti incumbámus. An non hoc signíficat, dicens : Calcáte super serpéntes et scorpiónes? Deínde ne putémus de sensibílibus feris esse dictum, subdit. Et super omnem virtútem inimíci.

In Quadr. Lectio ix. Homiliæ et Commem. Feriæ.

DIE XXX. MARTII.
(D. a. ex xxviij. huj.)
S. Joannis a Capistrano
Conf. Semiduplex.

Ut in Brev. die xxviij. hujus.

DIE VI. APRILIS.
S. Xysti I.
Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem. *In j. Noct., Lectiones.* A Miléto. *de Communi. Post Pascha de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

XYstus hujus nóminis primus, Románus natióne, de regióne Urbis séptima, quæ Via lata dicta est, patre Pastóre génitus, in locum Alexándri primi Románi Pontíficis nobilíssimo martyrio coronáti, totíus cleri suffrágiis suffféctus, suprémo illo múnere egrégie, et summa cum laude perfúnctus est annis novem, ménsibus decem, diébus octo, sub imperatóribus Adriáno et Antoníno Pio Augústis.

℞. Honéstum.

Lectio v.

COnnúlla ad disciplínam ecclesiásticam pertinéntia prudentíssime státuit, scílicet, ne sacra vasa, et ministéria ab áliis, qui sacri minístri non essent, contrectaréntur : ne sacrum corporále, ut vo-

cant, ex ália, quam línea matéria fíeret : ut sacrum triságium in Missa pópulus decantáret; et ne ullus Epíscopus Romam evocátus, ad suam deínde diœcésim rédiens susciperétur, nisi lítteris apostólicis, quas formátas, et canónicas antíqui vocábant, munítus esset.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

TRes ordinatiónes mense decémbri pro more fecit, in quibus creávit Epíscopos quátuor pro divérsis locis, Presbyteros úndecim, Diáconos tres. Vir revéra singulári vitæ sanctimónia, incredíbili morum facilitáte, exímia in páuperes liberalitáte, frequéntibus étiam insígnis miráculis, illústri tandem martyrio coronátus, octávo Idus Aprílis, et sepúltus in Vaticáno.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *Tempore Pasch.* Iste locus. *de Communi.*

DIE VII. APRILIS.

S. Cœlestini I.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lectiones Fidélis. *Post Pascha de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

CŒlestínus Románus Prisci fílius, sancto Bonifácio sine ulla plebis discissióne subrogátus, Románæ Ecclésiæ præsédit Epíscopus. Hic venerábilis Póntifex (cui ad Ecclésiæ cathólicæ præsídium, multa Dóminus grátiæ suæ dona largítus est) sciens, damnátis non exámen judícii, sed solum pœniténtiæ remédium esse præstándum, Cœléstium primárium Pelágii discípulum, suam, quasi non discússo negótio, audiéntiam postulántem, totíus Itáliæ fínibus, jussit extrúdi. Nec segnióre cura, ab hoc eódem morbo Británnias liberávit, quando quosdam inimícos grátiæ, solum suæ oríginis occupántes, étiam ab illo secréto exclúsit Océani. Quamóbrem sancto Germáno Antissiodorénsi Epíscopo illuc vice sua misso, ordinatóque Scotis Epíscopo Palládio, qui Románæ Ecclésiæ Diáconus erat, dum Ro-

mánam ínsulam stúduit serváre cathólicam, fecit étiam bárbaram christiánam.

℟. Invéni.

Lectio v.

CUM autem Nestórius Constantinopolitánus Epíscopus novum Ecclésiæ molirétur errórem indúcere, prædicans Christum ex María hóminem tantum, non étiam Deum natum, eíque divinitátem collátam esse pro méritis; ejus impietáti sua Cœlestínus auctoritáte ácriter repugnávit. Quare sancto Cyríllo Epíscopo Alexandríno suas vices delegávit, ut nisi decem diérum intervállo Nestórius resipísceret, in illum senténtiam ferret. Verum cum Nestórius id pertinácius recusásset, magísque crevíssent dissentiónes ac tumúltus, apud Ephesum tértia œcuménica synodus est congregáta, in qua Cœlestínus per suos legátos præsédit : quibus suo commonitório eos límites præscrípsit, ut de Episcopórum senténtiis judicárent, certámen non subírent. Itaque in ea synodo Nestórius cum hæresi nóminis sui, et cum multis Pelagiánis, qui cognátum erróri suo dogma juvábant, damnátus est.

℟. Pósui.

Lectio vj.

PER suas lítteras eórum sacerdótum superstitiónem Cœlestínus redárguit, qui véteri dimísso hábitu, amícti pállio, lumbósque præcíncti, in Ecclésia ministrábant. Cavit prætérea, ne ulli in morte última negarétur pœniténtia; neve ex láicis vel criminósis ad episcopátum áliqui promoveréntur : itémque ne Metropolitánus in aliéna província áliquid præsúmeret, et ne in creándis Epíscopis extránei eméritis in sua Ecclésia cléricis præponeréntur. Instítuit, ut ex ómnibus centum quinquagínta psalmis, ante sacrifícium antiphonátim psallerétur. Dedicávit basílicam Júliam, propriúmque suum cœmetérium pictúris decorávit, váriaque ad Ecclésiæ ornátum dona óbtulit. Qui cum tribus ordinatiónibus mense decémbri creásset Presbýteros trigínta duos, Diáconos duódecim, Epíscopos per divérsa loca quadragínta

sex, obdormívit in Dómino octávo Idus Aprílis, sepultúsque est in cœmetério Priscíllæ via Salária, Theodósio, et Valentiniáno imperántibus. Sedit annos octo, menses quinque, et dies tres.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homilia de Communi j. loco.

DIE XII. APRILIS.

S. Julii I.

Papæ Confess. Duplex.

Oratio. Da quæsumus

In j. Noct., Lectiones. Fidélis. *de Comm. Post Pascha de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JUlius Románus Rústici fílius, post beátum Marcum ad summum pontificátum evéctus, vitæ sanctitáte, et stúdio asseréndæ fídei christiánæ insígniter elúxit. Grassabátur per Oriéntem Ariánæ hæresis impíetas, multíque sanctíssimi Epíscopi e suis sédibus exsuláre cogebántur; quos ille, præsértim sanctum Athanásium, humaníssime excépit, et constantíssime contra adversários deféndit. Tyriam et Antiochénam synodum, ut Nicænam abolérent fidem, ab Ariánis coáctam condemnávit, et Romæ duo concília convocávit, in quibus éxsulum Episcopórum querélas excépit, et innocéntiam declarávit. ℟. Invéni.

Lectio v.

COnstánti Augústo religiosíssimo príncipi, per Occidéntem imperánti, auctor fuit, ut Constántium fratrem Arianórum fautórem, in Oriénte regnántem, précibus et minis ad revocándum ab exsílio Athanásium permovéret. Dolósam fídei fórmulam ab Eusebiánis Aríi sectatóribus, in secúnda synodo Antiochéna concéptam rejécit, et magnum Sardicénse concílium ex Occidéntis et Oriéntis Epíscopis indíxit, missísque legátis, multa ibídem pro fide cathólica, et disciplína ecclesiástica restituénda utíliter constítuit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

PRæter hæc basílicas duas in Urbe exstrúxit, sacrísque pictúris exornávit, unam juxta forum Romá-

num, álteram in via Flamínia. Tria ædificávit cœmetéria, unum in eádem via Flamínia, álterum in via Aurélia, tértium in Portuénsi. Constítuit, ne sacérdos álibi, quam apud júdicem ecclesiásticum causam díceret, jussítque, ut ómnia ad rem ecclesiásticam spectántia per protonotárium conficeréntur instruménta. Tribus ordinatiónibus mense decémbri creávit Diáconos tres, Presbyteros decem et octo, Epíscopos novem. Postquam Dei Ecclésiam sanctíssime rexísset annis quíndecim, ménsibus quinque, diébus septémdecim, prídie Idus Aprílis felíciter migrávit ad Dóminum, sepúltus in cœmetério Calepódii. Inde translátæ relíquiæ ad ecclésiam sanctæ Maríæ Transtíberim ab ipso amplificátam sub altári majóri honorífice recónditæ sunt.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct., Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XVII. APRILIS.
S. Aniceti

Papæ Martyris. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANicétus Syrus, imperatóre Marco Aurélio Antoníno, præfuit Ecclésiæ. Decrévit, ne clérici comam nutrírent. Quínquies mense Decémbri ordinávit Presbyteros decem et septem, Diáconos quátuor, Epíscopos per divérsa loca novem. Vixit in pontificátu annos octo, menses octo, dies vigínti quátuor. Propter Christi fidem martyrio coronátus, sepúltus est via Appia in cœmetério, quod póstea Callísti appellátum est, decimoquínto Kaléndas Maías.

℟. Lux perpétua.

Sermo S. Augustíni Epíscopi. *De Verbis Dom. l.*

Lectio v.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Anicétus? Nonne omnes pastó-

res boni, non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum, quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. In servis suis.

Lectio vj.

JAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátem, et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant : ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte : quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam : Jam ipsi sunt : sed vide quid séquitur : caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem : et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia : détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

℟. Fíliæ.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* xvj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis : quia plorábitis, et flébitis vos, mundus autem gaudébit. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. lxxviij. *in Joann.*

UT osténderet post tristítiam gáudium secutúrum, naturále addúcit exémplum. Múlier, cum parit, tristítiam habet : qua parábola in calamitátibus Prophétæ usi sunt : quasi dicat : Dolóres capiétis, sed quales partus, qui lætítiæ causa sunt. Simul et resurrectiónem confírmat, índicans óbitum suum períndе esse, ac si ex útero matris in lucem pródeat, quasi dicat : nolíte

admirári, si per hanc tristítiam ad óptima vos ducam, nam et mater in pariéndo, sic per tristítiam transit.

℟. Ego sum.

Lectio viij.

Signíficat autem hic et mystérium quoddam, quod mortis dolóres sólverit, et novum hóminem regenerári fécerit. Neque dixit tantum tristítiam transitúram, sed magnitúdine lætítiæ succedénte, nihil ejus pénitus remansúrum. Ita erit Sanctis. Atqui non proptérea gaudet múlier, quia venit homo in mundum, sed quod fílium péperit. Nam si id esset, nihil prohibéret, quin, quæ non páriunt, áliis pariéntibus gaudérent.

℟. Cándidi.

Lectio ix.

Qua ergo grátia sic inquit? quia ad hoc solum addúxit exémplum, ut post brevem tristítiam perpétuum gáudium secutúrum, et se ad vitam transférri, et magnum malórum lucrum osténderet. Et non dixit, péperit fílium : sed quia venit homo in mundum, ubi suam signíficat resurrectiónem, et non morti illi, sed regno parturiéndum. Ideo non dixit, quia natus est fílius, sed homo. Et vos nunc quidem tristítiam habétis : íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum : inde quod non ámplius moriétur inquit, et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Te Deum laudámus.

Extra tempus Paschale, Homilia. Quia Dóminus, *de Communi ij. loco, cum* ℣. ℟. *de tempore.*

DIE XIX. APRILIS.

S. Leonis IX.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leo hujus nóminis nonus, ex nóbili Francórum prosápia oriúndus, Dagsburgénsis comes, ac Tulléensis Epíscopus, Bruno ántea dictus, ómnium Cardinálium suffrágiis, ac commúni fidélium gratulatióne, ad sanctíssimam Petri sedem evéctus est,

et in ea sedit annis quinque, duóbus ménsibus, diébus octo. Vir omni virtútum génere, et sacra doctrína exímius: ut apostólicum hoc munus impléret, nullis labóribus, nullis súmptibus, nullis incómmodis pepércit.

℟. Invéni.

Lectio v.

GErmániam et Itáliam sæpius, Gálliam semel visitávit. Hábuit novem concília, Rhemis, Mogúntiæ, Vercéllis, Papíæ, Romæ, ad restaurándos Christianórum mores. Multas lítteras ad imperatóres, reges, Patriárchas, Epíscopos, zelo ac pietáte flagrántes scripsit. Legátos ad imperatórem Constantinopolitánum, pro reductióne Græcórum, semel atque íterum misit. Berengárium hæréticum semel iterúmque damnávit, et Michaélem Cerulárium Patriárcham, insígnem schismáticum, anathémate pérculit.

℟. Pósui.

Lectio vi.

CUM Romæ ágeret, ter in hebdómada a sacrosáncta ecclésia Lateranénsi ad Vaticánam nudis pédibus, noctu, orans et psallens pergébat. Príncipi Apostolórum décimam oblatiónum partem sibi de more competéntem, pontifício diplómate cessit. Patrimónium suum próprium in erectiónem monastérii impéndit : unde étiam quotánnis pecúnia submitterétur in sumptus rosæ áureæ, quam Románi Pontífices antíquo et solémni ritu benedícunt. In páuperes et peregrínos effúsam liberalitátem exércuit. Sub leprósi forma et hábitu Christum aliquándo próprio lecto excépit. Dénique multis pro Ecclésia labóribus exantlátis, óbiit die decimanóna Aprílis, anno millésimo quinquagésimo quarto, ante et post mortem multis miráculis clarus, ac sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XXII. APRILIS.
SS. Soteris et Caii
Pont. et Mart. Duplex.

Ut in Breviario, præter ritum.

DIE XXIII. APRILIS.
S. Georgii
Martyris. Duplex.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas; concéde propítius; ut qui per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurr., aliter Fratres debitóres sumus. *de Comm. plur. Mart.*

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Lauréntii Patriárchæ Venetiárum.

Lectio iv.

Geórgius propugnátor exímius terrénæ obrenuntiávit milítiæ, ut Christi miles efficerétur egrégius; facultátes quas habébat, dispérsit paupéribus, ut divítias perénnes possidéret in cœlo; suam quoque ánimam odívit in mundo, ut in vitam illam custodíret ætérnam. Repérerat pretiósam margarítam latitántem in agro, per quod distráctis ómnibus mercátus est eam. Dóminum dixísse audiérat : nisi quis renuntiáverit ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus : prætulit disciplulátum Christi ópibus, homínibus voluptátibus córpori, et temporáli vitæ : ídeo intrépidus, armátus, et nudus secútus est Christum. Non cárceres, gládios, fustes, víncula, acúleos, tortóres, ignem, tyránnos expávit, nec mortem; nudus nudum Christum attendébat in stípite : illíus accendebátur exémplo, ejúsque passiónis dolóribus angebátur. O beáta mens mártyris, quæ nec tribulatióne, nec angústia, nec plagis, nec labóribus, nec præséntibus, neque futúris a Christo váluit separári!

℞. Lux perpétua.

Lectio v.

Vivébat in carne, et corde cum Christo jam pendébat in cruce, ideóque dicébat Christo : cruci confíxus sum; vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus. Longe excelléntius Martyr, sic mórtuus vivébat in Christo quam si felíciter florens, aliénus esset a Christo. Vides, quam lócuples talis sit mors, quæ vitam

cum Christo præstat ætérnam; sic plane mórtuus erat beátus Geórgius vivens in Christo. Mórtuus quippe erat vítiis, mórtuus erat sæculo, mórtuus erat et sibi. Nisi áliter fuísset mórtuus, mínime Christo vívere potuísset. An non mórtuus erat sæculo, qui oblátas dignitátes, et gáudia, pro amóre Christi et spe ætérnæ mercédis repudiávit ut stércora? Nonne vítiis erat defúnctus, qui labóribus, abstinéntia, paupertáte, virtutibúsque céteris corpus quotidiána maceratióne domábat? De tálibus Pauli voce dícitur : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixére cum vítiis et concupiscéntiis. Quómodo vero sibi ipsi vixísse sanctus iste dicéndus est, qui verbum Dei circumquáque disséminans, Christi glóriam audiéntium áuribus insonábat? Quos valébat auférre diábolo lucrabátur Christo. Magnanimitáte namque præcínctus, et caritátis dono suffúltus, coram régibus et terræ princípibus Christum líbera confitebátur voce.

℟. In servis.

Lectio vj.

Hinc factum est ut cárceri mancipa rétur, virgis et scorpiónibus cæderétur, lampadárum ustiónibus cremarétur, laniarétur, torquerétur, perimerétur. In his, quóniam vivébat Christo, se exhibébat ut mórtuum. Nulla plane in illo querimóniæ resonábat vox, nullus repugnándi motus. Tamquam bellátor præcípuus, arbitrátus est, fore incóngruum, ut patiénte rege, atque pro animárum occumbénte salúte, ipse segníter víveret, et sine certáminis exercitatióne defíceret; frequénter ánimo illud evangélicum revolvébat : majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Quamóbrem dilectiónem, quam habébat ad Dóminum, factis máluit osténdere quam verbis. Redemptórem útique suum non ingrátus de múnere, est imitátus in morte : de quo ait Prophéta : Sicut ovis ad occisiónem ductus est, et tamquam agnus coram tondénte sine voce, sic non apéruit os suum. Obmútuit plane iste, et os

suum nonnísi orándo, apéruit, quátenus hóstia Deo acceptábilis fíeret, nec illi in longanimitáte patiéntiæ invenirétur dissímilis, qui in crucis per passióne supplícii, elóquium nullum contradictiónis emísit. Hic gestum est, ut Dómini sui, sicut sócius éxstitit pœnæ, ita párticeps illíus efficerétur glóriæ, qui in cœlésti regno cum Patre et Spíritu Sancto triúmphat in sæcula.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Comm. Mm. Temp. Pasch. j. loco. Extra Temp. Pasch. Homilia.* Si considerémus. *de Comm. j. loco.*

DIE XXVI. APRILIS.

B. V. Mariæ de Bono Consilio.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXVII. APRILIS.

S. Anastasii I.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Feria ij. et iv. Rogationum. Fidélis sermo.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anastásius Románus fílius Máximi, Sirício vita functo, Románæ Ecclésiæ est ordinátus Epíscopus; quo eam præcláre regénte, de Oriéntis pártibus hæreticórum Origenistárum sæva tempéstas simplicitátem fídei, quæ Apóstoli voce laudáta est, pollúere, et labefactáre conáta est. Sed vir ditíssimæ paupertátis, et apostólicæ sollicitúdinis Anastásius, statim nóxium pérculit caput, et sibilántia hydræ ora compéscuit, latitantésque in fóveis suis hæréticos persecútus, suis in Occidénte lítteris damnávit, quod erat in Oriénte damnátum. Nec illi unquam cura défuit, Evangélii fidem circa suos custodíre pópulos, partésque pópuli sui, per quæque spátia divérsa terrárum diffúsas, quantum póterat, lítteris convenire, ne qua profánæ interpretatiónis orígo subréperet, quæ devótas ánimas immíssa sui calígine labefactáret.

℟. Invéni.

Lectio v.

AD eum, atque Venérium Mediolanénsis Ecclésiæ sacerdótem, Africána synodus Epíscopum legátum destinávit, ut eídem Africánæ Ecclésiæ sacris minístris máxime indigénti subvenirétur, ne in divérsis pene emórtuis plébibus (in quibus nec unus quidem Diáconus, vel litterátus reperiebátur) innumerábiles ánimæ perírent. Ad eósdem Africános Epíscopos epístolam misit Anastásius, patérnæ et fratérnæ caritátis sollicitúdine et sinceritáte eos adhórtans, ut hæreticórum et schismaticórum Donatistárum insídiis, et improbitátibus (quibus Africánam Ecclésiam cathólicam vexábant) nullo modo dissimulárent. Hujus item sancti Pontíficis auctoritáte factum est, ut Donatístæ Epíscopi, seu quílibet clérici, quantum ad ecclesiástica offícia pertinéret, sic in cathólicam susciperéntur unitátem, quemádmodum expedíre viderétur iis, quorum salúti per eórum consulebátur offícium, vel exercéndum, vel omitténdum.

℟. Pósui.

Lectio vj.

COnstítuit nullátenus transmarínum hóminem in clericátus honórem sine quinque Episcopórum chirógrapho suscipiéndum. Itémque sancívit, ut quotiescúmque sancta recitaréntur Evangélia, sacerdótes non sedérent, sed curvi starent. Fecit in Urbe basílicam Crescentiánam in regióne secúnda, via Mamertína. Duábus ordinatiónibus, mense Decémbri, creátis Presbyteris octo, Diáconis quinque, Epíscopis per divérsa loca decem, quiévit in pace, sepultúsque est in cœmetério suo ad Ursum Pileátum, sub Arcádio et Honório, quem (ut sanctus Hierónymus scribit) diu Roma habére non méruit, ne orbis caput sub tali Epíscopo truncarétur : imo idcírco raptus est, atque translátus, ne semel latam senténtiam précibus suis fléctere conarétur; nam haud multo post ejus óbitum, Roma a Gothis capta atque díruta fuit. ℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

DIE XXVIII. APRILIS.

(*d. a. ex xxvj. huj.*)

SS. Cleti et Marcellini

Pont. et Mart. Duplex.

Ut in Breviario die xxvj. hujus præt. ritum. Lectio ix. et Commem. S. Vitalis Mart.

DOMINICA MAII.

non impedita ritu dupl. j. classis.

Commemoratio

S. Eurosiæ

Virg. et Martyr.

Oratio. Deus qui inter cétera.

DOMINICA II. MAII.

Purissimi Cordis B. M. V.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Añæ et Capitulum de Laudibus. Psalmi et reliqua hic non propria, ut in Festis B. M. V.

℣. Exsúlta in omni corde fília Jerúsalem, allelúia. ℟. Rex Israel Dóminus in médio tui, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Exsultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo, allelúia.

Oratio de Laud.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invit. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum, allelúia. *Ps.* Veníte, exsultémus.

In I. Nocturno.

Aña. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui, allelúia.

℣. Anima mea liquefácta est, allelúia. ℟. Ut locútus est diléctus, allelúia.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. *Cap.* iv.

Quam pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua : et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum soror

mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me Dómine in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : lætétur cor meum, * Ut tímeat nomen tuum, allelúia. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. — Ut tímeat.

Lectio ij. *Cap.* v.

VEni in hortum meum soror mea sponsa, méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis: Aperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea : quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi, ut aperírem dilécto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo: at ille declináverat atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus fortitúdo mea, * Super excélsa dedúcet me, allelúia. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. — Super.

Lectio iij. *Cap.* v. *et* vj.

QUalis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulierum? quo declinávit diléctus tuus, et quærémus eum tecum? Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt : regínæ laudavérunt eam.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, *Qui consolátus es me, et

locútus es ad cor ancíllæ tuæ, allelúia. ℣. In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis. — Qui consolátus. Glória Patri. Qui.

In II. Nocturno.

Aña. Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

℣. Fortis est ut mors diléctio, allelúia. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio, allelúia.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Ex Serm. ix. *de Visitat.*

Lectio iv.

QUis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis Genitrice quidquam módicum, sive grande præsúmat pollútis lábiis nomináre : quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem digníssimam : Fílius elégit in Matrem : Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virgínei cordis, sanctíssimo ore prolátos éfferam, quibus non súfficit lingua ómnium hóminum, et étiam Angelórum? Dóminus enim ait : Bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quæ méruit éffici Mater Dei, quæ in corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo cor Vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ et glória : * Opes supérbæ et justítia, allelúia. ℣. Ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum rípleam. — Opes.

Lectio v.

DE hoc ígitur corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ caritátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum : aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens : sic de corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi, summéque divíni amóris atque ardó-

ris. Septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth bis étiam. Cum Fílio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine proláta, quasi sunt septem flammæ cordis ejus.

℟. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis : * In me omnis spes vitæ et virtútis, allelúia. ℣. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. — In me.

Lectio vj.

QUÆ verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, idest ómnibus affectiónibus elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedíctæ. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris soporántis. Sexta amóris compatiéntis. Séptima amóris consummántis.

℟. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino, allelúia. ℣. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam : omnes qui me odérunt, díligunt mortem. — Qui. Glória Patri. Qui.

In III. Nocturno.

Aña. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? allelúia.

℣. Ego diléco meo, allelúia. ℟. Et ad me convérsio ejus, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* ij. *g*

IN illo témpore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic?

Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Homil. Hiem. de Temp. Dom. I. post Epiph.

MAter ejus, inquit Evangelísta, conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Omnia quæ de Dómino vel a Dómino dicta, sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in corde retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus prædicándæ, sive scribéndæ incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem : * Neque flúmina óbruent eam, allelúia. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. — Neque.

Lectio viij.

HOrum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus : horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis, et male dulcorátis detractiónum collóquiis castigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus ¶ Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, sollícite præmonstrémus : frequentándo vidélicet Ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quæ ad laudem gloriámque Conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

℟. Spíritus meus super mel ducis, et heréditas mea super mel et favum. Qui audit me, non confundétur. * Et qui operántur in me, non peccá-

bunt, allelúia. ℣. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. — Et qui. Glória Patri. Et qui.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis. Sed si transferatur, Lect. ix. incipiet a signo ¶.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Trahe me * post te, currémus in odórem unguentórum tuórum, allelúia.

Psalmi de Dominica.

2. Diléctus meus * lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, allelúia.

3. Fulcíte * me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo, allelúia.

4. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis diléctam, quoadúsque ipsa velit, allelúia.

5. Ego dórmio, * et cor meum vígilat, allelúia.

Capitulum. *Cant.* viij. *b*

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cœli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, allelúia. ℟. Et háuriet salútem a Dómino, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum

præparásti: concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad Primam in ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Capit. Pone me. *ut supra.*

℟. *br.* Anima mea, liquefácta est, * allelúia, allelúia. Anima. ℣. Ut locútus est diléctus, allelúia, allelúia. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio, allelúia. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cœlis, ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est, ut mors diléctio, * allelúia, allelúia. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio, allelúia, allelúia. Glória Patri. Fortis est.

℣. Ego diléctо meo, allelúia. ℟. Et ad me convérsio ejus, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. *br.* Ego, Diléctо meo, * allelúia, allelúia. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus, allelúia, allelúia. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, allelúia. ℟. Et háuriet salútem a Dómino, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri, allelúia. ℟. Cum dilatásti cor meum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Exsultávit cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna qui potens est, allelúia.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

DIE VII. MAII.

S. Benedicti II.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogatio-num. Fidélis sermo.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEnedíctus hujus nóminis secúndus, Románus génere, patre Joánne ortus, post Leónis secúndi óbitum ad munus apostólicum assúmptus est, anno Christi sexcentésimo octogésimo quarto, et suprémum christiánæ reipúblicæ clavum novem círciter menses ténuit, digníssimus certe, qui diútius tenéret; cum a primis pueritiæ annis se totum ecclesiásticis ministériis addixísset, ac sédulam divínis lítteris et sacræ psalmódiæ óperam navásset.

℟. Invéni.

Lectio v.

HIC non uno dumtáxat nómine, verum étiam cœléstis benedictiónis grátia, et sanctæ conversatiónis exémplo Benedíctus, mansuétus, mitis et húmilis, insígnis étiam patiéntiæ, et páuperum amantíssimus, in quos larga manu réditus Ecclésiæ profúdit. Ad restaurándam quoque ac exornándam príncipis Apostolórum basílicam, aliásque Urbis ecclésias, ánimum et manum applícuit, in quo multa aureórum míllia pie consúmpsit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

MIrífico étiam conservándæ et propagándæ religiónis zelo flagrávit. Macárium Patriárcham Antiochénum, a sexta synodo propter hæresim depósitum, ad saniórem mentem redúcere summo stúdio laborávit. Scriptis étiam ad Epíscopos Hispániæ lítteris, eósdem mónuit, ut declarárent apértius et sánius, quæ de voluntáte Dei, et tribus Christi substántiis ante scrípserant. Constantínus vero imperátor tanto illum amóre et honóre prosecútus est, ut et capíllos suórum filiórum, in signum observántiæ. illi obtúlerit. Sancto tandem fine quiévit, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

præparásti : concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad Primam in ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Capit. Pone me. *ut supra.*

℟. *br.* Anima mea, liquefácta est, * allelúia, allelúia. Anima. ℣. Ut locútus est diléctus, allelúia, allelúia. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio, allelúia. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cœlis, ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est, ut mors diléctio, * allelúia, allelúia. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio, allelúia, allelúia. Glória Patri. Fortis est.

℣. Ego diléct o meo, allelúia. ℟. Et ad me convérsio ejus, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

IN omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. *br.* Ego, Diléct o meo, * allelúia, allelúia. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus, allelúia, allelúia. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, allelúia. ℟. Et háuriet salútem a Dómino, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri, allelúia. ℟. Cum dilatásti cor meum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Exsultávit cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna qui potens est, allelúia.

Et fit Commem. Dominicæ occurrentis.

DIE VII. MAII.
S. Benedicti II.
Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogationum. Fidélis sermo.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEnedíctus hujus nóminis secúndus, Románus génere, patre Joánne ortus, post Leónis secúndi óbitum ad munus apostólicum assúmptus est, anno Christi sexcentésimo octogésimo quarto, et suprémum christiánæ reipúblicæ clavum novem círciter menses ténuit, digníssimus certe, qui diútius tenéret; cum a primis puerítiæ annis se totum ecclesiásticis ministériis addixísset, ac sédulam divínis lítteris et sacræ psalmódiæ óperam navásset.

℟. Invéni.

Lectio v.

HIC non uno dumtáxat nómine, verum étiam cœléstis benedictiónis grátia, et sanctæ conversatiónis exémplo Benedíctus, mansuétus, mitis et húmilis, insígnis étiam patiéntiæ, et páuperum amantíssimus, in quos larga manu réditus Ecclésiæ profúdit. Ad restauréndam quoque ac exornándam príncipis Apostolórum basílicam, aliásque Urbis ecclésias, ánimum et manum applícuit, in quo multa aureórum míllia pie consúmpsit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

MIrífico étiam conservándæ et propagándæ religiónis zelo flagrávit. Macárium Patriárcham Antiochénum, a sexta synodo propter hæresim depósitum, ad saniórem mentem redúcere summo stúdio laborávit. Scriptis étiam ad Epíscopos Hispániæ lítteris, eósdem mónuit, ut declarárent apértius et sánius, quæ de voluntáte Dei, et tribus Christi substántiis ante scrípserant. Constantínus vero imperátor tanto illum amóre et honóre prosecútus est, ut et capíllos suórum filiórum, in signum observántiæ. illi obtúlerit. Sancto tandem fine quiévit, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XI. MAII.
S. Francisci de Hieronymo
Conf. Duplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE XIII. MAII.
S. Peregrini Latiosi
Conf. Duplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE XIV. MAII.
S. Paschalis I.
Pap. Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogat. Fidélis sermo.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Paschális, hujus nóminis primus, bíduo post Stéphani quinti óbitum vix exácto, commúnibus cleri suffrágiis, ad suprémum Sedis apostólicæ ápicem, invítus licet et valde relúctans, anno Dómini nostri Jesu Christi octingentésimo décimo séptimo promótus est. Vir sane omnígena doctrína, sacra præsértim instructíssimus, vitæ sanctimónia insígnis, dicéndi facultáte claríssimus, singulári dénique pietáte in Deum, et caritáte in próximum, ut exterióra bona hílari semper ánimo paupéribus erogábat, ita interióris ánimi opes, vigíliis, oratiónibus, et jejúniis vacans, accumulábat.

℟. Invéni.

Lectio v.

A Pueritia in Lateranénsis ecclésiæ patriarchío, sub óculis Pontíficum educátus, ita in omni virtútum génere, lítteris et disciplína ecclesiástica profécit, ut primum sacris ordínibus initiátus, mox ejus virtúte perspécta, a Leóne tértio monastério sancti Stéphani præféctus fúerit; in quo et súbditis sibi mónachis exémplo fuit, et peregrínos ad límina Apostolórum turmátim accedéntes ita excépit, ut ómnibus necessária suppeditáret iísque, Christum imitátus, abjécta étiam exhibéret ministéria : quibus pietátis et caritátis offíciis, digníssimus ómnium hábitus est, qui Domínico gregi, et toti Ecclésiæ præésset.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Nihil porro in eo desiderátum est, quod ad perféctam regíminis apostólici sollicitúdinem pertinéret. Ecclésiæ Occidentális disciplínam, quæ sub eo máxime flóruit, intáctam servávit; Orientálem vero ab imperatóre et Patriárcha Iconómachis agitátam, lítteris et legatióne recreávit, et Græcis Romam confugiéntibus monastérium sanctæ Praxédis, amplíssimis redítibus a se instrúctum, benígne concéssit. Multa étiam córpora Sanctórum ex cœmetériis, Pauli primi exémplo, ac præsértim sanctæ Cæcíliæ, ipsa monstránte et reveláute, in Urbem íntulit. Nova templa excitávit, restaurávit et mirífice ornávit antíqua. Xenodochía, et sacrárum vírginum cœnóbia novo censu recreávit. Exstíncti demum incéndii miráculo claríssimus, migrávit ad Dóminum, octávo sui pontificátus anno, et in Vaticána basílica cónditus est.

℟. Iste est.

In iij. Noct., Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco cum nona Lectione (ex duabus una) S. Bonifacii Mart. in Brev.*

DIE XVII. MAII.

S. Joannis Nepomuceni

Mart. Duplex.

Ut in fine Breviarii j. loco.

DIE XXI. MAII.

S. Felicis a Cantalicio

Conf. Semiduplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXII. MAII.

(D. a. ex vij. hujus.)

SS. tanislai

Episc. Mart. Duplex.

Ut in Breviario die vij. hujus.

DIE XXIII. MAII.

(D. a. ex xvij. hujus.)

S. Paschalis Baylon

Confessoris. Duplex.

Ut in Breviario die xvij. hujus.

DIE XXIV. MAII.

B. Mariæ Virginis *titulo* Auxilium Christ.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXVII. MAII.
S. Joannis I.

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogationum. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOánnes Etrúscus, Constantíno patre génitus, totíus cleri consénsu in locum Hormísdæ vita functi, ex Presbytero títuli Pammáchii subrogátus fuit. Justíno senióre imperatóre rexit Ecclésiam, ad quem proféctus est Constantinópolim, auxílii causa, quod Theodorícus rex hæréticus divexábat Itáliam. Cujus étiam iter Deus miráculis illustrávit. Nam cum ei nóbilis vir ad Corínthum equum, quo ejus uxor mansuéto utebátur, itíneris causa commodásset : factum est, ut dómino póstea remíssus equus, ita ferox eváderet, ut frémitu, et totíus córporis agitatióne semper deínceps dóminam expúlerit, tamquam indignarétur mulíerem recípere, ex quo sedísset in eo Jesu Christi Vicárius. Quamóbrem illi equum Pontífici donavérunt.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

SED illud majus miráculum, quod Constantinópoli, in áditu Portæ Aureæ, inspectánte frequentíssimo pópulo, qui una cum imperatóre Pontífici honóris causa occúrrerat, cœco lumen restítuit. Ad cujus pedes prostrátus étiam imperátor eum venerátus est. Rebus cum imperatóre compósitis, in Itáliam rédiit, statímque epístolam scripsit ad omnes Itáliæ Epíscopos, jubens eos Arianórum ecclésias ad cathólicum ritum consecráre, illud subjúngens : Quia et nos, quando fúimus Constantinópoli, tam pro religióne cathólica, quam pro regis Theodoríci causa, quascúmque illis in pártibus eórum ecclésias reperíre potúimus, cathólicas eas consecrávimus.

℟. In servis suis.

Lectio vj.

QUod iniquíssimo ánimo ferens Theodorícus, dolo accersítum Pontíficem

Ravénnam, in cárcerem conjécit, ubi squalóre inediáque afflíctus, paucis diébus cessit e vita, cum sedísset annos duos, menses novem, dies quatuórdecim : ordinátis eo témpore Epíscopis quíndecim. Paulo post móritur Theodorícus : quem quidam eremíta,ut scribit sanctus Gregórius, vidit inter Joánnem Pontíficem, et Symmachum patrícium, quem idem occíderat, demérgi in ignem Liparitánum : ut vidélicet illi, quibus mortem attúlerat, tamquam júdices essent ejus intéritus. Joánnis corpus Ravénna Romam delátum est, et in basílica sancti Petri sepúltum.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Communi.*

DIE XXVIII. MAII.

S. Urbani I.

Papæ Martyris.

Duplex.

Oratio.

DA quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogationum. A Miléto. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

URbánus Románus, Alexándro Sevéro imperatóre, doctrína et vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convértit : in illis Valeriánum beátæ Cæcíliæ sponsum, et Tibúrtium Valeriáni fratrem, qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiæ attribútis scripsit his verbis : Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offerúntur, non debent in álios usus, quam ecclesiásticos, et christianórum fratrum, vel indigéntium convérti : quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor; ac martyrio coronátus sepúltus est in cœmetério Prætextáti, octávo Ka-

léndas Júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense Decémbri, creávit Presbyteros novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca octo.

℟. Lux perpétua.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano Serm. xij.

Lectio v.

Sermónem éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Urbáni celebrámus. Tristis proculdúbio tunc ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis; semper cúpiens vidére præséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti lætítia cuncta, quæ tunc gesta sunt, legéndo recólimus : diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed exspectámus hiláriter redeúntem.

℟. In servis.

Lectio vj.

Vicína córporis morte, non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális, et cura tuéndi Domínici gregis, usque ad extrémum vitæ hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carníficis. Ita se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non obliviscerétur Epíscopum; magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli procónsuli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat : Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum ímitans, præparábat. ℟. Políæ.

In iij. Noct., Homilia. Iste locus. *de Communi.*

DIE XXIX. MAII.

S. Bonifacii IV.

Papæ Confess.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente. In

Feria ij. et iv. Rogationum. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BOnifácius hujus nóminis quartus, Joánnis fílius, Valériæ Marsórum natus, ex mónacho sancti Sebastiáni extra Urbem, et Presbytero Cardináli, sub imperatóre Phoca, ad Pontificátum assúmptus est, et consecrátus die Domínico, quinto Kaléndas Septémbris, anno Dómini sexcentésimo séptimo, sedítque annos sex, menses octo, dies trédecim, duábus ordinatiónibus peráctis mense Decémbri, in quibus Epíscopos vigínti quinque, Diáconos octo creávit.

℟. Invéni.

Lectio v.

STatim patérnam domum in monastérium eréxit, et fundos suos in monachórum usum eídem monastério ascrípsit; sed ut longe majóri benefício hujus institúti hómines sibi obstríngeret, convocátis ad synodum Itáliæ Epíscopis, sanctis légibus labéntem monachórum disciplínam restítuit. Mellítus Londinénsis Epíscopus, qui Romam vénerat, de rebus Anglicis Christi Vicárium consultúrus, synódo intérfuit, illiúsque decréta cum lítteris Bonifácii in Británniam tulit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

AB imperatóre Phoca sanctíssimus Póntifex nóbile Romæ delúbrum, Pántheon scílicet, obtínuit : christiáno ritu consecrátum in ecclésiam Deíparæ Vírgini, et sanctis Martyribus dicátam mutávit. Ad majórem sanctitátem conciliándam, incredíbilem sacrárum reliquiárum vim, ex divérsis arenáriis edúctam, inférri et juxta príncipem aram condi curávit. Dénique sub Heraclío virtúte ac méritis clarus obdormívit in Dómino octávo Kaléndas Június, sepultúsque est in Vaticáno. ℟. Iste est.

In iij. Noct., Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XXX. MAII.

S. Felicis I.

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogationum. A Miléto. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit, ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset Presbyteros novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca quinque, martyrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica, quam a se ædificatam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

℞. Lux perpétua.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. cxxxviij. verb. Dñi.

Lectio v.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Felix? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum, quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℞. In servis suis.

Lectio vj.

JAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátes et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant : ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur. Quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte : quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam : Jam ipsi sunt : sed vide quid séquitur :

caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem : et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia : détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Comm. j. loco temp. Pasch.*

DIE I. JUNII.
S. Alexandri I.
Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Feria ij. et iv. Rogationum. A Miléto.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

ALexánder Románus ex patre Alexándro de vico Caput Tauri, júvenis quidem ætáte, sed sanctitáte incomparábilis, et fide claríssimus, post Evarístum sedem apostólicam obtínuit. In memóriam passiónis Christi, primus in sacrifício Missæ áddidit: Qui prídie quam paterétur; usque ad ea verba : Hoc est corpus meum. Instítuit, ut tantúmmodo panis et vinum in mystério offerrétur, atque in consecratióne córporis et sánguinis Dómini vinum aqua miscerétur, propter sánguinem et aquam, quæ ex Jesu Christi látere profluxérunt. Idem decrévit, ut aqua benedícta sale admíxta, sacris précibus interpósitis, tam in templis, quam in cubículis ad fugándos dæmones perpétuo asservarétur. Cum autem esset christiánæ religiónis serventíssimus prædicátor, dum vixit, mirum in modum in hoc díligens fuit, ut doctrína, vitæque exémplo, quoscúmque posset, ad veram Christi religiónem perdúceret. ℟. Lux perpétua.

Lectio v.

CUM ígitur multis Romæ, ut, abjuráta falsa religióne, veram fidem suscíperent, persuasísset, senatóres áliquot, et Hermétem Urbis præféctum cum uxóre, fíliis, soróre, ac tota domo Jesu Christo péperit. Quam ob rem accusátus, quod Christiánus esset, ex príncipis

edícto captus, et in cárcerem conjéctus, ibídem diu, quod a christiánæ fídei professióne recédere nollet, deténtus est. Cum autem vinctus tenerétur, púeri ministério, qui facem ardéntem præferébat, prodigiósæ intempéstæ noctis siléntio, e cárcere ad domum Quiríni tribúni, ubi beátus Hermes Urbis præféctus paulo ante captus in custódia servabátur, edúctus, primum fíliam ejus Balbínam ægram sanávit, deínde patrem Quirínum miráculo attónitum, et ad Christum tradúctum cum fília baptísmi lavácro ábluit. Hinc vero factum est, ut Quirínus iis ómnibus, quotquot pro fide Christi vinctos habébat, libertátem abeúndi concésserit. Erant inter illos Evéntius, et Theodúlus, qui sancto Alexándro adjúncti, exíre de cárcere noluérunt, sed Deo laudes persolvéntes martyrii palmam constánter exspectárunt.

℟. In servis.

Lectio vj.

EX his sanctus Alexánder primum ab Aureliáno júdice interrogátus de christiánæ religiónis mystériis, ea reveláre nóluit, ásserens sanctum esse, quod Aureliánus manifestári cupiébat, et non permítti a Christo sanctum dari cánibus. Ob quæ verba beátus Póntifex in equúleum impósitus est, úngulis dilaniátus, atque lampádibus admótis gravíssime ustus; cumque nullam ámplius vocem emítteret, interrogátus ab Aureliáno, cur tacéret? hoc dignum Martyr respónsum dedit : Quia témpore oratiónis homo christiánus cum Deo lóquitur. Depósito Alexándro, exhíbiti sunt Evéntius et Theodúlus, quos cum Aureliánus in fide constántes invenísset, jussit Alexándrum et Evéntium dorsum ad dorsum ligátos in ignem præcipitári, Theodúlum vero ibídem astáre, ut quasi eórum pertérritus passióne, ad sacrificándum idólis consentíret. Cum autem Theodúlus sponte in flammas prosilíisset, et cum ipsis hymnos decantáret, ac Deo grátias ágeret, fecit ímpius judex Alexándrum punctis crebérrimis per ómnia membra perforári:

quo fine vir sanctus martyrium suum gloriόse complévit. Hujus corpus beáta Sevéra religiósa fémina sústulit, et cum córpore beáti Evéntii gládio consummáti, in uno eodémque sepúlcro pósuit via Nomentána in prædio suo, unde póstea ad Urbem translátum, in ecclésia sanctæ Sabínæ recónditum fuit.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Communi.*

DIE II. JUNII.
S. Eugenii I.
Papæ Conf.

Duplex (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Feria ij. et iv. Rogat. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEáto Martíno hujus nóminis primo, tyránnica hæretici imperatóris senténtia Chersónam relegáto, Theodóro exárcho instánte, Eugénius, pátria Románus, qui fere a cunábulis sacro clericórum órdini se addíxerat, abséntis Pontíficis vices gessit, ne Románæ Ecclésiæ administrátio cessásse omníno viderétur; sed hac revéra potestáte modéste uti visus est, cum probe sciret, Martíno vivénte, se legítimum Pontíficem non esse, sed illíus dumtáxat quasi vices geréntem.

℟. Invéni.

Lectio v.

UBI vero prædíctus Christi Martyr, ærúmnis et inédia conféctus, ad beátam vitam migravísset, in cáthedra Petri, clero consentiénte, ut legítimus Petri succéssor sedit, et in illo apostólici ministérii cúlmine talem se gessit, qualem suprémi múneris ei crédití dígnitas, et ómnium Christi fidélium ejus curæ commissórum salus et utílitas postulábant; mitis enim fuit, benígnus et mansuétus; et quod caput est, vitæ sanctimónia illústris.

℟. Pósui.

Lectio vj.

SIngulárem cleri curam hábuit, quem patérno semper amóre, et multis

benefíciis prosecútus est. In egénos tamen mirábilis ejus beneficéntia enítuit, quibus réditus Ecclésiæ vivens, et móriens liberáli manu erogávit, appríme ratus Ecclésiæ opes ad nobilióres usus applicári non posse, et ex mánibus indigéntium ad æternitátis ærárium cum incredíbili spirituális usúræ lucro, recta tradúci. Transáctis demum duóbus annis et novem fere ménsibus, sancto fine quiévit, anno Christi sexcentésimo quinquagésimo quinto, et ejus corpus in basílica sancti Petri recónditum fuit.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

Nona Lectio (ex duabus una) SS. Marcellini, Petri et Erasmi, cum eorum Commem. in Laudibus.

DIE III. JUNII.
S. Eleutherii
Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura accurr. In Feria iv. Rogationum. A Miléto. *de Communi.*

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Eleuthérius, natióne Græcus, Abúndio patre natus Nicópoli Epíri óppido, ex Presbytero sanctæ Románæ Ecclésiæ, post Sotéris mortem totíus cleri suffrágiis, Románus Póntifex renuntiátus est, Marco Aurélio imperatóre Augústo, anno Dómini centésimo septuagésimo nono. Quo múnere egrégie, et summa cum laude functus est annos quíndecim, dies vigínti tres: tribus ordinatiónibus mense Decémbri factis, creatísque Presbyteris duódecim, Diáconis octo, Epíscopis per divérsa loca quíndecim.

℟. Lux perpétua

Lectio v.

Ab Ecclésia Lugdunénsi per lítteras de nonnúllis quæstiónibus consúltus, Irenæum virum doctíssimum litterárum latórem humániter excépit, eíque apostólicas traditiónes, quas Romána Ecclésia illibátas serváverat, apéruit. Superstitiósas Montanistárum xerophágias damnávit: óptimas leges pro

recta judiciórum ecclesiasticórum forma præscrípsit : Marciónem et Valentínum sæpius relápsos, ab Ecclésia pénitus ejécit. ℟. In servis suis.

Lectio vj.

CUM summa pace Ecclésia fruerétur, multos étiam ex optimátibus ad Christi fidem Romæ convértit. A Lúcio Britannórum rege lítteras per legátos accépit, divíni verbi minístros postulánte, ad quem Fugátium et Damiánum Románæ Ecclésiæ Presbyteros misit, a quibus rex ipse cum tota família, et súbditi fere omnes sacro lavácro regeneráti fuére. His demum, aliísque pro divíno cultu peráctis, sancto fine quiévit, sub imperatóre Cómmodo quinto Kaléndas Június, sepúltus in Vaticáno. ℟. Fíliæ.

In iij. Nocturno, Hom. Iste locus. *de Communi.*

DIE VII. JUNII.

(D. a. ex xxix. Maii.)

S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis

Virginis. Duplex.

Ut in Breviario die xxix. Maii.

DIE VIII. JUNII.

(D. a. ex xxviij. Maii.)

S. Augustini Cant.

Episc. Conf. Duplex.

Ut in Breviario die xxviij. Maii.

DIE IX. JUNII.

Patrocinium S. Terentii

Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

In utrisque Vesp. et ad Laud. ℣. Ora pro nobis, beáte Teréntii. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

In j. Vesp. ad Magnif.

Aña. Beátus Christi Martyr Teréntius, contempta mundi glória, nunc póssidet cœli gáudia : ipse ad Deum pro nobis intercédat.

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. et iij. Noct. de Communi ij. loco.

Ad Bened. Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum sanctis in cœlo triúmphas : súpplices te júgiter flagitámus, quatenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

In ij. Vesp. ad Magnif. Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

DIE XII. JUNII.

S. Leonis III.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

Lectio iv.

LEO, hujus nóminis tértius, Románus ex patre Asúppio, a pueritia in Vestiário patriarchíi Lateranénsis in omnem ecclesiásticam ac divínam disciplínam educátus, ex mónacho sancti Benedícti, Présbyter Cardinális, ac demum Póntifex máximus, incredíbili ómnium consensióne, ipso die óbitus Adriáni creátus est, anno septingentésimo nonagésimo quinto; sedítque in sancta Petri sede annos vigínti, menses quinque, dies decem et septem.

Lectio v.

TAlem se in pontificátu exhíbuit, qualem se ante assumptiónem præbúerat; piíssimum scílicet, mitíssimum, singulári in Deum religióne, erga próximum caritáte, prudéntia in rebus geréndis, páuperum, ægrorúmque paréntem, Ecclésiæ defensórem, divíni cultus promotórem, útpote qui máxima quæque pro Christo et Ecclésia sédulo præstitit, et patiénter tolerávit.

Lectio vj.

CUM ab ímpiis, érutis óculis, et confóssus vulnéribus semivívus relíctus fuísset, postrídie per insígne miráculum sanus invéntus est, iisdémque parricídis vitam suis précibus obtínuit. Cárolo Magno Francórum regi Románum impérium détulit : peregrínis amplíssimum xenodochíum exstrúxit : patrimónium, aliósque fundos paupéribus ascri-

psit. Basílicas Urbis, præsértim Lateranénsem (in cujus patriarchío Triclínium magnum super ómnia Triclínia fundávit) et sacras ædes tot, ac tantis divítiis cumulávit, ut fidem omnem superáre videátur. Vitam demum religiosíssimam pio fine coronávit, prídie Idus Júnii anno Dómini octingentésimo décimo sexto, et sepúltus est in Vaticáno.

DIE XV. JUNII.

(*D. a. ex xij. huj.*)

S. Joannis a S. Facundo

Confessoris. Duplex.

Ut in Breviario die xij. hujus.

DIE XVI. JUNII.

(*D. a. ex xv. Maii.*)

S. Bedæ Venerabilis

Conf. et Eccl. Doct. Duplex (*m. t. v.*)

Ut in Brev. die xv. Maii.

DIE XVII. JUNII.

(*D. a. ex xxviij. Aprilis.*)

S. Pauli a Cruce

Confessoris. Duplex.

Ut in Breviario die xxviij. Aprilis.

DIE XVIII. JUNII.

S. Isidori Agricolæ

Conf. Duplex.

Ad modum simplicis recolendum.

Oratio ut inter Festa pro aliquibus locis die xv. Maii. Commem. SS. Marci et Marcelliani. MM.

COMMEMORATIO S. TERENTII MART.

IN SUFFRAGIIS FACIENDA.

AD VESPERAS.

Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : Ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

AD LAUDES.

Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum Sanctis in cœlo triúmphas, súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Tam ad Vesp. quam ad Laud. ab Oct. Epiph. usque ad Purif. dicitur sequens.

℣. Ora pro nobis, beáte Terénti.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

A Purif. usque ad Adventum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

PRO CANONICIS CATHEDRALIS.

COMMEM. S. THOMÆ APOSTOLI.

AD VESP. ET AD LAUD.

Aña. Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt. (Allelúia.)

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ commemoratióne gloriári; ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

Kalendarium perpetuum

pro Clero Civit. et Diœc. Pisaurensis.

FESTA MOBILIA.

* Feria VI. post Cineres Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.
* Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.
* Feria VI. post Dom. II. Quadrages. Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.
* Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacrorum quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi, *dupl. maj. Comm.* Feriæ.
* Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi, *dupl. maj. Comm.* Feriæ.
Feria VI. post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. Mariæ Virg., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

FEBRUARIUS.

10 S. Scholasticæ Virg., *dupl.*
11 SS. Septem Fundator. Ord. Servor. B. M. V., *dupl.*
12* S. Feliciani Ep. et Mart., *dupl.*
13* S. Gregorii II. Pap. Conf., *dupl.*
14* S. Dionysii I. Pap. Conf., *dnpl. Comm.* S. Valentini M.
15* S. Zosimi I. Pap. et Conf., *dupl. Comm.* SS. Faustini et Soc. MM.
16* B. Gregorii X. Pap. et Conf., *dupl.*
17* S. Antheri Pap. Mart., *dupl.*
18* S. Telesphori Pap. et Mart., *dupl. Comm.* S. Simeonis Ep. et Mart.
19* S. Agathonis I. Pap. et Conf., *dupl.*
20* S. Hygini I. Pap. et Mart., *dupl.*
21* S. Josephi a Leonissa Conf., *dupl.*
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiæ, *dupl. majus. Comm.* S. Pauli Ap.
23 *Vigilia.* S. Petri Damiani. Card. Ep. C. et Doct., *dupl.*
24 S. Mathiæ Ap., *dupl. ij. class.*
25* S. Felicis III. Pap. et Conf., *dupl.*
26* B. Antonii ab Amandula Conf., *dupl.*
27* S. Raymundi de Pennafort Conf., *semidupl.* (*ex* 23 *Jan.*)
28* S. Maronis Mart., *dupl.*

In Anno Bissextili Februar. habet dies 29; *ac proinde: de S. Mathia Ap. fit die* 25. *de S. Felice III. Pap. et Conf. die* 26.

COMMEMORATIO S. TERENTII MART.

IN SUFFRAGIIS FACIENDA.

AD VESPERAS.

Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : Ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

AD LAUDES.

Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum Sanctis in cœlo triúmphas, súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Tam ad Vesp. quam ad Laud. ab Oct. Epiph. usque ad Purif. dicitur sequens.

℣. Ora pro nobis, beáte Terénti.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

A Purif. usque ad Adventum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Propitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

PRO CANONICIS CATHEDRALIS.

COMMEM. S. THOMÆ APOSTOLI.

AD VESP. ET AD LAUD.

Aña. Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt. (Allelúia.)

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ commemoratióne gloriári; ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

Kalendarium perpetuum

pro Clero Civit. et Diœc. Pisaurensis.

FESTA MOBILIA.

* Feria VI. post Cineres Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J.C., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

* Feria VI. post Dom. I. Quadrag. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

* Feria VI. post Dom. II. Quadrages. Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

* Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacrorum quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi, *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

* Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi, *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

Feria VI. post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. Mariæ Virg., *dupl. maj. Comm.* Feriæ.

FEBRUARIUS.

10 S. Scholasticæ Virg., *dupl.*
11 SS. Septem Fundator. Ord. Servor. B. M. V.. *dupl.*
12* S. Feliciani Ep. et Mart., *dupl.*
13* S. Gregorii II. Pap. Conf., *dupl.*
14* S. Dionysii I. Pap. Conf., *dnpl. Comm.* S. Valentini M.
15* S. Zosimi I. Pap. et Conf., *dupl. Comm.* SS. Faustini et Soc. MM.
16* B. Gregorii X. Pap. et Conf., *dupl.*
17* S. Antheri Pap. Mart., *dupl.*
18* S. Telesphori Pap. et Mart., *dupl. Comm.* S. Simeonis Ep. et Mart.
19* S. Agathonis I. Pap. et Conf., *dupl.*
20* S. Hygini I. Pap. et Mart., *dupl.*
21* S. Josephi a Leonissa Conf., *dupl.*
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiæ, *dupl. majus. Comm.* S. Pauli Ap.
23 *Vigilia.* S. Petri Damiani. Card. Ep. C. et Doct., *dupl.*
24 S. Mathiæ Ap., *dupl. ij. class.*
25* S. Felicis III. Pap. et Conf., *dupl.*
26* B. Antonii ab Amandula Conf., *dupl.*
27* S. Raymundi de Pennafort Conf., *semidupl.* (*ex* 23 *Jan.*)
28* S. Maronis Mart., *dupl.*

In Anno Bissextili Februar. habet dies 29; *ac proinde:*
de S. Mathia Ap. fit die 25.
de S. Felice III. Pap. et Conf. die 26.

de B. Antonio ab Amandula die 27.
de S. Raymundo de Pennafort Conf. die 28.
de S. Marone Mart. die 29.
vacua remanente die 24 *Februarii.*

MARTIUS.

1* S. Martinæ Virg. et Mart., *semidupl.* (*ex* 30 *Januar.*)
2* S. Simplicii Pap. et Conf., *dupl.*
3* S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg., *dupl.*
4* S Lucii I. Pap. et Mart., *dupl.*
5* B. Hieronymi Ghirardutii Conf., *dupl.*
6* S. Casimiri Regis Conf., *semid.* (*ex* 4 *huj.*)
7 S. Thomæ Aquin. Conf. et Doct., *dupl. Comm.* SS. Perpetuæ et Soc. MM.
8 S. Joannis de Deo Conf., *dupl.*
9 S. Franciscæ Romanæ Vid., *dupl.*
10 SS. Quadraginta Militum Mart., *semidupl.*
11* S. Margaritæ Corton. Pœnit., *semidupl.* (*ex* 23 *Febr.*)
12 S. Gregorii I. Pap Conf. et Doct., *dupl.*
13* S. Titi Ep. et Conf., *dupl.*
14* S. Cyrilli Alexandrini Ep. Conf. et Doct, *dupl.* (*ex* 9 *Februarii.*)
15* S. Zachariæ Pap. et Conf., *dupl.*
16* S. Exuperantii Ep. et Conf., *dupl.* (*ex* 24 *Jan.*)
17 S. Patritii Ep. et Conf., *dupl.*
18* S. Gabrielis Archangeli, *dupl. maj.*
19 S. Joseph Sponsi B. Mariæ Virg, *dupl. j. class.*
20* S. Cyrilli Hieros. Ep. Conf. et Doct., *dupl.* (*ex* 18 *huj.*)
21 S. Benedicti Abb., *dupl. maj.*
22* S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Vid., *dupl.*
23
24
25 Annuntiatio B. Mariæ Virg., *dupl. j. class.*
26
27 S. Joannis Damasceni Conf. et Doct., *dupl.*
28* S. Xysti III. Pap. et Conf., *dupl.*
29* S. Dominici Abb., *dupl.*
30* S. Joannis a Capistrano Conf. *semid.* (*ex* 28 *huj.*)
31

APRILIS.

1
2 S. Francisci de Paula Conf., *dupl.*
3
4 S. Isidori Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
5 S. Vincentii Ferrerii Conf., *dupl.*
6* S. Xysti I. Pap. Mart., *dupl.*
7* S. Cœlestini I. Pap. et Conf., *dupl.*

8
9
10
11 S. Leonis I. Pap. Conf. et Doct., *dupl.*
12* S. Julii I. Pap. et Conf., *dupl.*
13 S. Hermenegildi Mart., *semidupl.*
14 S. Justini Matt. *dupl. Comm.* SS. Tiburtii et Soc. MM.
15
16
17* S. Aniceti Pap, et Mart., *dupl.*
18
19* S. Leonis IX. Pap. et Conf., *dupl.*
20
21 S. Anselmi Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
22* SS. Soteris et Caji Pont. et Mart., *dupl.*
23* S. Georgii Mart., *dupl.*
24 S. Fidelis a Sigmaringa Mart., *dupl.*
25 S. Marci Evangelistæ, *dupl. ij. classis.*
26* B. Mariæ Virginis de Bono Consilio, *dupl. maj.*
27* S. Anastasii I. Pap. et Conf, *dupl.*
28* SS. Cleti et Marcelliani Pont. et Mart., *dupl.* (*ex* 26 *huj.*) *Comm.* S. Vitalis Mart.
29 S. Petri Mart., *dupl.*
30 S. Catharinæ Senensis Virg., *dupl.*

FESTUM MOBILE.

Domin. III. post Pascha, Patrocinii S. Joseph Sponsi B. Mariæ V., *dupl. ij. class. Comm.* Domin.

MAIUS.

1 SS. Philippi et Jacobi, Ap., *dupl. ij. class.*
2 S. Athanasii Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
3 Inventio SS. Crucis D. N. J. C., *dupl. ij. class. Comm.* SS. Eventii et Soc. Mart.
4 S. Monicæ Vid., *dupl.*
5 S. Pii V. Pap. et Conf., *dupl.*
6 S. Joannis Ap. et Ev. ante Portam Latinam, *dupl. maj.*
7* S. Benedicti II. Pap. Conf., *dupl.*
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli, *dupl. maj.*
9 S. Gregorii Nazianz. Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
10 S. Antonini Ep. et Conf., *dupl. Comm.* SS. Gordiani et Soc. Mart.
11* S. Francisci de Hieronymo Conf., *dupl.*
12 SS. Nerei et Soc. Mart., *semidupl.*
13* S. Peregrini Latiosi Conf., *dupl.*
14* S. Paschalis I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Bonifacii M.
15 S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf., *dupl.*

16 S. Ubaldi Ep. et Conf., *dupl.*
17* S. Joannis Nepomuceni Mart., *dupl.*
18 S. Venantii Mart., *dupl.*
19 S. Petri Cœlestini Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Pudentianæ Virg.
20 S. Bernardini Senensis Conf., *semidupl.*
21* S. Felicis a Cantalicio Conf., *semidupl.*
22* S. Stanislai Ep. Mart. *dupl.* (*ex* 7 *huj.*)
23* S. Paschalis Baylon Conf. *dupl.* (*ex* 17 *huj.*)
24* B. M. Virg. titulo Auxilium Christianorum, *dupl. maj.*
25 S. Gregorii VII. Pap. Conf., *dupl.*
26 S. Philippi Nerii Conf., *dupl.*
27* S. Joannis I. Pap. Mart., *dupl.*
28* S. Urbani I. Pap. Mart., *dupl.*
29* S. Bonifacii IV. Pap. Conf., *dupl.*
30* S. Felicis I. Pap. Mart., *dupl.*
31 S. Angelæ Mericiæ Virg., *dupl. Comm.* S. Petronillæ V.

FESTA MOBILIA.

Dominica ad libitum non impedita ritu duplici primæ classis. Commem. S. Eurosiæ Virg. et Mart. *simpl.*

* Dom. II. Maii. Purissimi Cordis B. M. Virg. *dupl. maj. Comm.* Domin.

JUNIUS.

1* S. Alexandri I. Pap. Mart., *dupl.*
2* S. Eugenii I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* SS. Marcellini et Soc. Mart.
3* S. Eleutherii I. Pap. Mart., *dupl.*
4 S. Francisci Carraciolo Conf., *dupl.*
5 S. Bonifacii Ep. et Mart., *dupl.*
6 S. Norberti Ep. Conf., *dupl.*
7* S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis V., *dupl.* (*ex* 27 *Maii.*)
8* S. Augustini Cantuar. Episc. Conf., *dupl.* (*ex* 28 *Maii.*)
9* Patrocinii S. Terenti Mart., *dupl. maj. Comm.* SS. Primi et Soc. Mart.
10 S. Margaritæ Reginæ Scotiæ Vid., *semidupl.*
11 S. Barnabæ Ap. *dupl. maj.*
12* S. Leonis III. Pap. Conf., *dupl. Comm.* SS. Basilidis et Soc. Mart.
13 S. Antonii Patavini Conf., *dupl.*
14 S. Basilii Ep. Conf. et Doct. *dupl.*
15* S. Joannis a S. Facundo Conf. *dupl.* (*ex* 12 *huj.*) *Comm.* SS. Viti et Soc. Mart.
16* S. Bedæ Venerabilis Conf. et Doct., *dupl.*
17* S. Pauli a Cruce Conf., *dupl.* (*ex* 28 *Aprilis.*)
18* S. Isidori Agricolæ Conf., *dupl. Comm.* SS. Marci et Soc. Mart.



OFFICIA PROPRIA SANCTORUM
Clero PISAURENSI indulta.

PARS ÆSTIVA.

DOMINICA MAII
AD LIBITUM
non imped. ritu dupl. j. cl.
Commemoratio
S. Eurosiæ
Virg. et Mart.

Oratio. Deus qui inter.

DOMINICA II. MAII.
Purissimi Cordis
B. M. V.
Duplex majus.

Ut in fine Breviarii, Domin. iij. post Pentec.

DIE XVII. MAII.
S. Joannis Nepomuceni
Mart. Duplex.

Ut in fine Breviarii ex heri j. loco.

DIE XXI. MAII.
S. Felicis a Cantalicio
Conf. Semiduplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXII. MAII.
(*D. a. ex vij. huj.*)
S. Stanislai
Episc. et Mart. Duplex.

Oratio.

DEus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit : præsta quæsumus, ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

STanisláus Polónus, apud Cracóviam nóbili génere natus, et piis paréntibus, qui ántea per annos trigínta stériles, illum a Deo précibus impetrárunt, ab ineúnte ætáte futúræ sanctitátis spécimen dedit. Adoléscens bonis ártibus óperam navávit, multúmque in sacra cánonum et theológiæ doctrína profécit : paréntibus mórtuis, amplum patrimónium paupéribus distríbuit, vitæ monásticæ desidério. Sed Dei providéntia canónicus Cracoviénsis, et concionátor factus a Lampérto Epíscopo, in ejus póstea locum, quamvis invítus, suffícitur. Quo in múnere, ómnium pastorálium virtútum laude, et præcípue misericórdia in páuperes enítuit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

ERat tum Polóniæ rex Bolesláus, quem gráviter offéndit, quod illíus notam libídinem públice arguébat. Quare in solémni regni convéntu Stanisláum per calúmniam in judícium coram se vocári curat, tamquam pagum occupáret, quem Ecclésiæ suæ nómine coémerat. Quod cum neque tábulis probáre posset, et testes veritátem dícere timérent; spondet Epíscopus, se Petrum pagi venditórem, qui triénnio ante obíerat, intra dies tres in judícium adductúrum. Conditióne cum risu accépta, vir Dei toto tríduo jejúniis et oratióni incúmbit : ipso sponsiónis die, post oblátum Missæ sacrifícium, Petrum e sepúlcro súrgere jubet : qui statim redivívus, Epíscopum ad régium tribúnal eúntem séquitur, ibíque rege et céteris stupóre attónitis, de agro a se véndito, et prétio rite sibi ab Epíscopo persolúto, testimónium dicit, atque íterum in Dómino obdormívit.

℟. Desidérium.

Lectio vi.

AT Bolesláum frustra sæpe admónitum, Stanisláus tandem a fidélium communióne rémovet. Ille iracúndia furens, mílites

in ecclésiam immíttit, ut sanctum Epíscopum confódiant : qui ter conáti, occúlta vi, tértio divínitus sunt depúlsi. Postrémo ímpius rex sacerdótem Dei, hóstiam immaculátam ad altáre offeréntem, sua manu obtrúncat : corpus membrátim concísum, et per agros projéctum, áquilæ a feris mirabíliter deféndunt. Mox canónici Cracoviénses sparsa membra, noctúrni de cœlo splendóris indício cólligunt, et suis locis apte dispónunt : quæ súbito ita inter se copuláta sunt, ut nulla vúlnerum vestígia exstárent. Multis prætérea miráculis servi sui sanctitátem Deus declarávit post ejus mortem; quibus permótus Innocéntius quartus summus Póntifex, illum in Sanctórum númerum rétulit. Clemens vero octávus, Póntifex máximus, sancti Stanisláí festo die in Románum Breviárium reláto, gloriósi Mártyris memóriam dúplici Offício ubíque celebrári jussit.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Hom. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XXIII. MAII.

(D. a. ex. xvij. huj.)

S. Paschalis Baylon

Conf. Duplex.

Ut in Breviario die xvij. hujus.

DIE XXIV. MAII.

B. Mariæ V. *titulo* Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE XXVII. MAII.

S. Joannis I.

Papæ et Mart. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos beáti. *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOánnes Etrúscus, Constantíno patre génitus, totíus cleri consénsu in locum Hormísdæ vita functi, ex Presbytero títuli Pammáchii subrogátus fuit. Justino senióre imperatóre rexit Ecclésiam, ad quem proféctus est Constantinópolim, auxílii causa, quod Theodoricus rex hæ-

réticus divexábat Itáliam. Cujus étiam iter Deus miráculis illustrávit. Nam cum ei nóbilis vir ad Corínthum equum, quo ejus uxor mansuéto utebátur, itíneris causa commodásset : factum est, ut dómino póstea remíssus equus ita ferox eváderet, ut frémitu, et totíus córporis agitatióne semper deínceps dóminam expúlerit, tamquam indignarétur mulíerem recípere, ex quo sedísset in eo Jesu Christi Vicárius. Quamóbrem illi equum Pontífici donavérunt.

℞. Honéstum.

Lectio v.

SEd illud majus miráculum, quod Constantinópoli, in áditu Portæ Aureæ, inspectánte frequentíssimo pópulo, qui una cum imperatóre Pontífici honóris causa occúrrerat, cæco lumen restítuit. Ad cujus pedes prostrátus étiam imperátor eum venerátus est. Rebus cum imperatóre compósitis, in Itáliam rédiit, statímque epístolam scripsit ad omnes Itáliæ Epíscopos, jubens eos Arianórum ecclésias ad cathólicum ritum consecráre, illud subjúngens : Quia et nos, quando fúimus Constantinópoli, tam pro religióne cathólica, quam pro regis Theodoríci causa, quascúmque illis in pártibus eórum ecclésias reperíre potúimus, cathólicas eas consecrávimus.

℞. Desidérium.

Lectio vi.

QUod iniquíssimo ánimo ferens Theodoricus, dolo accersítum Pontíficem Ravénnam, in cárcerem conjécit, ubi squalóre inediáque afflíctus, paucis diébus cessit e vita, cum sedísset annos duos, menses novem, dies quatuórdecim : ordinátis eo témpore Epíscopis quíndecim. Paulo post móritur Theodoricus : quem quidam eremíta, ut scribit sanctus Gregórius, vidit inter Joánnem Pontíficem, et Symmachum patrícium, quem idem occíderat, demérgi in ignem Liparitánum : ut vidélicet illi, quibus mortem attúlerat, tamquam júdices essent ejus intéritus. Joánnis corpus Ravénna Romam delátum est, et in basílica sancti Petri sepúltum.

℞. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Hom. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Communi, cum* ℞. *viij.* Dómine prævenísti.

DIE XXVIII. MAII.
S. Urbani I.
Papæ Mart. Duplex.

Oratio.

DA quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

URbánus Románus, Alexándro Sevéro imperatóre, doctrína et vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convértit : in illis Valeriánum beátæ Cæcíliæ sponsum, et Tibúrtium Valeriáni fratrem, qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiæ attribútis scripsit his verbis : Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offerúntur, non debent in álios usus, quam ecclesiásticos, et christianórum fratrum, vel indigéntium convérti : quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor; ac martyrio coronátus sepúltus est in cœmetério Prætextáti, octávo Kaléndas Júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense Decémbri, creávit Presbyteros novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca octo. ℞. Honéstum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano Serm. xij.

Lectio v.

SErmónem éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Urbáni celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis; semper cúpiens vidére præséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam

cum ingénti lætítia cuncta, quæ tum gesta sunt, legéndo recólimus : diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed exspectámus hiláriter redeúntem.

℞. Desidérium.

Lectio vj.

VIcína córporis morte, non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális, et cura tuéndi Domínici gregis, usque ad extrémum vitæ hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carníficis. Ita se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non obliviscerétur Epíscopum; magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli procónsuli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat: Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum ímitans præparábat.

℞. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Communi Conf. Pont. j. loco, cum* ℞℞. *unius Martyris.*

DIE XXIX. MAII.

S. Bonifacii IV.

Papæ Conf.

Duplex (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BOnifácius hujus nóminis quartus, Joánnis fílius, Valériæ Marsórum natus, ex mónacho sancti Sebastiáni extra Urbem, et Presbytero Cardináli, sub imperatóre Phoca, ad pontificátum assúmptus est, et consecrátus die Domínico, quinto Kaléndas Septémbris, anno Dómini sexcentésimo séptimo, sedítque annos sex, menses octo, dies trédecim, duábus ordinatiónibus peráctis mense Decémbri, in quibus Epíscopos vigínti quinque, Diáconos octo creávit.

℞. Invéni.

Lectio v.

STatim patérnam domum in monastérium eréxit, et fundos suos in monachórum usum eídem monastério ascrípsit; sed ut longe majóri benefício hujus institúti hómines sibi obstríngeret, convocátis ad synodum Itáliæ Epíscopis, sanctis légibus labéntem monachórum disciplínam restítuit. Mellítus Londinénsis Epíscopus, qui Romam vénerat, de rebus Anglicis Christi Vicárium consultúrus, synodo intérfuit, illiúsque decréta cum lítteris Bonifácii in Británniam tulit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

AB imperatóre Phoca sanctíssimus Póntifex nóbile Romæ delúbrum, Pántheon scílicet, obtínuit : christiáno ritu consecrátum in ecclésiam Deíparæ Vírgini, et sanctis Martyribus dicátam mutávit. Ad majórem sanctitátem conciliándam, incredíbilem sacrárum reliquiárum vim, ex divérsis arenáriis edúctam, inférri et juxta príncipem aram condi curávit. Dénique sub Heraclío virtúte ac méritis clarus obdormívit in Dómino octávo Kaléndas Júnii, sepultúsque est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XXX. MAII.

S. Felicis I.

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit, ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset Presbyteros novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca quinque, martyrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica, quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

℟. Honéstum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De Verbis Domini. I.

Lectio v.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Felix? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum, quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

JAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátes, et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant : ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte : quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam : jam ipsi sunt : sed vide quid séquitur : caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem : et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia : détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE I. JUNII.

S. Alexandri I.

Papae Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ALexánder Románus ex patre Alexándro de vico Caput Tauri, júvenis quidem ætá-

te, sed sanctitáte incomparábilis, et fide claríssimus, post Evarístum Sedem apostólicam obtínuit. In memóriam passiónis Christi, primus in sacrifício Missæ áddidit : Qui prídie quam paterétur; usque ad ea verba : Hoc est corpus meum. Instítuit, ut tantúmmodo panis et vinum in mystério offerrétur, atque in consecratióne córporis et sánguinis Dómini vinum aqua miscerétur, propter sánguinem et aquam, quæ ex Jesu Christi látere profluxérunt. Idem decrévit, ut aqua benedícta sale admíxta, sacris précibus interpósitis, tam in templis, quam in cubículis ad fugándos dæmones perpétuo asservarétur. Cum autem esset christiánæ religiónis ferventíssimus prædicátor, dum vixit, mirum in modum in hoc díligens fuit, ut doctrína, vitæque exémplo, quoscúmque posset, ad veram Christi religiónem perdúceret. ℟. Honéstum.

Lectio v.

CUM ígitur multis Romæ, ut, abjuráta falsa religióne, veram fidem suscíperent, persuasísset, senatóres áliquot, et Hermétem Urbis præféctum cum uxóre, fíliis, soróre, ac tota domo Jesu Christo péperit. Quam ob rem accusátus, quod Christiánus esset, ex príncipis edícto captus, et in cárcerem conjéctus, ibídem diu, quod a christiánæ fídei professióne recédere nollet, deténtus est. Cum autem vinctus tenerétur, púeri ministério, qui facem ardéntem præferébat, prodigiósæ intempéstæ noctis siléntio, e cárcere ad domum Quiríni tribúni, ubi beátus Hermes Urbis præféctus paulo ante captus in custódia servabátur, edúctus, primum fíliam ejus Balbínam ægram sanávit, deínde patrem Quirínum miráculo attónitum, et ad Christum tradúctum cum fília baptísmi lavácro ábluit. Hinc vero factum est, ut Quirínus iis ómnibus, quotquot pro fide Christi vinctos habébat, libertátem abeúndi concésserit. Erant inter illos Evéntius, et Theodúlus, qui sancto Alexándro adjúncti, exíre de cárcere noluérunt, sed Deo lau-

des persolvéntes martyrii palmam constánter exspectárunt.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

EX his sanctus Alexánder primum ab Aureliáno júdice interrogátus de christiánæ religiónis mystériis, ea reveláre nóluit, ásserens sanctum esse, quod Aureliánus manifestári cupiébat, et non permítti a Christo sanctum dari cánibus. Ob quæ verba beátus Póntifex in equúleum impósitus est, úngulis dilaniátus, atque lampádibus admótis gravíssime ustus; cumque nullam ámplius vocem emítteret, interrogátus ab Aureliáno, cur tacéret? hoc dignum Mártyre respónsum dedit : Quia témpore oratiónis homo christiánus cum Deo lóquitur. Depósito Alexándro, exhíbiti sunt Evéntius et Theodúlus, quos cum Aureliánus in fide constántes invenísset, jussit Alexándrum et Evéntium dorsum ad dorsum ligátos in ignem præcipitári, Theodúlum vero ibídem astáre, ut quasi eórum pertérritus passióne, ad sacrificándum idólis consentíret. Cum autem Theodúlus sponte in flammas prosilíisset, et cum ipsis hymnos decantáret, ac Deo gratias ágeret, fecit ímpius judex Alexándrum punctis crebérrimis per ómnia membra perforári : quo fine vir sanctus martyrium suum glorióse complévit. Hujus corpus beáta Sevéra religiósa fémina sústulit, et cum córpore beáti Evéntii gládio consummáti, in uno eodémque sepúlcro pósuit via Nomentána in prædio suo, unde póstea ad Urbem translátum, in ecclésia sanctæ Sabínæ recónditum fuit.

℟. Stola.

In iij. Noct., Homil. Si considerémus. *de Comm.*

DIE II. JUNII.
S. Eugenii I.

Papæ Conf.

Duplex (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEáto Martíno hujus nóminis primo, tyránnica hærétici imperatóris senténtia Chersó-

nam relegáto, Theodóro exárcho instánte, Eugénius, pátria Románus, qui fere a cunábulis sacro clericórum órdini se addíxerat, abséntis Pontíficis vices gessit, ne Románæ Ecclésiæ administrátio cessásse omníno viderétur; sed hac revéra potestáte modéste uti visus est, cum probe sciret, Martíno vivénte, se legítimum Pontíficem non esse, sed illíus dumtáxat quasi vices geréntem.

℟. Invéni.

Lectio v.

UBI vero prædíctus Christi Martyr ærúmnis et inédia conféctus, ad beátam vitam migravísset, in cáthedra Petri, clero consentiénte, ut legítimus Petri succéssor sedit, et in illo apostólici ministérii cúlmine talem se gessit, qualem suprémi múneris ei créditi dígnitas, et ómnium Christi fidélium ejus curæ commissórum salus et utílitas postulábant; mitis enim fuit, benígnus, et mansuétus; et quod caput est, vitæ sanctimónia illústris.

℟. Pósui.

Lectio vj.

SIngulárem cleri curam hábuit, quem patérno semper amóre, et multis benefíciis prosecútus est. In egénos tamen mirábilis ejus beneficéntia enítuit, quibus réditus Ecclésiæ vivens, et móriens liberáli manu erogávit, appríme ratus Ecclésiæ opes ad nobilióres usus applicári non posse, et ex mánibus indigéntium ad æternitátis ærárium cum incredíbili spirituális usúræ lucro, recta tradúci. Transáctis demum duóbus annis et novem fere ménsibus, sancto fine quiévit, anno Christi sexcentésimo quinquagésimo quinto, et ejus corpus in basílica sancti Petri recónditum fuit.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

Lectio ix. (ex duabus una) SS. Marcellini Petri et Erasmi ut in Brev.

DIE III. JUNII.

S. Eleutherii

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eleuthérius, natióne Græcus, Abúndio patre natus Nicópoli Epiri óppido, ex Presbytero sanctæ Románæ Ecclésiæ, post Sotéris mortem, totíus cleri suffrágiis, Románus Póntifex renuntiátus est, Marco Aurélio imperatóre Augústo, anno Dómini centésimo septuagésimo nono. Quo múnere egrégie, et summa cum laude functus est annos quíndecim, dies vigínti tres : tribus ordinatiónibus mense Decémbri factis, creatísque Presbyteris duódecim, Diáconis octo, Epíscopis per divérsa loca quíndecim.

℟. Honéstum.

Lectio v.

AB Ecclésia Lugdunénsi per lítteras de nonnúllis quæstiónibus consúltus, Irenæum virum doctíssimum litterárum latórem humániter excépit, eíque apostólicas traditiónes, quas Romána Ecclésia illibátas serváverat, apéruit. Superstitiósas Montanistárum xerophágias damnávit. Optimas leges pro recta judiciórum ecclesiasticórum forma præscrípsit : Marciónem et Valentínum sæpius relápsos, ab Ecclésia pénitus ejécit.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

CUM summa pace Ecclésia fruerétur, multos étiam ex optimátibus ad Christi fidem Romæ convértit. A Lúcio Britannórum rege lítteras per legátos accépit, divíni verbi minístros postulánte, ad quem Fugátium et Damiánum Románæ Ecclésiæ Presbyteros misit, a quibus rex ipse cum tota família, et súbditi fere omnes sacro lavácro regeneráti fuére. His demum, aliísque pro divíno cultu peráctis, sancto fine quiévit, sub imperatóre Cómmodo quinto Kaléndas Június, sepúltus in Vaticáno. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE VII. JUNII.

(*D. a. ex xxix. Maii.*)

S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis

Virg. Duplex.

Ut in Breviario die xxix. Maii.

DIE VIII. JUNII.

(*D. a. ex xxviij. Maii.*)

S. Augustini Cant.

Episc. Conf. Duplex.

Ut in Breviario die xxviij. Maii.

DIE IX. JUNII.

Patrocinii S. Terentii. *Duplex.*

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

In utrisque Vesp., et ad Laudes. ℣. Ora pro nobis, beáti Terénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Aña. Beátus Christi Martyr Teréntius, contémpta mundi glória, nunc póssidet cœli gáudia: ipse ad Deum pro nobis intercédat.

Oratio.

Propitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. et iij. Nocturno, de Communi ij. loco.

Ad Bened. Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum Sanctis in cœlo triúmphas; súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Oratio ut supra.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

Oratio ut supra.

DIE XII. JUNII.

S. Leonis III.

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leo, hujus nóminis tértius, Románus ex patre Asúppio, a pueritia in Vestiário patriarchii Lateranénsis in omnem ecclesiásticam ac divínam disciplínam educátus, ex mónacho san-

cti Benedícti, Présbyter Cardinális, ac demum Póntifex máximus, incredíbili ómnium consentióne, ipso die óbitus Adriáni creátus est, anno septingentésimo nonagésimo quinto, sedítque in sancta Petri sede annos vigínti, menses quinque, dies decem et septem.

℟. Invéni.

Lectio v.

TAlem se in pontificátu exhíbuit, qualem se ante assumptiónem præbúerat; piíssimum scílicet, mitíssimum, singulári in Deum religióne, erga próximum caritáte, prudéntia in rebus geréndis, páuperum, ægrorúmque paréntem, Ecclésiæ defensórem, divíni cultus promotórem, útpote qui máxima quæque pro Christo et Ecclésia sédulo præstitit, et patiénter tolerávit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

CUM ab ímpiis, érutis óculis, et confóssus vulnéribus semivívus relíctus fuisset, postrídie per insígne miráculum sanus invéntus est, iisdémque parricídis vitam suis précibus obtínuit. Cárolo magno Francórum regi Románum impérium détulit: peregrínis amplíssimum xenodochíum exstrúxit: patrimónium aliósque fundos paupéribus ascrípsit. Basílicas Urbis, præsértim Lateranénsem (in cujus patriarchío Triclínium magnum super ómnia Triclínia fundávit) et sacras ædes tot, ac tantis divítiis cumulávit, ut fidem omnem superáre videátur. Vitam demum religiosíssimam pio fine coronávit, prídie Idus Júnii anno Dómini octingentésimo décimo sexto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

Nona Lectio SS. Basilidis et soc. Mart. (ex duabus una) ut in Brev. ead. die.

DIE XV. JUNII.

(D. a. ex xij. hujus.)

S. Joannis a S. Facundo

Conf. Duplex.

Ut in Breviario die xij. hujus.

DOMINICA III. JUNII. B.V. Mariæ Matris Gratiarum.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. præter sequ.

IN I. VESPERIS.

℣. Intercéde pro nobis María mater gratiárum.

℟. Ut digni reddámur misericórdia Dei.

Oratio.

DEus, qui fidélibus tuis beátam Maríam Vírginem gratiárum tuárum minístram tribuísti : ejus nobis intercessióne concéde, ut a cunctis malis liberémur in terris, et ætérnis gáudiis perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Dom. occurr.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xviij. *de Sanctis qui est* ij. *de Annunc. Dom.*

Lectio iv.

ADest nobis, dilectíssimi, optátus dies beátæ ac venerábilis semper Vírginis Maríæ; ídeo cum summa exsultatióne gáudeat terra nostra, tantæ Vírginis illustráta die solémni. Hæc est enim flos campi de qua ortum est pretiósum lílium convállium, per cujus partum mutátur natúra protoplastórum, delétur et culpa. Præcísum est in ea illud Hevæ infelicitátis elógium, quo dícitur : In dolóre páries fílios tuos : quia ista in lætítia Dóminum péperit.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

HEva enim luxit, ista exsultávit : Heva lácrymas, María gáudium in ventre portávit : quia illa peccatórem, ista édidit innocéntem. Mater géneris nostri pœnam íntulit mundo, Génitrix Dómini nostri salútem íntulit mundo. Auctrix peccáti Heva, auctrix mériti María. Heva occidéndo óbfuit, María vivificándo prófuit. Illa percússit, ista sanávit. Pro inobediéntia enim obediéntia commutátur, fides pro perfídia compensátur.

℟. Quæ est ista.

Lectio vj.

CLaudat nunc órganis María, et inter velóces artículos tympana puérperæ cóncrepent. Cóncinant lætántes choris et alter-

nántibus módulis dulcísona cármina misceántur. Audíte ígitur quemádmodum tympanístria nostra cantáverit. Ait enim : Magníficat ánima mea Dóminum : et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causam ígitur invalescéntis errátı miráculum novi partus evicit; et Hevæ planctum Maríæ cantus exclúsit.

℟. Ornátam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xj.

IN illo témpore : loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Bonaventúræ Epíscopi.

In cap. xj. *Lucæ post med.*

AT ille dixit : Quin immo beáti, qui áudiunt verbum Dei. Hoc non dicit adversándo, sed pótius superaddéndo, quasi díceret : Non solum beátus venter, qui portávit me Verbum caro factum: verum étiam beátior, qui súscipit verbum a me prolátum. Unde et Maria non tantum beáta fuit quia Christum gestávit, verum étiam beátior quia ipsum perfectíssime gestávit in mente, secúndum quod dicit Augustínus : Beátior fuit María concipiéndo fidem Christi, quam carnem Christi. Beátus est enim omnis, qui audit, et obédit : secúndum illud ipsíus Dómini apud Joánnem : Si hæc scitis, beáti éritis, si fecéritis ea : et ídeo subdit : et custódiunt illud.

℟. Felix namque.

Lectio viij.

IN quo verbo Christus nóluit laudáre matris cognatiónem carnálem per se (nam et supra Joánnes dixit Judæis : Ne cœpéritis dícere, patrem habémus Abraham) sed spirituálem, quia sánctior est cópula méntium quam córporum. Et ídeo cum quærerent eum mater et fratres ejus, dixit : Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœ-

lis est : ipse meus frater, soror, et mater est. Et propter hoc, virgo María fuit laudábilis in concipiéndo, quia fide concépit. Et ídeo dixit ei Elísabeth : Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. ¶. Ex quo appáret mira commendátio veritátis, quæ omnes sibi adhæréntes beátos éfficit; non solum adhæréntes carnáli cognatióne, ut Virgo María, verum étiam spirituáli dilectióne, sicut quælibet ánima sancta. Ut enim dicit Augustínus : Beatitúdo est gáudium de veritáte: ad quod gáudium vénient, qui veritátem áudiunt, díligunt et fáciunt secúndum illud Ecclesiástici; Qui audit me non confundétur, et qui operántur in me non peccábunt, qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Beátam me dicent.

Lectio ix. Homilia Dom. occurrentis.

Ad Bened. Aña. Fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, et misericórdia ejus a progénie in progénies.

Et fit Commem. Domin. In ij. Vesperis, omnia ut in primis.

DIE XVI. JUNII.
S. Bedæ Venerabilis
Conf. et Eccl. Doct. Dupl.

Ut in Brev. die 27 Maii.

DIE XVII. JUNII.
(d. a. ex xxviij. Aprilis.)

S. Pauli a Cruce
Conf. Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum, sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Paulus a Cruce Uvádæ in Ligúria natus, sed e Castellátio prope Alexandríam Statiel-

lórum nóbili génere oriúndus, qua futúrus esset sanctitáte clarus, innótuit miro splendóre, qui noctu implévit pariéntis matris cubículum, et insígni augústæ cœli Regínæ benefício, quæ púerum in flumen delápsum a certo naufrágio illæsum erípuit. A primo ratiónis usu Jesu Christi crucifíxi amóre flagrans, ejus contemplatióni prolíxius vacáre cœpit, et carnem innocentíssimam vigíliis, flagéllis, jejúniis, potu in sexta féria ex acéto cum felle mixto, ac dura quavis castigatióne contérere. Martýrii desidério incénsus, exercítui se adjúnxit, qui Venétiis, ad bellum Turcis inferéndum, comparabátur; cógnita vero inter orándum Dei voluntáte, arma ultro réddidit, præstantióri milítiæ óperam datúrus, quæ Ecclésiæ præsídio esse, æternámque hóminum salútem procuráre totis víribus niterétur. Revérsus in pátriam, honestíssimis núptiis, sibíque deláta pátrui hereditáte, recusátis, arctiórem iníre crucis sémitam, ac rudi túnica a suo Epíscopo índui vóluit. Tum ejus jussu, ob eminéntem vitæ sanctimóniam, et rerum divinárum sciéntiam, nondum cléricus Domínicum agrum, máximo cum animárum fructu, divíni verbi prædicatióne excóluit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Romam proféctus, theológicis disciplínis rite imbútus, a summo Pontífice Benedícto decimotértio ex obediéntia sacerdótio auctus est. Facta sibi ab eódem potestáte aggregándi sócios, in solitúdinem recéssit Argentárii montis, quo eum beáta Virgo jamprídem invitáverat, veste illi simul osténsa atri colóris, passiónis Fílii sui insígnibus decoráta, ibíque fundaménta jecit novæ congregatiónis. Quæ brevi, plúrimis ab eo tolerátis labóribus, præcláris aucta viris cum Dei benedictióne valde succrévit; a sede apostólica non semel confirmáta, una cum régulis, quas orándo ipse a Deo accéperat, et quarto áddito voto pergrátam Domínicæ passiónis memóriam promovéndi. Sacras vírgines quoque

instítuit, quæ excéssum caritátis divíni sponsi sédulo meditaréntur. Hæc inter, animárum inexháusta aviditáte ab Evangélii prædicatióne nunquam defíciens, hómines pene innúmeros, étiam perditíssimos, aut in hæresim lapsos, in salútis trámitem addúxit. Præsértim Christi enarránda Passióne mirífica ejus oratiónis vis erat, qua una cum astántibus in fletum effúsus, quælibet obduráta corda ad pœniténtiam scindébat. ℟. Amávit.

Lectio vj.

TAnta in ejus pectóre alebátur divínæ caritátis flamma, ut indúsium quod erat cordi própius, sæpe véluti igne adústum, et binæ cóstulæ elátæ apparúerint. Sacrum præsértim fáciens non póterat a lácrymis temperáre : frequénti quoque écstasi, cum mira intérdum córporis elevatióne frui, vultúque supérna luce radiánte conspiciebátur. Quandóque, dum concionarétur, cœléstis vox verba ei suggeréntis audíta fuit, aut sermo ejus ad plura míllia pássuum intónuit. Prophetíæ et linguárum dono, córdium scrutatióne, potestáte in dæmones, in morbos, in eleménta enítuit. Cumque ipsis summis Pontifícibus carus ac venerándus esset, servum inútilem, peccatórem nequíssimum, a dæmóniis quoque conculcándum se judicábat. Tandem, aspérrimi vitæ géneris ad longam usque senectútem tenacíssimus, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto, cum præclára mónita, velúti sui spíritus transmíssa hereditáte, alúmnis tradidísset, Ecclésiæ sacraméntis ac cœlésti visióne recreátus, Romæ, qua prædíxerat die, migrávit in cœlum. Eum Pius nonus Póntifex máximus in Beatórum, novísque deínde fulgéntem signis, in Sanctórum númerum rétulit. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus et Salvátor. *de Communi Evangelistarum, cum* ℟℟. *de Conf. non Pont.*

DIE XVIII. JUNII.

S. Isidori Agricolæ

Conf. Duplex.

Ut inter Festa pro aliquibus locis die xv. Maii.

DIE XIX. JUNII.
B. Michelinæ
Vid. Pisaur. Duplex.

Oratio.

DEus, qui beátam Michelínam a terrénis solútam afféctibus ad amórem tuum dispositióne admirábili transtulísti : tríbue nobis, quæsumus; ut ejus méritis et imitatióne a nóxiis cupiditátibus expedíti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. SS. Mart. Gervasii et Protasii.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

MIchelína Pisáuri ad oram Adriátici maris, sæculo ineúnte decimoquárto, orta est ex illústri copiosáque família Metéllia. Egrégia puéllæ índoles ad virtútem prona, et a prima ætáte magna quæque porténdens, incéndi magis visa est ad pietátem doméstico paréntum exémplo, sanctísque institútis. Duodénnis viro æque nóbili nupta est, exactóque in castíssimi conjúgii fœdere octo annórum spátio, viri primum, deínde únici fílii mortem, quem matérne diligébat, forti, erectóque in Deum ánimo pértulit. Vanas et umbrátiles mundi pertæsa delícias, et claro excitáta exémplo piæ mulíeris, e Syria Pisáurum spécie peregrinántis appúlsæ, quam póstea contubernálem hábuit, et pœniténtis vitæ sóciam, prima inter Pisauarénses nomen dedit Tértio Ordini sancti Francísci de Pœniténtia, ut in aspérrimo vitæ génere a terrénis curis exémpta, libérius cœléstium contemplatióni vacáret.

℟. Propter.

Lectio v.

SRogáto ítaque in páuperes avíto censu, et in cœléstes thesáuros per eórum manus deportáto, vili ac híspido indúta sacco, pédibus nuda, victum mendicáto quærens, corpus suum inédia, vigíliis, cilício, flagéllis attrívit, vix brevi concéssa quiéte super nuda humo, vel assséribus strámine instrúctis. A consanguíneis id vitæ genus íniquo ánimo feréntibus, nunc convíciis,

nunc verbéribus lacessíta, a suscépto institúto determéri non pótuit únice ánxia pati et contémni pro Christo. De proximórum salúte sollícita, verbo et exémplo pérditos cives a vivéndi licéntia ad castigátos mores revocávit : ægrótis tamquam vile mancípium præsto fuit in noso comíis, in eorúmdem tradúcens compéndium tum eleemosynas sibi conlátas tum quidquid operáta fuit consílio mánuum suárum; tantóque erga illos incénsa est caritátis æstu, ut múlier fortis, suíque victrix, osculári, et ore sæpius attíngere non abhorrúerit fœda úlcera leprosórum, qui non sine miráculo sanitáti sunt restitúti.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Confirmáta jam ætáte, prompti navígii honestíque comitátus nacta opportunitátem, in Palestínam trajécit, pie veneratúra loca Christi vestígiis et sánguine consecráta. In Calváriæ monte inténse orans, rapta est in écstasim : sibíque rédditа, ita de Redemptóris passióne disséruit, ut audiéntes a gémitu et lácrymis non temperáverint. In pátriam redux cúmulum ádditus virtútibus, quibus ántea floruerit, oratióni et contemplatióni inténta, pœniténtiæ, et caritátis opéribus addícta, et supernórum charísmatum dono præfúlgens. Demum conféctis christiánæ milítiæ stipéndiis, prænuntiatóque dormitiónis suæ témpore, Sacraméntis Ecclésiæ expiáta, ætátis suæ anno quinquagésimo sexto ad cœléstem sponsum evolávit die décima nona júnii a Christo nato millésimo tercentésimo quinquagésimo sexto. Sacri córporis exúviæ miráculis a Deo illustrátæ, obscúro loco prímitus cónditæ sunt in Ecclésia sancti Francísci Fratrum Minórum; sed non multo post in elegantiórem, et supra terram éditum túmulum iteráto invéctæ, pópulo Pisauréнsi civi olim suæ, nunc patrónæ grata pietátis, et obséquii testimónia exhibénte. Cultum eídem ab immemorábili témpore delátum decréto suo approbávit apostólica Sedes

anno millésimo septingentésimo trigésimo séptimo : póstea vero ejus festum cum Offício et Missa in Urbe et Diœcesi Pisaurénsi, et a toto Franciscáno órdine celebrári indúlsit.

℟. Fallax grátia.

In iij. Nocturno, Hom. Cœlórum regnum. *de Communi nec Virg. nec Mart.*

Lectio ix. et Commem. SS. Martyrum.

DIE XX. JUNII.

S. Silverii

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SIlvérius Campánus, post Agapítum próxime Póntifex creátus est : cujus doctrína et sánctitas illúxit in insectándis hæréticis, et constántis ánimi magnitúdo perspécta est in tuéndo judício Agapíti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychiánam hæresim defendébat, Agapítus ab episcopátu Constantinopolitáno deposúerat, cum a Theodóra Augústa sæpíssime rogátus esset, restitúere nóluit. ℟. Honéstum.

Lectio v.

QUamóbrem iráta múlier mandat Belisário, ut Silvérium mittat in exsílium. Qui exsulávit in ínsula Póntia, unde his verbis scripísse fertur ad Amatórem Epíscopum : Susténtor pane tribulatiónis, et aqua angústiæ, nec tamen dimísi, aut dimítto offícium meum. Et sane, brevi incómmodis ærumnísque conféctus, obdormívit in Dómino, duodécimo Kaléndas Júlii; cujus corpus Romam delátum, et in basílica Vaticána depósitum, multis miráculis illustrátum fuit. Præfuit Ecclésiæ annos tres et ámplius, creátis mense Decémbri Presbyteris trédecim, Diáconis quinque, Epíscopis per divérsa loca decem et novem.

℟. Desidérium.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano Serm. xij.

Lectio vj.

SErmónem éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti

Mártyris Silvérii celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis; semper cúpiens vidére præséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti lætítia cuncta, quæ tum gesta sunt, legéndo recólimus : diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed exspectámus hiláriter redeúntem.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Hom. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

℟. *viij.* Dómine prævenísti eum.

DIE XXII. JUNII.

(*d. a. ex xix. hujus.*)

S. Julianæ a Falconeriis

Virg. Duplex.

Ut in Breviario die xix. hujus.

Lectio ix. et Commem. S. Paulini Episc. Conf. ut in Brev.

DIE XXIII. JUNII.

B. Petri Jacobi a Pisaur.

Conf. Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere, da per mérita et intercessiónem beáti Petri Jácobi Confessóris tui, ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Jacóbus anno círciter millésimo quatercentésimo quadragésimo séptimo ex piis atque honéstis paréntibus Pisáuri ortum duxit. Ad Eremitárum sancti Augustíni órdinem, Deo invitánte, proféctus in Pisauréńsi cœnóbio tyrocínium egit, ac religiósa vota nuncupávit. Mox ad Perusínum claustrum missus, ut severióribus disciplínis ac pietáte alúmnos erudíret, jugis labóris ac vir-

tútum sese præbuit exémplar.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Magistérii honóre, ac doctoráli láurea decorátus docéndi munus diu cóluit, ac doctrína præfúlsit. Sanctórum tamen sciéntia sédulo inhærens humilitáte clarébat, neque prælectiónes suas habére consuévit, nisi præmíssa férvida ad Deum prece, opportúnam opem a Patre lúminum impetratúrus. Demum hujúsmodi offício functus ad pátrium cœnóbium ex obediéntia restitútus est.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Quo libérius cum Deo communicáret, ac perfectiórem vitam ágeret, ut in Eremum Vallis-Manéntis secéderet, impetrávit, ubi olim sanctus Nicoláus Tolentínas commorátus fúerat. Hoc sibi quoad vixit exempláripropósito contemplatívæ vitæ actívam adjúnxit, et ministérium verbi exércens máximæ próximis utilitáti fuit. Mirabílibus ad Deum ascensiónibus in ejus corde ita dispósitis sancto fine quiévit anno reparátæ salútis millésimo quatercentésimo nonagésimo sexto, ac tanta præstitit sanctitátis fama, ut ab immemorábili témpore públicum et ecclesiásticum cultum obtinúerit. Hunc perbélle comprobátum Pius nonus Póntifex máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto ratum hábuit et confirmávit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Pusíllum gregem. *de Comm. ij. loco.*

Lectio ix. Homiliæ et Comm. Vigil. S. Joannis Baptistæ.

DIE XXVII. JUNII.

B. Petri a Molleano

Conf. Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

Deus, caritátis amátor et auctor pacis, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábili stúdio fovéndæ concórdiæ decorásti : præsta quæsumus : ut ejus intercedéntibus méritis perpétuæ pacis gáudiis perfruámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus ex honéstis paréntibus Molleáni in Picéno natus, domi forísque a púero cóluit stúdia litterárum, et præsértim juris, cujus láurea Perúsiæ decorátus est. Adoléscens adhuc Perúsiæ cum sacris conciónibus interésset, de regulári Institúto sancti Francísci amplecténdo consílium cœpit. Religióso ítaque hábitu suscépto, ádeo theológicis stúdiis, et omni virtútum génere flóruit ut fama ejus doctrínæ et sanctitátis longe latéque percrebrésceret.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HInc a sancto Jacóbo Picéno in apostólicæ prædicatiónis atque labórum sócium et adjutórem adscítus, et deínde in tanti viri locum suffréctus, incredíbile dictu est, quo ardóre, qua caritáte enitúerit tum in exhortándis pópulis ad pœniténtiam et ad reformándos mores juxta christiánæ legis sanctitátem, tum in excipiéndis diu noctúque pœniténtium confessiónibus, tum dénique in dissídiis, simultátibus, ódiis componéndis, et pace inter omnes conciliánda. Quandóquidem nedum ópere et sermóne, sed signis étiam et miráculis præstitit.

℟. Amávit.

Lectio vi.

ADeo suis accéptus et carus fuit, ut semel Románam bis Picénam provínciam invítus, ea, qua par erat, sedulitáte, prudéntia, caritáte administráverit. Nec minus Camértum duci, et univérsæ illíus civitáti se virtútibus commendávit. Nam ea in urbe et sæpius moram traxit, et beáto fine quiévit. Morti próximus, sacrum Viáticum non in cubículo, sed in Ecclésia sumpsit, ea religióne, ut ómnium ánimi ad pietátem incenderéntur. Mox Camértum príncipem ejúsque fílios ad divínæ legis, fratres vero suos cohortátus ad reguláris institúti observántiam, sanctíssime óbiit anno Christi millésimo quadringentésimo nonagésimo. Eum tandem miraculórum fama et ecclesiástico solémni cultu ab

immemorábili témpore illústrem Clemens Papa Tertiusdécimus inter Beátos cum Christo regnántes habéndum colendúmque decrévit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Sancti Evangélii *de Com. j. loco.*

Et fit Comm. Octavæ.

DIE XXVIII. JUNII.
S. Leonis II.
Papæ Conf. Duplex.

Ut in Breviario præter ritum.

DOMINICA I.
NON IMPEDITA POST OCT. SS. APOST. PETRI ET PAULI.
Commemor. Omnium SS. S. Rom. Eccl. Summorum Pontificum.
Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE III. JULII.
S. Mustiolæ *Mart.*
Patronæ min. princ. Civ. Pisaur.
Duplex majus.

Oratio.

DEus, qui beátam Mustiólam Mártyrem tuam de paganísmi erróre ad tuam sanctam fidem evocásti; et constántiam martyrii pro tuo sancto nómine ei tua grátia tribuísti; concéde, quæsumus, ut nos fámuli tui ejus méritis et précibus ad cœléstia perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Comm. Oct. SS. Apostolorum.

In j. Nocturno. Lectiones. Confitébor tibi, Dómine. *de Comm. Virg. ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MUstióla matróna nobílibus Dardániæ orta natálibus ex génere Cláudii imperatóris, cujus erat consobrína, suam traxit oríginem. A téneris annis sancti Spíritus excitatióne commóta, diviníque amóris igne succénsa, Paganísmum exhorrére cœpit, et Jesu Christi fidem ampléctí ardénter optávit. Voti compos effécta, et sacri baptísmatis unda renáta, inánium deórum simulácris despéctis, omnibúsque superstitiónibus abdicátis, ad Jesum Christum, verum Deum coléndum omni stúdio, ac tota mente se convértit. Devótio supra ætátem,

virtúsque supra natúram in ea mirífice splénduit. Adhuc enim puélla peregrégiam sui córporis formam neglígere, terrénas divítias vánaque ornaménta despícere, sæculária vitáre commércia, quæ Dei glóriam animarúmque salútem non attíngerent; nec non carnis castigatióni, jejúniis, vigíliis, oratióni, aliísque tum religiónis, tum caritátis exercitatiónibus óperam dare non déstitit, sed semper in delíciis hábuit. Mórtuis ínterim Cláudio Secúndo Augústo, ejúsque fratre Quintílio, ad Románi impérii fastígium, favénte plebe, assúmptus est Aureliánus, a quo éxiit edíctum, vi cujus omnes in Christo credéntes, suo depérdito censu, exsuláre cogúntur; quare Mustióla sibi aliquántulis sóciis adjúnctis, Roma relícta, Clúsium se cóntulit, ubi libérius et ardéntibus consuétis pietátis opéribus vacans, in omni loco Christi bonus odor erat, ac de die in diem per ómnium increménta virtútum Dei ampliórem dilectiónem promerebátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Cum autem ad Aureliánum delátum esset in Etrúria suum contémni edíctum, íbique religiónem christiánam máxime coli et venerári, in iras exársit, et statim Túrcium Aproniánum præféctum eo diréxit, eíque mandávit, ut diligénter in Christiános inquíveret, et quotquot invenísset, capitáli senténtia damnáret. Hoc in itínere, quum Túrcius Sútrium pervenísset, jussit tenéri et occídi presbyterum Felícem, qui quondam Irenæi diáconi, et Mustiólæ sócios multos prædicatióne, et exémplo ad christiánam fidem convérterat. Irenæum vero, qui hujus Mártyris corpus sepelíverat, férreis caténis ante suum currum devínctum Clúsium secum addúxit, íbique álios Christi fidéles inveniens omnes una cum illo conjécit in cárcerem. Quod ut rescívit Mustióla nihil præcípue dilectiónis prætermísit, ut his opem atque solámen afférret. Quare assídue ad cárceres se déferens sanctos Confessóres solabátur,

eorúmque pedes, quos víncula sauciárant, ungébat, curábat; cunctis demum vestes, aliménta, et quidquid opus erat, liberáli caritáte suppeditábat.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

His cógnitis Túrcius veheménter commótus, Mustiólam ad se perdúci jubet, eámque a cathólica fide tum minis, tum blandítiis removére conátur. At Mustióla, intérna sancti Spíritus roboráta virtúte forti ánimo, hilaríque vultu alta voce erúmpens, se parátam esse, inquit, acerbíssimam pótius subíre mortem, quam Christum desérere; atque inánium Deórum cultu fœdári. Quibus audítis Túrcius nímio furóre pércitus íllico mandat, Christiános omnes cápite obtruncári. Irenæum in óculis Mustiólæ equúleo suspéndi, eámque póstea támdiu cædi plumbátis, donec emítteret spíritum. Hoc in certámine ambo ad Dóminum evolántes quinto Nonas Július anno ducentésimo septuagésimo quinto, martyrii palmam accepérunt. Hujus sanctæ Mártyris corpus anno Dómini millésimo quadringentésimo septuagésimo quarto invéntum, et in templo eídem Sanctæ dicáto recónditum, nunc in aram majórem Ecclésiæ cathedrális Clusínæ solémni pompa translátum, magna pópuli veneratióne recólitur.

℟. Fallax grátia.

In iij. Nocturno Homilia. Cœlórum regnum. *de Comm. non Virg.*

Et fit Commem. Oct. SS. Apost.

DIE IV. JULII.

S. Pauli I.

Papæ et Confessoris.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Paulus hujus nóminis primus, natióne Románus, patre Constantíno, post óbitum Stéphani tértii germáni fratris, anno Christi septingentésimo quinquagésimo séptimo in ejus locum, novo exémplo,

subrogátus est. Sed hoc exímiæ illíus virtúti debebátur. Cum enim a Gregório secúndo in patriarchío Lateranénsi, una cum fratre, a primis annis ad christiános mores, et omnem eruditiónem ecclesiásticam egrégie formátus fuísset, digniórem clerus non hábuit, quem perturbatíssimis illis tempóribus, pio fratri successórem elígeret.

℟. Invéni.

Lectio v.

Constantínum Coprónymum, lítteris per legátum ad eum missis, semel atque íterum sollicitávit, ut saniórem doctrínam amplecterétur; sed hæréticus, et indurátus princeps sollíciti pastóris vocem audíre nóluit, et in Cathólicos, ac præcípue in mónachos sævíre non cessávit : quorum plúrimi, ut a tyránno se subdúcerent, in Itáliam se recepérunt, quos benígne Paulus excépit, iísque templa et monastéria, cóngruis instrúcta redítibus assignávit, in quibus Græca lingua, et pátrio ritu sacra perágerent.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Exstant multæ illíus epístolæ ad Pipínum Francórum regem scriptæ, in quibus grátias agit óptimo, et de Romána Ecclésia benemérito príncipi, pro suscépta Ecclésiæ contra Longobardórum irruptiónes defensióne; eúmque raris elógiis cumulátum impénse hortátur, ne unquam a cœpto desístat. Cum autem cœmetéria extra muros a Longobárdis díruta fuíssent, multas inde Sanctórum exúvias, ne bárbaris in prædam céderent, in Urbem íntulit; quarum non módicam partem in ecclésiam monastérii a se constrúcti in patérnis ædibus, et pingui censu ditáti, collocávit. Céterum si quid ipsi témporis resídui ecclesiástici regíminis cura relínqueret, id totum aléndis Christi paupéribus, ægris, víduis, ac deténtis in cárcere consolándis, liberandísque oppréssis ære aliéno impéndit. Et tandem matúrus cœlo pie óbiit, undécimo pontificátus anno jam ínito, et in Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE VII. JULII.
B. Benedicti XI.
Papæ Conf. Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Pontíficem benedictiónis tuæ grátia ad cœlum sublevásti: pópulum tuum, quæsumus, nova benedictióne sanctífica; et a cunctis malis imminéntibus ejus méritis et précibus, tua virtúte defénde. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Benedíctus undécimus ex honésta Boccassinórum família Tarvísii natus, anno ætátis decimoquárto Prædicatórum institútum ampléxus est: in quo humánis divinísque stúdiis quatuórdecim annis impénse vacávit, totidémque, summa cum eruditiónis laude privátim, ac públice dócuit. Sanctitátis et prudéntiæ fama conspícuus, per vários gradus et dignitátes órdinis ad suprémum ejus magistérium evéctus est: quo in múnere céteris exémplo prælúcens, disciplínam mirífice fovit, ac brevi témpore órdinem ipsum amplificávit. Illíus ópera Bonifácius octávus in pacificándis Galliárum et Británniæ régibus felíciter usus, lustrándis commíssis sibi provínciis in Gállia peregrinántem sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálem Presbyterum creávit, atque ad Urbem accítum in Pannóniam legátum designávit, ubi tres príncipes de regni illíus successióne contendéntes mira dexteritáte compósuit.

℟. Invéni.

Lectio v.

Pacáta Hungária Romam revérsus, Bonifácio Anágniæ circumvénto inter hóstium minas et invasiónes fórtiter ástitit, hæsítque indivúlse, réliquis ferme ómnibus ab eo fugiéntibus. Mox eódem Pontífice humánis rebus exémpto, in Petri sedem mira Patrum consensióne suffféctus est. In eo dignitátis fastígio, ab omni fastu prorsus aliénus, demissiónem ádeo cóluit, ut addúctam ad

se matrem adhuc supérstitem paulo splendídius, ut decére videbátur, ornátam, a se dimíserit tamquam non suam: mox vero natívo, atque humilióre cultu vestítam peramánter amplexátus, honorífice hábuit. Violátæ in prædecessóre suo pontifíciæ dignitátis auctóres anathémate mulctávit : ab illo autem sevérius hábitos, prístinis honóribus restitútos in véniam, et grátiam recépit. Pacándis Itáliæ provínciis, Guelphórum et Gibellinórum, Albórum et Nigrórum factiónibus misérrime divexátis, Nicoláum Cardinálem Praténsem órdinis Prædicatórum a látere legátum creávit, eumdémque in Angliam, Scótiam, et Hibérniam ad conciliándos reges, et príncipes ire jussit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

PAcis studiosíssimus eam náviter promóvit, tum in Germánia, cui intestínis dissídiis laboránti præsto fuit, tum in Sicília, quam subláto interdícto, communióni restítuit. Sed et Galliárum regni cum apostólica sede concórdiam paulo ántea gravíssime læsam felíciter instaurávit. In Oriéntem étiam aliásque schismaticórum províncias apostólicæ mentis curas porréxit, et Martíno Archiespíscopo Antibarénsi disciplínæ ecclesiásticæ restauratiónem impénse commendávit. Sérviæ regem Orósium ad ejurándum schisma lítteris amantíssimis excitávit. Syriæ demum ac Palestínæ recuperándæ inténtum, áliaque ad religiónis increméntum cogitántem, atque moliéntem commúnis necéssitas prævénit. Mórtuus est Perúsiæ, anno millésimo trecentésimo quarto, nono pontificátus mense nondum expléto, humilíque, ut ipse jússerat, loco apud fratres suos Prædicatóres cónditus est, miráculis statim post óbitum clarus. Cultum ab immemorábili témpore ei delátum Clemens duodécimus approbávit, utque ejus festum cum Offício et Missa sub ritu dúplici in univérso Prædicatórum órdine, atque a clero Tarvisíno et Perusíno celebrarétur, indúlsit.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE IX. JULII.
S. Veronicæ de Julianis
Virg. Duplex.
Ut in fine Breviarii.

DIE XI. JULII.
S. Pii I.
Papæ Mart. Duplex.
Oratio. Infirmitátem.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PIus hujus nóminis primus, Rufíni fílius, Hermétis frater, pátria Aquilejénsis, ex Presbytero sanctæ Románæ Ecclésiæ summus Póntifex creátus est; sedítque Antoníno Pio, et Marco Aurélio imperatóribus Augústis. Quinque ordinatiónibus mense Decémbri, Epíscopos duódecim, octódecim Presbyteros creávit.
℟. Honéstum.

Lectio v.

EXstant nonnúlla ab eo præclare institúta, præsértim, ut resurréctio Dómini nonnísi die Domínico celebrarétur; quod póstea ab ejus successóribus Románis Pontifícibus confirmátum est; quibus id máxime curæ fuit, ut totíus Ecclésiæ Epíscopi in Paschali celebritáte unifórmes essent.
℟. Desidérium.

Lectio vj.

PUdéntis domum in ecclésiam mutávit, eámque ob præstántiam supra céteros títulos, utpóte Románi Pontíficis mansiónem, título Pastóris dicávit, in eáque sæpius rem sacram fecit, et multos ad fidem convérsos, et sacro fonte purgátos, in fidélium númerum ascrípsit. Dum vero pii pastóris munus obíret, fuso pro suis óvibus et summo Pastóre Christo sánguine, martyrio coronátus est, quinto Idus Július, ac sepúltus in Vaticáno.
℟. Stola jucunditátis.
In iij. Nocturno, Hom. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XIII. JULII.
S. Anacleti
Papæ Mart. Duplex.
Oratio. Deus, qui nos.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANaclétus natióne Græcus, Atheniénsis, patre Antíocho, multis rebus præcláre gestis celebérrimus, post interrégnum pontifícium quátuor ménsium et decem diérum, christiánæ religiónis summum pontificátum adéptus, Cleménti per martyrium subláto, tértio Nonas Aprílis subrogátur; sedítque in cáthedra Petri novem annos, tres menses, et dies decem; Presbyteris quinque, tribus Diáconis, et sex Epíscopis dúplici ordinatióne creátis, sub Trajáno imperatóre.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HIC príncipi Apostolórum memóriam, seu ecclésiam gratus et memor tanti benefícii ab eo accépti, per sacri órdinis collatiónem, dum adhuc Présbyter esset, in Vaticáno exstrúxit, atque ornávit, Apostolórum trophæum ab antíquis Pátribus mérito appellátam, quam nullo unquam furéntis licet persecutiónis túrbine déjici potuísse, sed, quod omnem admiratiónem súperat, majóre in dies glória auctam fuísse, compértum est : futúrum sane secutúris tempóribus, majóris et amplióris molis nóbile rudiméntum.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

RES ab eo gestæ, quas miríficas fuísse multis arguméntis conjícere licet, commúni scriptórum antiquórum naufrágio obscúræ, atque óbrutæ mansérunt. Multa ad religiónem, et disciplínam spectántia prudénter státuit, ac præ céteris, ut Epíscopus a paucióribus quam tribus Epíscopis mínime consecrarétur : ut clérici sacris ordínibus públice a próprio Epíscopo initiaréntur : et ut in Missa, perácta consecratióne omnes communicárent. Obiit tandem martyrio coronátus, tértio Idus Július, et juxta corpus beáti Petri sepúltus est.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE XVII. JULII.
S. Leonis IV.
Papæ et Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LEO hujus nóminis quartus, Románus, Rodúlphi fílius, mónachus sancti Benedícti primum, Cardinális deínde, ac demum post óbitum Sérgii secúndi eádem die, invítus licet, in Lateranénse patriarchíum dedúctus, ad sanctam sedem ómnium votis promótus est. Vir fuit religióne, innocéntia, pietáte, humanitáte, liberalitáte, prudéntia, et doctrína, præsértim ecclesiástica, insignis. Sedit annos octo, sex menses, et tótidem dies, Lothário et Ludovíco junióre imperatóribus Augústis.

℟. Invéni.

Lectio v.

PAucis ante illíus assumptiónem ménsibus, cum basílicæ sanctórum Apostolórum Petri et Pauli a Saracénis diréptæ fuíssent, ad álteram Urbis direptiónem jam accínctos suis précibus fregit, et eórum classem dissipávit. Muris Vaticánum cinxit, et in civitátem Leonínam commutávit, quam beáto Petro custodiéndam trádidit. Tiberínam oram túrribus munívit, diréptas basílicas restaurávit, et ornátum domus Dei, præsértim in Lateranénsi patriarchío, sublátum restítuit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

MIráculis sanctíssimam vitam illustrávit; nam et basilíscum, cujus anhélitu jam multi exstíncti fúerant, suis précibus præsens occídit, et máximum incéndium, quod basílicæ Vaticánæ imminébat signo crucis exstínxit. Qua sanctitáte permótus rex Angliæ Astúlphus regnum suum Románæ Ecclésiæ tributárium fecit, et censum ánnuum constítuit. Vir sane de Urbe, totáque república christiána óptime méritus, óbiit décimo sexto Kaléndas Augústi, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo quinto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

DIE XIX. JULII.

S. Symmachi

Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SYmmachus, génere Sardus, patre Fortunáto ex Diácono a majóre et potióre cleri parte in Constantiniána basílica, quarto ab óbitu Anastásii die, in ejus locum suffectus est. Quia tamen distráctis electórum suffrágiis, Festi senátus príncipis excónsulis instínctu, a nonnúllis Lauréntius Archiprésbyter promótus fúerat, gravíssimum inde schisma ortum hábuit, ex quo máxima christiánæ reipúblicæ clades imminébat, nisi exímia Symmachi prudéntia, cum singulári christiánæ modéstiæ exémplo conjúncta, et quátuor synodórum Romæ collectárum decrétis firmáta, quibus et Theodoríci regis, pro exsecutióne auctóritas, et élegans Ennódii pro defensióne stylus accéssit, pénitus exstínctum fuísset. ℟. Invéni.

Lectio v.

IN commemorátis synodis, aliísque réliquo témpore hábitis, multa ejus nutu, et império statúta fuérunt tum circa Románi Pontíficis et Episcopórum electiónem, ad turpem ámbitum amovéndum, abrogáta regis Odoácris iníqua lege; tum circa disciplínam ecclesiásticam, ac præsértim bonórum Ecclésiæ alienatiónem. Imo sub ejus pontificátu et auspíciis, Aurelianénsis, Agathénsis, et áliæ synodi hábitæ sunt, in quibus multi et egrégii cánones cónditi fuérunt, ad dignitátem Ecclésiæ, et fidélium mores plúrimum conducéntes. Várias demum sédulus pastor epístolas scripsit, in quibus ardentíssimus propagándæ ac servándæ fídei zelus, cum indefésso pastorális curæ stúdio mirabíliter enitéscit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

MAximam pecúniæ summam pro rediméndis Ligúriæ captívis ultro contríbuit: et quotánnis Præsúlibus Africánis a Vándalis in ódium fídei in Sardíniam relegátis aliménta et vestes suppeditávit; eósque sacris quas petíerant relíquiis, nec non epístola, Ennódii stylo niténte, recreávit. Admiratióne porro dignum est, quod sub bárbaro, et Ariáno rege, sub quo Urbs ipsa captíva quodámmodo tenebátur, tantam auri et argénti vim, tum ad novas basílicas a fundaméntis exstruéndas, tum ad álias reparándas, et regáli cultu ornándas contúlerit. Anno demum Christi decimoquárto supra quingentésimum, quartodécimo Kaléndas Augústi, cum sedísset annos quíndecim,et menses octo, pie óbiit, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE XX. JULII.
S. Eliæ
Prophetæ. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Añæ. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël.

Ps. de Domin., et loco ult. Lauda Jerúsalem.

2. Usquequo claudicátis in duas partes? si Dóminus est Deus, sequímini eum.

3. Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et dévoret te, et quinquagínta tuos.

4. Non ego turbávi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquístis mandáta Dómini.

5. Occidísti ínsuper et possedísti. Ecce ego indúcam super te malum, et démetam posterióra tua.

Capitulum ut infra ad Laudes.

Hymnus.

NUnc juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.
Dum fames terras prémeret, minístro
Utitur corvo : víduæ farínam

Súfficit solers, oleóque manat
Hydria pingui.
Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum parénti
Reddit, orándo valet expetítam
Réddere lucem.
Claudit et nubes, aperítque verbo;
Imperat post tres properánter annos
Décidant cœlo, sitiénsque tellus
Háuriat imbres.
Sit Patri summo, genítæque Proli,
Et tibi compar utriúsque sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas,
Tempus in omne.
Amen.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum. ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Ad Magnificat, Aña. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Oratio ut ad Laudes.

Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart., ut in Breviario.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Prophetárum Dóminum, * Veníte adorémus. *Ps.* Veníte.

Hymnus ut in j. Vesp.

In I. Nocturno.

Aña. Factum est autem, ut ægrotáret fílius mulíeris matris famílias, et erat languor fortíssimus.

Psalmi trium Nocturn. de Communi Conf. non Pontificis.

Aña. Dixit múlier ad Elíam : Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum?

Aña. Ait Elías ad víduam : Da mihi fílium tuum. Et clamávit ad Dóminum, et revíxit puer.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum. ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

De libro tértio Regum.

Lectio j. *Cap.* xvij.

Dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab : Vivit Dóminus Deus Israël, in cujus conspéctu sto, si erit annis his ros et plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum, di-

cens: Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, et abscóndere in torrénte Carith, qui est contra Jordánem, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Dómini; cumque abiísset, sedit in torrénte Carith, qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panem et carnes mane, simíliter panem et carnes vésperi, et bibébat de torrénte. Post dies autem siccátus est torrens: non enim plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge, et vade in Saréphta Sidoniórum, et manébis ibi: præcépi enim ubi mulíeri víduæ ut pascat te.

℟. Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elíam.* Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini. ℣. Abscónde te in torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi ut pascant te ibi. — Qui.

Lectio ij.

SUrréxit, et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hydria, et páululum ólei in lécytho: en cólligo duo ligna, ut ingrédiar et fáciam illum mihi et fílio meo, ut comedámus, et moriámur. Ad quam Elías ait: Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi autem et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israël: Hydria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, et fecit juxta verbum Elíæ: et comédit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die hydria farínæ non defécit, et

lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ.

℟. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétæ: * Et comédit ipse et illa, et domus ejus. ℣. Ex illa die hydria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Elíæ. — Et.

Lectio iij.

FActum est autem post hæc, ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías : Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in cœnáculum ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum, et clamávit ad Dóminum, et dixit : Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait : Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ : et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit.

℟. Revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suæ: et ait illi : * En vivit fílius tuus. ℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens.— En. Glória Patri. En.

In II. Nocturno.

Aña. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens : Vade, et osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ.

Aña. Ait Elías ad Achab: Ascénde, cómede, et bibe: quia sonus multæ plúviæ est.

Aña. Manus Dómini facta est super Elíam, accinctísque lumbis curré-bat ante Achab, donec veníret in Jézraël.

℣. Tu ungis reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ex libro S. Epiphánii Epíscopi. *De vitis Proph.*

Lectio iv.

Elías Prophéta ex Thesbis exsistébat continénte Arabum, de tribu Aaron Levítæ. Morabátur autem in Gálaad, quóniam Thesbis erant ædes sacerdótibus consecrátæ ac destinátæ. Quem cum eniterétur . parens ejus, ejúsmodi Sobac patri vísio appáruit. Viri níveum quemdam præ se feréntes hábitum, pusiónem salutábant, matrisque ubéribus in ignem evellébant; quin et flammam ignis cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad sacerdótes rétulit. Respóndit autem illi chrematísmus, hoc est, oráculum, sive respónsor : Cave maniféstum fácias : erit quippe lumen fílii hujus domicílium; sermóque ejus, demonstrátio ac senténtia : et judicábit Israël cum igne, tum rhomphæa. Hic est ille Elías, qui ter ignem e cœlo dedúxit, quique imbrem sua lingua gestávit, mórtuos item suscitávit, et in cœlum dénique nimbo seu túrbine ignis assúmptus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam : Cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum, quem ego ignóro; et tu dicis : * Dic Dómino tuo : Adest Elías? ℣. Dixit Elías : Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. — Dic.

Ex libro sancti Isidóri Epíscopi.

De ortu et obitu Sanctorum.

Lectio v.

Elías, qui interpretátur Dóminus Deus, Thesbítes, sacérdos magnus atque Prophéta, habitátor solitúdinis, fide plenus, devotióne summus, in labóribus fortis, indústria solers, excellénti ingénio prǽditus, in exercitatióne disciplínæ rectus, in sancta meditatióne assíduus, metúque mortis intrépidus. Verberávit tyránnos, sacrílegos interfécit, multísque signis virtútum effúlsit. Triénnii siccitáte clausit ímbribus cœlum. Orávit rursum, et cœlum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitávit. Cujus virtúte hydria farínæ non defécit, et vas

ólei perpétuo fonte manávit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de cœlo venit. Duos quinquagenários cum milítibus cœlésti igne combússit. Jordánem tránsiens, tactu melótis abrúpit aquas.

℟. Cum venísset Elías ad portam civitátis appáruit ei múlier vídua, cólligens ligna : et vocávit eam : dixítque ei : * Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam. ℣. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens : Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. — Da mihi.

Lectio vj.

POst hæc ígneo curru in cœlum raptus ascéndit, ventúrus, juxta Malachíam Prophétam, in fine mundi, præcursúrus Christum, annuntiatúrus últimum ejus advéntum cum magnis virtútibus prodigiísque signórum, ita ut bellum gerat antichrístus advérsus eum et Henoch, qui cum eo ventúrus est, et occídet eos. Cadávera vero eórum tribus diébus et sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti a Dómino, regnum antichrísti plaga magna percútient. Post hæc véniet Dóminus, et interfíciet antichrístum gládio oris sui, et eos, qui adoravérunt eum. Et regnábit Dóminus cum ómnibus sanctis suis in ætérnum.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum : * Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ. ℣. Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. — Et. Glória. Et.

In III. Nocturno.

Aña. Dixit Elías prophétis Baal : Elígite vobis bovem unum, et invocáte nómina deórum vestrórum : qui clamábant, et non erat, qui respondéret eis.

Aña. Cum jam tempus esset ut offerrétur holocáustum, accédens Elías, orávit ad Dóminum.

Aña. Oránte Elía, cécidit ignis Dómini, et vorávit holocáustum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam, quæ erat in aquædúctu lambens.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvij.

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum : et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lvij. *in Matth. paulo post init.*

CUjus autem rei grátia Móysen et Elíam prodúxit? Multas quidem dicere quis causas posset. Primum quóniam turbæ, álii Elíam, álii Jeremíam, álii priscórum prophetárum unum opinabántur : idcírco Móysen et Elíam ceterórum prophetárum vértices prodúcit, ut quam magnum sit inter servos et Dóminum discrímen óculis cérnerent, utque recte laudátum créderent Petrum, qui Fílium Dei eum conféssus est. Deínde quóniam assídue quasi transgressórem legis Judæi accusábant, et blasphemáre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum pertinéntem vindicáret. Dicébant enim : Hic non est a Deo, quia sábbatum non servat. Et rursus : De bono ópere non lapidámus te, sed cum sis homo, Deum te facis: ut ipsa re monstrarétur, quia ex invídia hæc criminabántur, quia neutri horum críminum subjicerétur, nec legis prævaricátor esset, nec aliénam glóriam sibi acquíreret, æquálem se Patri faciéndo; eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istárum rerum præfúlsit. Móysi enim legem dedit: quare non fuísset passus Móyses conculcári legem, ut Judæi credébant, nec prævaricatórem ejus, et legum latóri hostem lator ipse umquam coluísset. Elías autem pro glória Dei zelávit : quare non astitísset ei, qui æquálem se Patri dicébat, si non esset; nec paruísset illi, qui sibi, quod non habébat, vindicáret.

℟. Ait Elías núntiis regis Samaríæ : Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad Beélzebub? Quamóbrem hæc dicit Dóminus : * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte

moriéris. ℣. Revérsi núntii ad Ochozíam, dixérunt : Vir occúrrit nobis, dicens : Ite, et revertímini ad regem, et dicétis ei. — De.

Lectio viij.

AD hæc ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tam mortis quam vitæ habére potestátem líquido ac vere crederétur, utque supernórum et infernórum Dóminus ostenderétur, idcírco Móysen jam mórtuum, et Elíam, qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam vero causam Evangelísta quoque ipse tétigit. Quænam ígitur illa est? Ut crucis glóriam osténdat, et tam Petrum, quam réliquos, qui passiónem formidábant, consolarétur, et ad sublímius erígeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebántur de glória, quam completúrus erat in Jerúsalem, de cruce vidélicet, ac passióne : sic enim ipsam semper appellábat.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque : et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum. — Eliséus. Glória Patri. Eliséus.

Lectio ix.

ACcédit ad hæc ómnia virtus quoque virórum illórum singuláris atque præcípua, quam máxime a discípulis flagitábat. Nam quóniam dixit : Si quis vult post me veníre, tollat crucem suam, et sequátur me : hac de causa eos, qui cénties pro Dei præceptórum custódia, et pópuli qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent, in médium prodúcit : quorum utérque cum ánimam perdíderit, invénit eam. Atque sane magna libertáte advérsus tyránnos locúti sunt, alter advérsus Ægyptium alter advérsus Achab; et quod magnum est, pro ingrátis homínibus et inobediéntibus, a quibus in atrócia perícula compúlsi sunt : qui etsi priváti ac absque potestáte fúerant, propósitum tamen habuérunt ab idolórum

cultu pópulum erípere : quorum alter tardus lingua, et voce ténuis, alter étiam áliquo modo rustícior, et utérque sæculárium divitiárum appríme contémptor. Nam neque Móyses quidquam possidébat, nec Elías præter melótem áliquid habébat; præsértim cum véteris essent testaménti, nec tanta grátia signórum pollérent.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas, Añæ.

1. Elías, * dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum.

2. Factum est autem, * cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías et Eliséus de Gálgalis.

3. Tulit Elías * pállium suum, et percússit aquas, et divísæ sunt, et transiérunt ambo per siccum.

4. Cum Elías et Eliséus pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque.

5. Ascéndit Elías * per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, et clamábat: Pater mi, currus Israël, et auríga ejus.

Capitulum. *Eccli.* xlviij.

SUrréxit Elías Prophéta, quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

TE magne rerum Cónditor
Mens nostra glíscit láudibus,
In hoc Thesbíte máximo,
Quem díligis extóllere.

Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.

Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœlitus :
Hi perstrepéntes ácriter
Sunt ómnibus ludíbrio.

Tum Jezabélis ímpiæ
Vitans furórem nóxium,
Sub junipéro dórmiens
Adésse cernit Angelum.

Panem sibi qui próferens
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo reféctum strénue
Ad montis Horeb vérticem.

Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium :
Hac vi dapes sunt prædítæ,
Quas dextra Dei pórrigit.

Omnis tibi sit glória,
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia.
Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

Ad Bened. Aña. Elías homo erat símilis nobis passíbilis : et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit: et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus; eódem interveniénte ad cœléstia sublevémur, et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Margaritæ.

AD TERTIAM.

Capit. Surréxit.

℟. *br.* Verbo Dómini * Contínuit cœlum. Verbo. ℣. Et dejécit de cœlo ignem ter. Contínuit. Glória Patri. Verbo.

℣. Tu ungis reges ad pœniténtiam. ℟. Et prophétas facis successóres post te.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Eccl.* xlviij.

VErbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. *br.* Tu ungis reges * Ad pœniténtiam. Tu. ℣. Et prophétas facis successóres post te. Ad. Glória Patri. Tu.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

AD NONAM.

Capitulum. *Eccli.* xlviij.

TU sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. *br.* Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti. ℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te. Glória Patri. Beáti.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Magnif. Aña. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse et Eliséus per siccum. Et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

DIE XXIV. JULII.
S. Liborii
Episcopi et Confessoris.
Duplex. (m. t. v.)

Oratio. Exáudi.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. **Nocturno.**

Lectio iv.

Libórius honéstis paréntibus in Gállia natus, et ab ineúnte ætáte caducárum rerum illécebras aversátus, egrégiam índolem præcláris móribus et humanárum sacrarúmque litterárum stúdiis ádeo diligénter excóluit, ut procéssu témporis, probitátis ac sapiéntiæ profíciens increméntis, maturitátem virílis ornáret ætátis. Clero ascríptus, ac offíciis functus ecclesiásticis, ámplius totum se divíno cúltui mancipávit, studuítque cunctos actus cogitatúsque suos ita ad ratiónis normam dirígere, ut nihil appéteret pœniténdum. Modéstia ítaque, abstinéntia, castimónia aliísque virtútibus conspícuus, Pavácio Cenomanénsi Epíscopo defúncto, unánimi civitátis consénsu, quartus ejúsdem sedis Antístes suffícitur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Sa dignitátis accessióne nihil intérius immutátus, in concrédita sibi Dómini vínea excolénda totus fuit. Assídua prædicatióne, vitæ innocéntis exémplo, et effúsa in páuperes caritáte præcípue insígnis, pópuli mores reformávit, ac potens in ópere et sermóne multos integritáti vitæ fideíque restítuit. Domus Dei decórem et cultum egrégie promóvit, ædificátis septémdecim ecclésiis, in quibus pro jugi divinórum officiórum celebratióne et affluéntibus pópulis sacrórum dispensatióne divérsi órdinis minístros instítuit. Tandem quadragínta novem annis in episcopátu sanctíssime transáctis, obdormívit in Dómino

décimo Kaléndas Augústi. Eum in cilício decumbéntem, et ad cœléstem pátriam anhelántem, beátus Martínus Turonénsis Epíscopus ab Angelo mónitus invísit, mortuúmque in suburbána ecclésia honorífice sepelívit, ubi multis póstea miráculis coruscávit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

VErum post debellátam a Cárolo Magno Saxóniam et Christi jugo subáctam, Badurádus secúndus Paderbónæ in Westphália Epíscopus, cum adhuc rudem in fide pópulum ad avítas Gentílium superstitiónes sese convertént em animadvertísset, quo illum ab ejúsmodi erróribus per novum patrónum ac intercessórem apud Deum revocáret, divíno mónitu ab Aldríco Cenomanénsi Antístite Libórii corpus impetrávit, et máxima cum celebritáte suscépit anno salútis octingentésimo trigésimo sexto. Sacræ relíquiæ cum transferréntur, omnes illas regiónes mira signórum frequéntia illustrárunt, quorum fama percrebescénte, magnum ubíque Libórii nomen esse cœpit. Sed ejus virtus contra nephríticos dolóres præcípue caréscit, contínuis testáta benefíciis, ob quæ peculiári fidélium pietáte multis in regiónibus celebrátur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. ij. loco.*

Lectio ix. Homiliæ Vigil. et Commem. ejusd. ac S. Christinæ.

DIE XXVII. JULII.

(*d. a. ex xix. huj.*)

S. Vincentii a Paulo

Conf. Duplex.

Ut in Breviario die xix. hujus.

Commem. et Lectio ix. S. Pantaleonis Mart.

DIE XXVIII. JULII.

SS. Victoris I. *Papæ Mart.* Innocentii I. *Papæ Conf.* Nazarii *et* Celsi *Mart. Duplex.*

Oratio.

SAnctórum tuórum nos, Dómine, Victóris, Innocéntii, Nazárii, ac Celsi, confféssio beáta commúniat, et fragilitáti nostræ subsí-

dium dignánter exóret. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Victor in Africa natus, Sevéro imperatóre rexit Ecclésiam. Confirmávit decrétum Pii primi, ut sacrum Pascha in die Domínico celebrarétur : qui ritus, ut póstea in mores inducerétur, hábita sunt multis in locis concília, et in Nicæna dénique prima synodo sancítum est, ut Paschæ dies festus, post quartam décimam lunam agerétur, ne Christiáni Judæos imitári videréntur. Státuit, ut quavis aqua, modo naturáli, si necéssitas cógeret, quicúmque baptizári posset. Theódotum Coriárium Byzantínum, docéntem Christum tantúmmodo hóminem fuísse, ejécit ex Ecclésia. Scripsit de quæstióne Paschæ, et ália quædam opúscula. Creávit duábus ordinatiónibus mense Decémbri Presbyteros quátuor, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca duódecim. Martyrio coronátus, sepelítur in Vaticáno quinto Kaléndas Augústi. Sedit annos novem, mensem unum, dies vigínti octo.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Innocéntius Albanénsis, sancti Hierónymi et Augustíni ætáte flóruit, de quo ille ad Demetríadem vírginem : Sancti Innocéntii, qui apostólicæ cáthedræ, et beátæ memóriæ Anastásii succéssor et fílius est, téneas fidem, nec peregrínam, quamvis tibi prudens cállidaque videáris, doctrínam recípias. Eum tamquam justum Loth subtráctum Dei providéntia, ad Ravénnam servátum fuísse, scribit Orósius, ne Románi pópuli vidéret excídium. Is, Pelágio et Cœléstio damnátis, contra eórum hærésim decrétum fecit, ut párvuli ex christiána étiam mulíere nati, per baptísmum renásci debérent; ut in eis regeneratióne mundétur, quod generatióne contraxérunt. Probávit étiam, ut Sábbato, ob memóriam Christi Dómini sepultúræ, jejúnium servarétur. Sedit annos quíndecim, mensem unum, dies decem. Quátuor ordinatiónibus mense Decém-

bri, creávit Presbyteros trigínta, Diáconos quíndecim, Epíscopos per divérsa loca quinquagínta quátuor. Sepúltus est in cœmetério ad Ursum pileátum.

℟. Vérbera.

Lectio vj.

NAzárius, a beáto Lino Papa baptizátus, cum in Gálliam proféctus esset, ibi Celsum púerum a se christiánis præcéptis prius instrúctum, baptizávit : qui una Trévirim eúntes, Nerónis persecutióne, in mare utérque dejícitur, unde mirabíliter evasérunt. Póstea Mediolánum veniéntes, cum ibi Christi fidem disseminárent, ab Anolíno præfécto, constantíssime Christum Deum confiténtes, cápite plectúntur : quorum córpora extra portam Románam sepúlta sunt. Quæ cum diu latuíssent, Dei mónitu a beáto Ambrósio, conspérsa recénti sánguine sunt invénta, tamquam si paulo ante martyrium passi essent : unde in Urbem transláta, honorífico sepúlcro contécta sunt.

℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

DIE XXIX. JULII.

S. Felicis II.

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

Comm. simplicis (omisso nomine Felícis.)

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix secúndus Románus, patre Anastásio, ex Románæ Ecclésiæ Archidiácono, in Pontíficem eléctus est, vivénte Libério. Cum autem de Felícis pontificátu, témpore Gregórii decimitértii, non levis controvérsia incidísset, virique gravíssimi divérsum sentírent; áccidit eo ipso témpore, ut in diaconía sanctórum Mártyrum Cosmæ et Damiáni in foro Románo, quidam thesáurum quæréntes, in arcam marmóream incíderint : in qua corpus sancti Felícis repértum est, una cum lapídeo latérculo, ibídem intus pósito, hisque lítteris exaráto : Corpus sancti Felícis Papæ et Mártyris, qui damnávit Constántium. Cónti-

git id prídie ejus diéi, quo Felícis in Ecclésia natális dies agi consuéverat, quarto Kaléndas Augústi, anno Dómini millésimo quingentésimo octogésimo secúndo. Unde Felíce quasi pro se testimónium reddénte, festum ejus in eádem diaconía cum majóri solemnitáte síngulis annis celebrári consuévit.

℟. Honéstum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano serm. xij.

Lectio v.

SErmónem éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Felícis celebrámus. Tristis proculdúbio tunc ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis; semper cúpiens vidére præséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti lætítia cuncta, quæ tum gesta sunt, legéndo recólimus : diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed exspectámus hiláriter redeúntem.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

VIcína córporis morte, non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális, et cura tuéndi Domínici gregis, usque ad extrémum vitæ hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carníficis. Ita se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non obliviscerétur Epíscopum; magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli procónsuli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat : Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum ímitans præparábat.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

DIE XXX. JULII.

B. Hugonis

Confessoris. Duplex.
(*m. t. v.*)

Oratio.

Deus, qui in beáto Hugóne Confessóre tuo mirum divínæ contemplatiónis stúdium cum pari erga próximum caritáte sociásti : tríbue, quæsumus ; ut in utróque eum imitántes in terris, cum eo præmia ætérna mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. SS. Abdon et Sennen Martyrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hugo ex Serra sancti Quírici, quod óppidum est in Picéno, nobílibus oriúndus paréntibus, a primis usque puerítiæ annis spécimen dedit futúræ virtútis, pietáte in Deum et morum suavitáte. Adoléscens ad bonas ediscéndas artes Bonóniam missus, multum in eis profécit. At cum plures vidéret sæculi móribus ad vítia tradúci, cœpit secum cogitáre, nil sibi profutúrum stúdium litterárum, si cordis innocéntiam non serváret. Igitur humána despíciens, sanctum Silvéstrum Guzolínum, magna tunc sanctitátis fama percélebrem, apud Sentínum commorántem adívit, ut eo duce, et ejus sub institúto ac disciplína árduum arríperet evangélicæ perfectiónis iter. Quod cum ægre tulísset pater, nullas non adhíbuit blandítias, preces et minas, ut fílium a suscépto consílio dimovéret. Sed Hugo egrégium de se, de patre, de mundo triúmphum agens, victor ingréssus in Ordinem sancti Silvéstri, voti compos efféctus est. Tum vero christiánis virtútibus excoléndis ádeo incúbuit, humilitáti præsértim, obediéntiæ, paupertáti, ut brevi sese osténderit perfectíssimum eárum exémplar. Divinárum rerum contemplatióni, recitandísque psalmis, et sacris legéndis ac meditándis Scriptúris contínuo inténtus, cœléstem magis quam terrénam vitam dúcere videbátur.

℟. Honéstum.

Lectio v.

HInc sive cum suis, sive cum éxteris sermónem habéret, nihil nisi de Deo et divína erga hómines caritáte loquebátur, nihil, quod ad Dei laudem et próximi ædificatiónem non pertinéret: nimírum ómnia, quæ suis occurrébant óculis, excitaménto ei erant ad divínas laudes celebrándas. Quod cum sanctus Silvéster intuerétur, tantam alúmni sui virtútem non pótuit veheménter non admirári. Amórem hunc erga Deum tam singulárem cum pari erga hómines caritáte conjúnxit. Ægrótos frequénter invisére, blandis piísque sermónibus afflíctos recreáre, peccatóres corrígere, timéntes Deum salubérrimis mónitis confirmáre, familiáre ipsi ádmodum fuit. Comis, mitis et fácilis, cum patérna omnes caritáte complecterétur, eos fácile sibi et Christo lucrabátur. Hinc cum ejus virtútum fama longe latéque percrebuísset, et ingens ad eum concúrsus hóminum fíeret, supérnam in eo grátiam admirabántur omnes. Nec tantam servi sui erga se et próximos caritátem crebris miráculis prætermísit Dóminus illustráre. Inter quæ illud celebérrimum, quod operários, quos dira urgébat sitis, commiserátus, ictu báculi fontem ex lápide copiósum atque perénnem eduxísse fertur, etiámnum expelléndis morbis opportuníssimum. ℟. Amávit.

Lectio vj.

HIS benefíciis miraculísque permóti íncolæ Veragráni, apud quos non exíguo témpore déguit, ut servo Dei de se ádeo beneme-rénti habére se grátias significárent, eum post óbitum sibi apud Deum Patrónum ab antiquíssimo témpore delegérunt, aras extulérunt, ejúsque festum diem quotánnis undécimo Kaléndas Septémbris máxima celebritáte ad hæc usque nostra témpora, peregérunt. Veragráno demum Sentínum revérsus, cum in eo totus esset, ut errántes in viam salútis revocáret, rectos vero in justítiæ sémita confirmáret, febri corréptus, sacraméntis religióse suscéptis, circumstántes ad pacem, ad

caritátem, ad sanctæ vitæ ratiónem constánter prosequéndam hortátus, pollícitus étiam mútuam eis pacem, ut precabántur, pro futúro in ævum témpore sese a Deo impetratúrum, obdormívit in Dómino. Ejus corpus frequéntibus miráculis clarum, novo sarcóphago cónditum, summa adhuc fidélium veneratióne recólitur. Quem cultum ab eo témpore ad nos usque perdúctum Benedíctus decimusquártus Póntifex máximus declarávit, ritéque probávit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

Lectio ix. et Commem. SS. Martyrum.

DIE IX. AUGUSTI.

S. Æmygdii

Episc. et Mart. Compatr. Pisaur. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud. Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apost.

Hymnus.

AUdiat miras óriens cadénsque
Sol tuas laudes, celebrésque palmas,
Præsul Æmygdi, cólumen, tuæque
Glória gentis.

O jubar cœli rádiis decórum,
O potens signis, meritísque felix,
Quem Deus gestis adhibére suévit
Grándibus olim.

Ethnico primum génitus parénte
Illico nomen súperis dedísti,
Pátriis spretis ópibus, beáta
Regna requírens.

Miles hinc scriptus Tríadis supérnæ
Italis infers sacra bella plagis,
Instruis verbo, tribuísque mira
Dona salútis.

Victor, et dives spóliis, deórum
Templa subvértis, simulácra, et aras,
Mox feras gentes numerósa reddis
Agmina Christo.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus et Unus.
Amen.

℣. Terra trémuit, et quiévit. ℟. Dum pro nobis deprecarétur Æmygdius.

Ad Magnificat, Aña. Æmygdius spíritu oris sui idolórum cultum, et templa subvértit: quos in Christo génuit fílios, illos fidéliter a ruínis terræmótus servávit.

Oratio.

Deus, qui beátum Æmygdium Mártyrem tuum atque Pontíficem idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius, ut eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Imperas saxo, látitans repénte
Lympha consúrgit, flúitans salúbri
Fonte baptísmi, populósque lustras
Flúmine sacro.

Péctoris duros sílices repélle,
Sáxeum cordis túmidi rigórem
Cóntere, ut sordes lacrymósa manans
Abluat unda.

Non times sævi rábiem tyránni,
Sánguine effúso, generóse Martyr,
Quin tibi abscíssum caput usque ad aras
Mórtuus effers.

Nunc triumphátor super astra regnans
Sémitam nobis aditúmque monstra;
Súpplices ductor génitos supérnis
Sédibus infer.

Annuat cœlo Pater, atque Natus,
Annuat compar utriúsque virtus,
Spíritus votis, Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Circuívit terram, et perambulávit eam, ut notam fáceret in pópulis glóriam Dei.

Aña. Virtúte magna reddébat testimónium summi Dei, et Jesu Christi Dómini nostri.

Aña. Confúsi sunt, qui adorábant sculptília, et qui gloriabántur in simulácris suis.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 5 *vers.* 2.

NE sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui : et ne díxeris : Quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea ? Deus enim víndicans vindicábit : Ne díxeris : Peccávi, et quid mihi áccidit triste ? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas : Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim, et ira ab illo cito próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus.

℟. Egréssus est de terra sua, et de cognatióne sua, * Et venit in terram, quam monstráverat illi Deus. ℣. Ut annuntiáret inter gentes ópera ejus. — Et venit.

Lectio ij. *Cap.* 10. *b*

INítium omnis peccáti est supérbia: qui tenúerit illam adimplébitur maledíctis, et subvértet eum in finem. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, et destrúxit eos usque in finem. Sedes ducum superbórum destrúxit Deus, et sedére fecit mites pro eis. Radíces géntium superbárum arefécit Deus, et plantávit húmiles ex ipsis géntibus. Terras géntium evértit Dóminus, et pérdidit eas usque ad fundaméntum.

℟. Diréctus est in conversiónem géntium, * Et tulit abominatiónes impietátis. ℣. Zelo zelátus est pro Dómino Deo. — Et.

Lectio iij. *Cap.* 16. *b*

NON dicas : A Deo abscóndar et ex summo quis mei memorábitur? In pópulo magno non agnóscar : quæ est enim ánima mea in tam imménsa creatúra? Ecce cœlum, et cœli cœlórum, abyssus, et univérsa terra, et quæ in eis sunt, in conspéctu illíus commovebúntur, montes simul, et colles, et fundaménta terræ, cum conspéxerit illa Deus, tremóre concutiéntur.

℟. Elégit abjéctus esse in domo Dei, * Magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Et virtúte magna reddébat testimónium Jesu Christi

Dómini nostri. — Magis. Glória Patri. Magis.

In II. Nocturno.

Aña. Audiéntes autem gentes gavísæ sunt, et glorificábant verbum Dei.

Aña. Et cantábant cánticum novum, carmen Deo nostro : Dóminus enim augébat quotídie, qui salvi fíerent.

Aña. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum, et ánima una.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

Æmygdius, e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, anno ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno, et Valentíno vitam duxit. Humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat; erga próximum caritátis ardóre æstuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℟. A fácie furóris tui, Deus, conturbáta est omnis terra : * Miserére, et ne fácias consummatiónem. ℣. Avertátur furor tuus a pópulo tuo. — Miserére.

Lectio v.

Vox óculis cæci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine, eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille tercentórum Gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti Urbis minas, Angeli mónitu, declínans sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo Epíscopus ordinátus, et Asculum missus est.

℟. Montes commovebúntur, et colles contremíscent : * Misericórdia

autem mea non recédet a te. ℣. Et fœdus pacis meæ non movébitur. — Misericórdia.

Lectio vj.

MUltis in itínere miráculis, ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Æmygdius pervénit, dæmones e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt. Quem cum concitáta plebs ad cædem quæreret, excítus tumúltu Polymius civitátis præses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis, ad Jovis, et Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in præmium núptiis própriæ fíliæ Polysiæ, quam Æmygdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polymius sancto Epíscopo caput abscídit; quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus, per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit; inde ad templum máximum translátum est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu exterórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors, persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Misericórdia tua Dómine non recédat a nobis: * Ut salvet nos, dum terra tremit. ℣. Eleva bráchium tuum : et déxtera tua glorificétur in nobis. — Ut. Glória Patri. Ut.

In III. Nocturno.

Aña. Sicut pastor gregem suum pavit, et in bráchio suo congregávit agnos.

Aña. Trádidit corpus suum in mortem, ídeo coronátus póssidet palmam.

Aña. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xxj.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prœlia, et seditiónes, nolíte terréri :

opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum : et terræmótus magni erunt per loca. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia j. in Evangelia.

DOminus ac Redémptor noster parátos nos invenire desíderans, senescéntem mundum quæ mala sequántur, denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantæ persecutiónes prævéniant, innotéscit : ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum ejus judícium vel persecutiónibus attríti timeámus.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israel : * Hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Ipse intercédat pro nobis ad Dóminum. — Hic.

Lectio viij.

HIc étenim lectióni sancti Evangélii, quam modo vestra fratérnitas audívit, paulo supérius Dóminus præmísit, dicens : Exsúrget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum : et erunt terræmótus magni per loca, et pestiléntiæ, et fames. Et quibúsdam interpósitis, hoc, quod modo audístis, adjúnxit : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra géntium præ confusióne sónitus maris, et flúctuum. Ex quibus profécto ómnibus ália jam facta cérnimus, ália in próximo ventúra formidámus.

℟. Iste sanctus gloriósum sánguinem fudit pro Dómino, amávit Christum in vita sua, imitátus est eum in morte sua : * Et ídeo glorificávit eum in cœlis. ℣. Iste sanctus conféssus est Jesum Christum coram homínibus. — Et ídeo. Glória Patri. Et ídeo.

Lectio ix. de Homilia Vigiliæ S. Laurentii.

Si alia die celebretur, erit sequens.

Lectio ix.

NAM gentem contra gentem exsúrgere, earúmque pressúram terris insístere, plus jam in nostris tempóribus cérnimus, quam in codícibus légimus. Quod terræmótus urbes

innúmeras óbruat, ex áliis mundi pártibus scitis quam frequénter audívimus. Pestiléntias sine cessatióne pátimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis, adhuc apérte mínime vídimus : sed quia et hæc non longe sint, ex ipsa jam áeris immutatióne collígimus. Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Ut cognóvit * Æmygdius quod magnus est Dóminus Deus noster præ ómnibus diis, státuit custodíre judícia justítiæ suæ.

2. Exívit de domo sua,* et de cognatióne sua, et venit in terram, quam monstráverat illi Deus.

3. In hoc excitávit * illum Dóminus, ut osténderet in eo virtútem suam, et annuntiáret inter gentes nomen suum.

4. Intelléctum dedit ei, et instrúxit in via hac, qua graderétur, et firmávit super eum óculos suos.

5. Diréctus est * in conversiónem géntium, et tulit abominatiónes eárum.

Capitulum. *Jac.* 1. *b*

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

JEsu coróna Mártyrum,
Qui post cruénta prœlia
Ad sempitérna præmia
Sanctum vocásti Æmygdium.

Casti cruóris púrpura,
Palmáque ovántem nóbili,
Inter choros cœléstium
Reples beáto lúmine.

Nunc ejus ad victórias
Nos somnoléntos éxcita,
Virtútis ad præcónia
Sopóre mersos líbera.

Ut invocátus réddidit
Membris salútem lánguidis,
Sic labe prorsus críminum
Arcána purget méntium.

Ut éditis miráculis
Aras deórum díruit,
Sic damna præsens árceat,
Quæcúmque nobis ímminent.

Ut voce quondam sústulit
Cultus nefándos dæmonum,
Sic ímpetret precántibus
Ætérna cœli gáudia.

Tu postulátis ánnue,
Rex magne Jesu Mártyrum,

Cum Patre, et almo Spíritu
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Æmygdi. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Aña. O virum ineffábilem, per quem nobis antíqua prodígia Móysis corúscant, cujus nútibus e saxo aqua baptísmatis Asculáno pópulo emanávit: per quem evangélica lux effúlsit : quem triúmphans excépit cúria cœléstis : illic pro nobis intercédere dignétur, ut suo mereámur gaudére consórtio.

IN II. VESPERIS.

Si dicendæ sunt, Añæ et Capit. de Laud. Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apost. et loco ultimi Ps. Crédidi.

Hymnus. Jesu coróna Mártyrum. *ut supra ad Laudes.*

℣. Méritis et précibus beáti Æmygdii. ℟. Propítius esto Dómine clero et pópulo tuo.

Ad Magnificat, Aña. O Æmygdi, Martyr glorióse, quos in Christo genuísti fílios, et veræ fídei lacte enutrísti, tua, quæsumus, orátio commméndet nos indesinénter Deo.

DIE XI. AUGUSTI.
S. Philumenæ
Virg. et Mart. Duplex.

Ut in fine Breviarii.

Commem. Octavæ. Lectio ix. et Comm. SS. Mart. Tiburtii et Susannæ.

DIE XIII. AUGUSTI.
S. Cassiani
Episc. et Mart. Duplex.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Cassiánum Pontíficem tuum Martyrii coróna decorásti : concéde propítius ; ut cujus solémnia cólimus, ejus patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Comm. Octavæ ac S. Hippolyti Mart.

(Aña et ℣. e Laud. et Orat. in num. singul.)

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cassiánus in divínis lítteris egrégie versátus, ac vitæ sanctitáte conspícuus, Sabiónam

Germániæ urbem (unde sedes episcopális póstea Brixínam transláta est) véniens, ejus hómines ad Christi fidem convértit, ædificatáque in honórem Matris Dei Vírginis Maríæ Ecclésia, primus ibi Epíscopus a Patriárcha Aquileiénsi ordinátur. Inde a pagánis expúlsus, Romam peregrinatiónis causa proficísci decrévit. Cum autem ad Forum Cornélii (quod nunc Imola dícitur,) pervenísset, eum pópulum idolórum cúltui déditum videns, ibi divíno consílio veram christiánæ religiónis fidem disseminàre cogitávit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Atque ut id facílius præstáre posset, grammáticam humanásque lítteras púeros docére cœpit. Quibus cum profános libros explicáre contíngeret, inánem simulacrórum cultum esse ratiónibus demónstrans, fídei cápita illis proponébat, atque in christiána religióne téneram ætátem éxcolens, verbum Dei disseminábat. Quod cum per eam urbem divulgarétur, tamquam novæ religiónis auctor apud urbis præféctum accusátur. A quo interrogátus, quam profiterétur artem; respóndit, se Jesum Christum crucifíxum, totíus mundi salútis auctórem, ignorántibus prædicáre. Cumque ab eo propósito præféctus eum nullo modo abdúcere posset; novum et crudéle martyrii genus excógitans, Cassiánum discipulórum arbítrio, quibus docéndo exósus factus fúerat, excruciándum et occidéndum tradi ímperat.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

Impii vero discípuli in magístrum, a quo vitæ præcépta accéperant, incitáti, illum colúmnæ marmóreæ (quæ adhuc via Flamínia in sacéllo, quod nunc parochiális exstat ecclésia, prope urbem cólitur) alligátum furéntes invádunt, tabellísque et férreis stylis sacrum ejus corpus undíque contúndunt ac lácerant. Quorum vulnéribus diu confóssus et crudéliter excarnificátus, invíctum Deo spíritum réddidit, Idibus Augústi. Ejus mar-

tyrii palma tanto fuit illústrior, quanto puerórum vis infírmior, pœnáque grávior, ac diutúrnior. Corpus sancti Mártyris Imolæ in cathedráli ecclésia, ejus nómine Deo dicáta, cónditum, magna pietáte cólitur. ℞. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* x. *c*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Epíscopi. *In Apologia de fuga sua, ante medium.*

IN lege præcéptum erat ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum cum advenísset illud ipsum Verbum Patris, quod Móysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : Cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consisténtem in loco sancto (qui legit, intélligat,) tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam. ℞. Coróna áurea.

Lectio viij.

HÆC cum scirent sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in Sanctis : et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum propter nos homo factum non indígnum putávit, cum quæreréтur, quemádmodum et nos abscóndere se; et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre : cum autem a se definítum tempus ipse adduxisset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus. ℞. Hic est.

Lectio ix.

AT vero sancti hómines cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent, (ab ipso enim et ántea et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres ut legítime certárent, fugiébant, et ab illis quæsíti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes et Dóminum mortificáre, et vivificáre; pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis et péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis et cavérnis terræ laténtes quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset. Te Deum.

In Laud. fit Commem. Oct. ac S. Hippolyti (cum ejus ix. Lect. quæ terminat ad verb. Eádem die.)

DIE XIV. AUGUSTI.
B. Sanctes
Confessoris. Duplex.

Oratio.

SAlútis nostræ auctor, omnípotens Deus, qui beátum Sanctem Confessórem tuum admirábili providéntia a sæculi perículis ereptum in tui sequélam veníre fecísti : da nobis, quæsumus, ut ejus précibus et méritis in tuo sancto servítio fervéntes, ab ómnibus inimicórum nostrórum liberémur insídiis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Oct. S. Laurentii ac S. Eusebii Conf. Aña. Euge, serve bone. *ex Laud.* ℣. Justum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SAnctes, paréntibus famíliæ splendóre ac mórum pietáte claris, in monte Fabrórum Urbinaténsis diœcésis óppido in Picéno natus, puerítia innocénter transácta, adoléscens Urbínum míttitur : ubi severióribus stúdiis excoléndis ádeo profécit, ut coævos longe præstáret. Do-

mum revérsus, singulári Dei providéntia ad claustra vocátur. Accidit namque, ut hóminis in eum stricto ense irruéntis, et domum usque persequéntis, cum ánimum verbis demúlcere non valéret, vimque vi repéllere cogerétur, ne própriam vitam próderet, Sanctes agressóris fœmur invítus confóderit. Sed tanto hujus evéntus mœróre captus est, ut facti pœnitens, quod contínuo mente versábat, júgibus lácrymis ac asperióris vitæ génere expiáre studúerit. Quod ut libérius perficéret, abjéctis quæ mundi sunt, inter convérsos órdinis Minórum récipi humíliter postulávit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Voti compos factus ac tyrocínium ingréssus, institúti ádeo rígidus custos visus est ut solémni emíssa professióne novítiis láicis instituéndis áliquot annos præpósitus fúerit. Munus hoc exémplo mélius quam verbis perfécte implévit: verum subésse pótius cúpiens, quam præésse, múnere illo abdicáto, humilióribus operosísque cœnóbii offíciis, quoad vixit, totus incúbuit. Inter hæc fervens erat oratiónis ac contemplatiónis stúdium, acérrima per crebra rigídaque jejúnia, cruéntas flagellatiónes ac vigílias sui córporis macerátio. In Deíparam singulári ferebátur amóre: Christi patiéntis dolóres assíduo recolébat afféctu. Ea erat ipsíus fides in sanctíssimum Eucharístiæ sacraméntum, ut coram orans quandóque a sénsibus rapi, sacrúmque mystérium ad altáre oblátum longe ab eo distans conspícere ac adoráre merúerit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Repetítis précibus, protractísque jejúniis a Deo obtínuit, ut apérto úlcere in ea sui córporis parte, qua concívem sauciáverat, ad relíquum vitæ cursum eósdem experirétur dolóres, quos ille fúerit perpéssus. Supérnis charismátibus auctus ac méritis plenus, decurrénte anno vigesimoquárto post sui in religiónem ingréssum, extrémo corréptus morbo ad cœléstem pátriam se vocári prænó-

vit. Quare ecclésiæ sacraméntis miro cordis fervóre pétitis, intimóque pietátis sensu suscéptis, virtútibus miraculísque clarus in pervigílio beatíssimæ Vírginis in cœlum assúmptæ ad súperos evolávit in convéntu, qui ab ejus nómine póstea appellátus est, prope montem Baróchium. Corpus ejus e commúni sepúlcro erútum, ac nobilióri urna inclúsum públicæ fidélium veneratióni in Ecclésiæ sacéllo elegánter exstrúcto collocátum fuit. Aucta autem in dies sanctitátis ac miraculórum fama, Clemens Decimusquártus cultum ab immemorábili témpore ei præstitum ratum hábuit et confirmávit : Pius vero Sextus Póntifex máximus lectiónes próprias cum oratióne in ejus Officio recitári indúlsit. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco. Lectio xj. Hom. Vigil. Assumpt.*

In Laud. Comm. Oct. S. Laurentii, Vig. Assumpt. ac S. Eusebii Conf. Aña. Similábo. ℣. Amávit.

Vesperæ de sequenti tantum.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. Rochi

Confessoris. Duplex.

Ut in fine Breviarii. Commemoratio Octavarum.

DIE XVIII. AUGUSTI.

(D. a. ex xvj. huj.)

S. Hyacinthi

Conf. Duplex.

Ut in Breviario die xvj. hujus.

Commem. Octavæ Lectio ix. et Comm. S. Agapiti Mart.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. Stephani I.

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

STéphanus Románus pontificátum gessit Valeriáno et Galliéno imperatóribus. Instítuit, ut Sacerdótes et Diáconi nusquam sacris véstibus, nisi in Ecclésia uteréntur. Baptizátos ab hæréticis, íterum baptizári vétuit, rescríbens sancto Cypriáno verbis illis : Nihil innovétur, nisi quod tráditum est. Multos

étiam ad Christum convértit : in iis Olympium tribúnum cum uxóre Exupéria, et fílio Theodúlo; item Nemésium tribúnum cum tota família, óculis Lucíllæ ejus fíliæ restitútis : qui omnes Jesu Christi Mártyres fuérunt.

℟. Honéstum.

Lectio v.

SED veheméntius jam ingravescénte persecutióne imperatórum, Stéphanus convocáto clero ad martyrium suos hortabátur, in cryptísque Mártyrum assídue Missas, et concília celebrábat. Qui cum aliquándo raptus esset ab infidélibus ad templum Martis, ut ei sacrificáret, líbere negávit se dæmónibus honórem velle tribúere, qui uni Deo deberétur. Quibus in verbis Martis státua terræmótu cóncidit, templúmque contrémuit.

℟. Desidérium.

Lectio vi.

QUare ómnibus aufugiéntibus, qui Stéphanum tenébant, Póntifex ad suos revértitur in cœmetérium Lucínæ : quos divínis præcéptis ínstruens, sacraménto . córporis Christi communicávit; ibíque dum Missárum solémnia pérficit, adveniéntibus íterum imperatórum satellítibus, et in sua sede caput abscínditur. Corpus cum eádem sede conspérsa Mártyris sánguine a cléricis sepúltum est in cœmetério Callísti, quarto Nonas Augústi. Vixit in pontificátu annos tres, menses tres, dies vigínti duos. Hábuit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos tres.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homil. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Comm. ij. loco.*

DIE XXIV. AUGUSTI.

S. Xysti II.

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In .II Nocturno.

Lectio iv.

XYstus secúndus, Atheniénsis, ex philósopho Christi discípulus, in persecutióne Valeriáni accusátus quod públice Christum prædi-

cáret, comprehénsus tráhitur in templum Martis, propósita ei capitáli pœna, nisi illi simulácro sacrificáret. Qua impietáte constantíssime recusáta, cum ad martyrium ducerétur, occurrénti sancto Lauréntio, et dolénter in hunc modum interrogánti : Quo progréderis sine fílio, pater? quo, Sacérdos sancte, sine minístro próperas? respóndit: Non ego te désero, fili; majóra te manent pro Christi fide certámina : post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta : intérea, si quid in thesáuris habes, paupéribus distríbue. Eódem ígitur die interféctus est, una cum Felicíssimo, et Agapíto Diáconis, Januário, Magno, Vincéntio, et Stéphano Subdiáconis, et in cœmetério Callísti sepúltus octávo Idus Augústi : céteri vero in cœmetério Prætextáti. Sedit menses úndecim, dies duódecim; quo témpore hábuit ordinatiónem mense Decémbri, creátis Presbyteris quátuor, Diáconis septem, Epíscopis duóbus. ℟. Honéstum.

Lectio v. et vj. Sermónem éxigit. *ut supra in Festo S. Urbani I. die xxviij. Maii.*

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

Lectio ix. Homil. Vigiliæ, cujus Comm. in Laud.

DIE XXVI. AUGUSTI.

S. Zephyrini

Papæ Mart. Duplex.

Oratio.

Præsta quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Zephyríni Mártyris tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Zephyrínus Románus, Sevéro imperatóre ad regéndam Ecclésiam assúmptus, sancívit, ut qui ordinándi essent, opportúno témpore, et multis præséntibus cléricis et láicis, de more sacris initiaréntur: doctíque ac spectátæ vitæ hómines ad id offícii munus deligeréntur. Decrévit prætérea ut rem divínam faciénti Epíscopo sacerdótes omnes astárent. Idem instítuit ut Patriárcha, Primas, Metropoli-

tánus advérsus Epíscopum non ferant senténtiam, nisi apostólica auctoritáte fulti. Vixit in pontificátu annos decem et octo. Hábuit ordinatiónes quátuor mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros trédecim, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca trédecim. Antoníno imperatóre martyrio coronátus est, et sepúltus via Appia prope cœmetérium Callísti, séptimo Kaléndas Septémbris.

℟. Honéstum.

Lect. v. et vj. Pastor bonus. *ut die xxix. Maii. legendo* S. Zephyrínus *pro* S. Felix *circa medium Lect. v.*

In iij. Noct., *Homilia.* Quia Dóminus. *de Comm. ij. loco.*

DOM. ULTIMA AUG.
Dedicationis Eccl. Cathedral. et omnium Eccl. Civit. et Diœc. Pisaurensis.

Duplex j. classis cum Octava.

Omnia ut in Communi Dedicationis.

Lectio ix. Homiliæ et Commem. Dominicæ.

DIE I. SEPTEMBRIS.
S. Hormisdæ
Papæ et Conf. Duplex.
(m. t. v.)

Oratio. Da, quæsumus.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HOrmísdas, natióne Campánus, Justo patre Frusináte, séptimo a Symmachi óbitu die, cum jam sanctæ Románæ Ecclésiæ Diáconus esset, summa ómnium consensióne, ad sanctam Petri sedem provéctus est; in qua ita se gessit, et Domínico gregi pascéndo sédulam óperam navávit, ut non sine singulári Dei providéntia, ac divíno consílio eléctum fuísse, perspéctum sit. Hoc quippe hómine iis tempóribus Ecclésia indigébat, qui et res árduas faciéndas animóse suscíperet, et suscéptas ad optátum finem strénue perdúceret.

℟. Invéni.

Lectio v.

UBI suprémum Pontíficis munus íniit, totum fere christiánum orbem sub régi-

bus bárbaris, vel hæréticis geméntem invénit, et distráctam in partes Ecclésiam. Sed octo annórum spátio, vir plane Deo plenus, perénni cura, ac felíci labórum suórum evéntu, eo rem addúxit, ut Orientáles Ecclésiæ ab octogínta círciter annis fœdo schísmate separátæ, subscrípto libéllo, quem is per suos legátos míserat, ad unitátem redíerint; et Africæ sui Epíscopi, quos in Sardíniam Vándali relegárant, fúerint restitúti, et Lazórum rex ac pópulus ad Christi fidem, ejus ópera, indúctus sit; ac demum Chlodovæus Francórum rex, ad eámdem fidem convérsus, solémni legatióne ad sedem apostólicam, corónam áuream gemmis distínctam Hormísdæ obtúlerit, ad perpétuum obediéntiæ et fídei monuméntum. ℟. Pósui.

Lectio vj.

Manichæos item discússit, eorúmque códices ante fores Constantiniánæ basílicæ incéndio concremávit. Complúres epístolas scripsit ad vários per univérsum orbem christiánum, in quibus ardentíssimus zelus religiónis amplificándæ, quo medúllitus flagrábat, sacrárum litterárum sciéntia, cum limpidíssimo et amœno stylo conjúncta, qua plúrimum valébat, singuláris rerum gerendárum perítia, præsértim cum régibus et optimátibus, qua præ céteris pollébat, aliæque heróici ánimi dotes, mirum in modum elúcent. Ejus demum pia liberálitas in egénos et sacras ædes profúsa fuit : ac tandem suórum votórum compos, annis, ac méritis gravis, et rerum gestárum glória apud Deum et hómines celebérrimus, post novem pontificátus annos, ad cœléstem pátriam migrávit, anno Christi quingentésimo vigésimo tértio, exánimi córporis exúviis Vaticánæ basílicæ relíctis.
℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

Lectio ix. S. Ægidii Abbatis. Commem. ejusd. ac SS. XII. Fratrum Mart.

COMMEMORATIO S. TERENTII MART.

IN SUFFRAGIIS FACIENDA.

AD VESPERAS.

Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : Ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

AD LAUDES.

Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum Sanctis in cœlo triúmphas, súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Tam ad Vesp. quam ad Laud. ab Oct. Epiph. usque ad Purif. dicitur sequens.

℣. Ora pro nobis, beáte Terénti.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

A Purif. usque ad Adventum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

Propitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

PRO CANONICIS CATHEDRALIS.

COMMEM. S. THOMÆ APOSTOLI.

AD VESP. ET AD LAUD.

Aña. Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt. (Allelúia.)

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ commemoratióne gloriári; ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

Kalendarium perpetuum
pro Clero Civit. et diœc. Pisaurensis.

MAIUS.

16 S. Ubaldi Ep. et Conf., *dupl.*
17* S. Joannis Nepomuceni Mart.. *dupl.*
18 S. Venantii Mart., *dupl.*
19 S. Petri Cœlestini Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Pudentianæ Virg.
20 S. Bernardini Senensis Conf., *semidupl.*
21* S. Felicis a Cantalicio Conf., *semidupl.*
22* S. Stanislai Ep. Mart., *dupl.* (*ex* 7 *huj.*)
23* S. Paschalis Baylon Conf., *dupl.* (*ex* 17 *huj.*)
24* B. Mariæ Virg. titulo Auxilium Christianorum, *duplex majus.*
25 S. Gregorii VII. Pap. Conf., *dupl.*
26 S. Philippi Nerii Conf., *dupl.*
27* S. Joannis I. Pap. Mart., *dupl.*
28* S. Urbani I. Pap. Mart., *dupl.*
29* S. Bonifacii IV. Pap. Conf. *dupl.*
30* S. Felicis I. Pap. Mart., *dupl.*
31 S. Angelæ Mericiæ Virg., *dupl. Comm.* S. Petronillæ V.

FESTA MOBILIA.

* Dominica ad libitum non impedita ritu duplici primæ classis. Commem. S. Eurosiæ Virg. et Mart. *simpl.*
* Dominica II. Maii. Purissimi Cordis B. M. Virg. *dupl. maj. Comm.* Domin.

JUNIUS.

1* S. Alexandri I. Pap. Mart., *dupl.*
2* S. Eugenii I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* SS. Marcellini et Soc. Mart.
3* S. Eleutherii I. Pap. Mart., *dupl.*
4 S. Francisci Caracciolo Conf., *dupl.*
5 S. Bonifacii Ep. et Mart., *dupl.*
6 S. Norberti Ep. Conf., *dupl.*
7* S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., *dupl.* (*ex* 27 *Maii.*)
8* S. Augustini Cantuar. Episc. Conf., *dupl.* (*ex* 28 *Maii.*)
9* Patrocinii S. Terentii Mart., *dupl. maj. Comm.* SS. Primi et Soc. Mart.
10 S. Margaritæ Reginæ Scotiæ Vid., *semidupl.*
11 S. Barnabæ Ap., *dupl. maj.*

12* S. Leonis III. Pap. Conf., *dupl. Comm.* SS. Basilidis et Soc. MM.
13 S. Antonii Patavini Conf., *dupl.*
14 S. Basilii Ep. Conf et Doct., *dupl.*
15* S. Joannis a S. Facundo Conf., *dupl.* (*ex* 12 *huj.*) *Comm.* SS. Viti et Soc. Mart.
16* S. Bedæ Venerabilis Conf. et Doct., *dupl.*
17* S. Pauli a Cruce Conf., *dupl.* (*ex* 28 *Aprilis.*)
18* S. Isidori Agricolæ Conf., *dupl.*
SS. Marci et Soc. Mart.
19* B. Michelinæ Vid. Pisaur., *dupl. Comm.* SS. Gervasii et Protasii Mart.
20* S. Silverii I. Pap. Mart.. *dupl.*
21 S. Aloysii Gonzagæ Conf., *dupl.*
22* S. Julianæ de Falconeriis Virg., *dupl.* (*ex* 19 *huj.*) *Comm.* S. Paulini Ep. et Conf.
23* *Vigilia.* B. Petri Jacobi a Pisauro Conf., *dupl. Comm.* Vig.
24 Nativitas S. Joannis Baptistæ, *dupl. j. class. cum* Oct.
25 S. Gulielmi Abb., *dupl. Comm.* Octavæ.
26 SS. Joannis et Pauli Mart , *dupl Comm.* Octavæ.
27* B. Petri a Molleano Conf., *dupl. Comm.* Octavæ.
28* *Vigilia.* S. Leonis II. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Oct. et Vig.
29 SS. Petri et Pauli Ap., *dupl. j. class. cum* Oct.
30 Commem. S. Pauli Ap., *dupl. maj. Comm.* S. Petri Ap. et Octavæ S. Joannis.

FESTA MOBILIA.

Feria VI. post Oct. SS. Corp. Christi, Festum Sacratissimi Cordis Jesu, *dupl. j. class.*
* Dom. III. Junii B. M. Virg. Matris Gratiar., *duplex maj. Comm.* Domin.

JULIUS.

1 Octava Nat. S. Joannis Baptistæ, *dupl. Comm.* Oct.
2 Visitatio B. Mariæ Virg., *dupl. ij. class. Comm.* SS. Processi et Soc. MM.
3* S. Mustiolæ Mart. Patr. min. princip. Pisauri, *duplex majus. Comm.* Oct.
4* S. Pauli I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Oct.
5 S. Antonii Mariæ Zaccharia Conf. *dupl. Comm.* Oct.
6 Octava SS. Petri et Pauli Ap., *dupl.*
7* B. Benedicti XI. Pap. Conf., *dupl.*
8 S. Elisabeth Reg. Vid., *semidupl.*
9* S. Veronicæ de Julianis Virg., *dupl.*

10 SS. Septem Fratrum Mart., ac SS. Rufinæ et Soc. VV. et MM., *semid.*
11* S. Pii I. Pap. Mart., *dupl.*
12 S. Joannis Gualberti Abb., *dupl. Comm.* SS. Naboris et Soc. Mart.
13* S. Anacleti Pap. Mart., *dupl.*
14 S. Bonaventuræ Ep. Conf. et Doct., *dupl.*
15 S. Henrici Conf., *semidupl.*
16 B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, *dupl. maj.*
17* S. Leonis IV. Pap. Conf., *dupl.*
18 S. Camilli de Lellis Conf., *dupl. Comm.* SS. Symphorosæ et Filiorum MM.
19* S. Symmachi Pap. Conf., *dupl.*
20* S. Eliæ Prophetæ, *dupl. Comm.* S. Margaritæ Virg. et Martyris.
21* S. Hieronymi Æmiliani Conf.. *dupl.* (*ex heri.*) *Comm,* S. Praxedis Virg
22 S. Mariæ Magdalenæ Pœnit., *dupl.*
23 S. Appollinaris Ep. Mart., *dupl.*
24* *Vigilia.* S. Liborii Ep. Conf., *dupl. Comm.* Vig. et S. Christinæ Virg. et Mart.
25 S. Jacobi Ap., *dupl. ij. class. Comm.* S. Christophori M.
26 S. Annæ matris B. Mariæ Virginis, *dupl. ij. class.*
27* S. Vincentii a Paulo Conf., *dupl.* (*ex* 19 *huj.*) *Comm.* S. Pantaleonis Mart.
28* SS. Victoris I. Pap. Mart., Innocentii I. Pap. Conf. et Nazarii ac Celsi Mart., *dupl.*
29* S. Felicis II. Pap. Mart., *dupl. Comm.* SS. Simplicii et Soc. Mart.
30* B. Hugonis Conf., *dupl. Comm.* SS. Abdon et Sennen. Mart.
31 S. Ignatii de Loyola Conf., *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. I. Julii. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *dupl. ij. classis Comm.* Domin.

* Dom. prima non impedita post Oct. SS. Ap. Petri et Pauli. Comm. Omnium Sanctor. Pontif. Romanorum, *duplex. Commem.* Domin.

* Dom. III. Julii. SS. Redemptoris, *duplex ij. classis Commem.* Domin.

AUGUSTUS.

1 S. Petri Ap. ad Vincula, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli Ap. et SS. Machabæorum Mart.
2 S. Alphonsi M. de Ligorio Ep. Conf. et Doct., *dupl.*

3 Inventio Corp. S. Stephani Protom., *semidupl.*
4 S. Dominici Conf., *dupl. maj.*
5 Dedic. S. Mariæ ad Nives, *dupl. maj.*
6 Transfig. D. N. J. Christi, *dupl. maj. Comm.* SS. Felicissimi et Soc. MM.
7 S. Cajetani Thienæi Conf., *dupl. Comm.* S. Donati Ep. et Mart.
8 SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart., *semidupl.*
9* *Vigilia.* S. Emygdii Ep. Mart. Diœcesis Compatr., *dupl. maj. Comm.* Vig. et S. Romani Mart.
10 S. Laurentii Levitæ Mart., *dupl. ij. class. cum* Octava.
11* S. Philumenæ V. M., *dupl. Comm.* Oct. et SS. Tiburtii et Soc. Mart.
12 S. Claræ Virg., *dupl. Comm.* Octavæ.
13* S. Cassiani Ep. Mart., *dupl. Comm.* Oct. et S. Hippolyti Mart.
14* *Vigilia.* B. Sanctes Conf., *dupl. Comm.* Oct. Vig. et S. Eusebii Conf.
15 Assumptio B. M. Virg., Cathedralis Pisaurens. Tit. *dupl. j. class. cum* Oct.
16* S. Rochi Conf., *dupl. Comm.* Octavar.
17 Octava S. Laurentii Mart., *dupl. Comm.* Oct. Assumpt.
18* S. Hyacinthi Conf., *dupl.* (*ex* 16 *huj.*) *Comm.* Oct. et S Agapiti Mart.
19* S. Stephani I. Pap. Mart., *dupl.* (*ex* 2 *huj.*) *Comm.* Oct.
20 S. Bernardi Abb. Conf. et Doct., *dupl. Comm.* Oct.
21 S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid., *duplex Comm.* Oct.
22 Octava Assumpt. Deiparæ, *dupl. Comm.* SS. Timothei et Soc. Mart.
23 S. Philippi Benitii Conf., *dupl.*
24* *Vigilia.* S. Xysti II. Pap. Mart., *dupl.* (*ex* 6 *huj.*) *Comm.* Vig.
25 S. Bartholomæi Ap., *dupl. ij. class.*
26* S. Zephyrini Pap. Mart., *dupl.*
27 S. Josephi a Calasanctio Conf., *dupl.*
28 S. Augustini Ep. Conf. et Doct., *dupl. Comm.* S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *duplex majus. Comm.* S. Sabinæ Mart.
30 S. Rosæ Limanæ Virg., *dupl. Comm.* SS. Felicis et Soc. Mart.
31 S. Raymundi Nonnati Conf., *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. infra Oct. Assumptionis S. Joachim Conf. Patris B. M. Virginis, *dupl. ij. class. Comm.* Dom.

* Dom. ultima Augusti. Anniversarium Dedicationis Basilicæ Cathedralis et omnium Ecclesiarum Civitatis et Diœcesis Pisaurensis, *dupl. 1. cl. cum* Oct. *Comm.* Domin.

SEPTEMBER.

1* S. Hormisdæ Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Ægydii Abb. et SS. Duodecim Fratrum Mart.

2 S. Stephani Hungariæ Regis Conf., *semidupl.*

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 2 Januarii 1902.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.



Typis Societ. S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA SANCTORUM
Clero PISAURENSI indulta.

PARS AUTUMNALIS.

DOMIN. I. SEPTEMB. Octava Dedic. Omnium Ecclesiar. Diœc. Pisaurensis.

Duplex.

Omnia ut in Communi Dedicationis. Lectio ix. et Commem. Dominicæ.

DIE I. SEPTEMBRIS. S. Hormisdæ

Pp. et Cf. Dupl. (*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HOrmísdas, natióne Campánus, Justo patre Frusináte, séptimo a Symmachi óbitu die, cum jam sanctæ Románæ Ecclésiæ Diáconus esset, summa ómnium consensióne, ad sanctam Petri sedem provéctus est; in qua ita se gessit, et Domínico gregi pascéndo sédulam óperam navávit, ut non sine singulári Dei providéntia, ac divíno consílio eléctum fuísse, perspéctum sit. Hoc quippe hómine iis tempóribus Ecclésia indigébat, qui et res árduas faciéndas animóse suscíperet, et suscéptas ad optátum finem strénue perdúceret. ℟. Invéni.

Lectio v.

UBI suprémum Pontíficis munus íniit, totum fere christiánum orbem sub régi-

bus bárbaris, vel hæréticis geméntem invénit, et distráctam in partes Ecclésiam. Sed octo annórum spátio, vir plane Deo plenus, perénni cura, ac felíci labórum suórum evéntu, eo rem addúxit, ut Orientáles Ecclésiæ ab octogínta círciter annis fœdo schísmate separátæ subscrípto libéllo, quem is per suos legátos míserat, ad unitátem rediérint; et Africæ sui Epíscopi, quos in Sardíniam Vándali relegárant, fúerint restitúti, et Lazórum rex ac pópulus ad Christi fidem, ejus ópera, indúctus sit; ac demum Chlodóveus Francórum rex, ad eámdem fidem convérsus, solémni legatióne ad sedem apostólicam, corónam áuream gemmis distínctam Hormísdæ obtúlerit, ad perpétuum obediéntiæ et fídei monuméntum.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Anichæos item discússit, eorúmque códices ante fores Constantiniánæ basílicæ incéndio concremávit. Complúres epístolas scripsit ad vários per univérsum orbem christiánum, in quibus ardentíssimus zelus religiónis amplificándæ, quo medúllitus flagrábat, sacrárum litterárum sciéntia, cum limpidíssimo et amœno stylo conjúncta, qua plúrimum valébat, singuláris rerum gerendárum períti a, præsértim cum régibus et optimátibus, qua præ céteris pollébat, aliæque heróici ánimi dotes, mirum in modum elúcent. Ejus demum pia liberálitas in egénos et sacras ædes profúsa fuit : ac tandem suórum votórum compos, annis, ac méritis gravis, et rerum gestárum glória apud Deum et hómines celebérrimus, post novem pontificátus annos, ad cœléstem pátriam migrávit, anno Christi quingentésimo vigésimo tértio, exánimi córporis exúviis Vaticánæ basílicæ relíctis.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

Lectio ix. S. Ægidii Abbatis, Commem. ejusd. ac SS. XII. Fratrum Mart.

DIE III. SEPTEMBRIS.
S. Albertini
Conf. Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, cujus est totum quod est óptimum : accénde in córdibus nostris tui amóris ignem : quo beáti Albertíni Confessóris tui sequi possímus vestígia, ut póstea assequámur et præmia. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ALbertínus ex castro Montónis in diœcésis Tiphernáte oriúndus, monásticam vitam sub régula sancti Benedícti proféssus est in monastério sanctæ crucis Fontis Avellánæ in diœcési Eugubína. Ibi virtútibus acquiréndis omníno inténtus mirum in modum in sciéntia sanctórum profécit, ac tantæ sanctitátis et pœniténtiæ spécimen dedit, ut céteri omnes Avellanénses mónachi non solum ut ipsórum exémplar, sed ut totíus rei monásticæ moderatórem sibi præponéndum putáverint; unde factum est, ut prior ejúsdem cœnóbii eléctus sit ante annum millésimum ducentésimum sexagésimum quintum. Eo in régimine quotídie illústrior ejus nóminis fama habéri cœpit : cum enim plura tum providéndi bona, non solum coram Deo, sed étiam coram homínibus múneris sui rátio postuláret, tum apud suos, tum apud éxteros quoque celebriórem opiniónem adéptus est. Effúlsit præsértim in eo summæ prudéntiæ laus, ejúsque præcípuum testimónium édidit in reconciliándis cívibus Eugubínis cum ipsórum Epíscopo.

℞. Honéstum.

Lectio v.

CUM enim circa domínium aliquórum bonórum, quæ tunc ab Epíscopo et ab Ecclésia detinebántur, graves discórdiæ ortæ essent inter Epíscopum et cives Eugubínos, et gráviter ipsórum ánimi offénsi essent, Epíscopus sæculáres magistrátus, et univérsum civitátis consílium anathémate pérculit, eo quod jura violássent ecclésiæ Eugubínæ. Agénte póstea ipso Albertíno, controvérsiæ omnes compósitæ sunt, et cives sacris restitúti, in

grátiam cum Pastóre suo rediére, nihilóque actum transactúmque est, nisi eo viro sanctíssimo præsénte. Humilitátis grátia, et stúdio monásticæ quiétis Auximánum episcopátum recusávit. Cum enim ad régimen illíus ecclésiæ nominátus esset, omníno indúci non pótuit ut suæ electióni consentíret. His et áliis virtútum méritis cumulátus óbiit dénique vir sanctíssimus die decimatértia Aprilis anni millésimi ducentésimi nonagesimiquárti, ejúsque sacrum corpus in templo Avellanénsi cónditum fuit, ubi summa veneratióne in hanc usque diem servátur et cólitur.

℟. Amávit.

Lectio vj.

TAnta autem fuit jam et tunc sanctitátis ipsíus fama, ut apud hóminum vulgus non álio quam sancti Albertini nómine appellári cœperit Avellanénse cœnóbium. Ipsíus festívitas agi consuévit prídie Kaléndas Septémbris, qua die prióri sæculo ante ejus mortem Avellána ecclésia dedicáta fúerat. Ad sanctum sepúlcrum ab immemorábili concúrrere solent innúmeri pópuli ex vicínis locis, propter insígnia mirácula quæ per ejus mérita íbidem Deus operátur; et mirum est quot fidéles devotiónis grátia per abrúpta móntium illud ásperum iter quotánnis aggrediántur, et quot ibi cónfluant mulíeres secum ducéntes infántes ad vota impléenda propter sanitátis grátiam aut recéptam aut impetrándam. Ipsíus præcípue virtus est in curándis intestinórum morbis, et dictu fácile non est, quot número et género mirábiles étiam instantáneæ curatiónes a fidélibus obtineántur.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE IV. SEPTEMBR.

S. Rosæ Viterbiensis

Virginis. Duplex.

Ut in fine Breviarii.

DIE VI. SEPTEMBR.

(D. a. ex xvij. Jul.)

S. Alexii

Conf. Semid. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ALéxius Romanórum nobilíssimus, propter exímium Jesu Christi amórem prima nocte nuptiárum peculiári Dei mónitu relínquens intáctam sponsam, illústrium orbis terræ ecclesiárum peregrinatiónem suscépit. Quibus in itinéribus cum ignótus septémdecim annos fuísset, aliquándo apud Edéssam Syriæ Urbem, per imáginem sanctíssimæ Maríæ Vírginis, ejus nómine divulgáto, inde navi discéssit. Ad portum Románum appúlsus, a patre suo tamquam aliénus pauper hospítio accípitur: apud quem, ómnibus incógnitus, cum decem et septem annos vixísset, relícto scripto sui nóminis, sánguinis, ac totíus vitæ cursus, migrávit in cœlum, Innocéntio primo summo Pontífice.
℟. Honéstum.

Lectio v.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt: hancqui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur: quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere: cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere: cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non

valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Amávit.

Lectio vj.

AT contra, sapiéntia justórum est, nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur: et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam præbére?

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Grandis fidúcia. *de Communi Abbatum j. loco.*

DIE VII. SEPTEMBR.

(*D. a. ex xxix. Jul.*)

S. Marthæ

Virg. Semiduplex.

Oratio. Exáudi nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArtha nobílibus, et copiósis paréntibus nata, sed Christi Dómini hospítio clárior, post ejus ascénsum in cœlum, cum fratre, soróre, et Marcélla pedísequa, ac Maximíno, uno ex septuagínta duóbus discípulis Christi Dómini, qui totam illam domum baptizáverat, multísque áliis Christiánis, comprehénsa a Judæis, in navem sine velo ac remígio, impónitur, vastissimóque mari ad certum naufrágium commíttitur: sed navis, Deo gubernánte, salvis ómnibus Massíliam appúlsa est. ℟. Propter.

Lectio v.

EO miráculo, et horum prædicatióne, primum Massilliénses, mox Aquénses,

ac finítimæ gentes in Christum credidérunt : Lazarúsque Massiliénsium, et Maximínus Aquénsium Epíscopus creátur. Magdaléna vero assuéta oratióni et pédibus Dómini, ut óptima parte contemplándæ cœléstis beatitúdinis, quam elégerat, fruerétur, in vastam altíssimi montis spelúncam se cóntulit : ubi trigínta annos vixit, ab omni hóminum consuetúdine disjúncta, quotidiéque per id tempus ad audiéndas Cœléstium laudes in altum ab Angelis eláta. ℟. Dilexísti.

Lectio vj.

MArtha autem, mirábili vitæ sanctitáte, et caritáte, ómnium Massiliénsium ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótum cum áliquot honestíssimis féminis se recépit, ubi summa cum laude pietátis prudéntiæ diu vixit, ac demum, morte sua multo ante prædícta, miráculis clara migrávit ad Dóminum, quarto Kaléndas Augústi. Cujus corpus apud Taráscum magnam habet veneratiónem. ℟. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 10. *g*

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum : et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone 26. *de Verbis Domini.*

VErba Dómini nostri Jesu Christi, quæ modo ex Evangélio recitáta sunt, ádmonent nos, esse unum áliquid quo tendámus, quando in hujus sæculi multitúdine laborámus. Téndimus autem adhuc peregrinántes, nondum manéntes : adhuc in via, nondum in pátria : adhuc desiderándo, nondum fruéndo. Tamen tendámus, et sine pigrítia, et sine intermissióne tendámus, ut aliquándo pervenire valeámus. Martha, et María duæ soróres erant, ambæ non solum carne, sed étiam religióne germánæ : ambæ Dó-

mino cohæsérunt, ambæ Dómino in carne præsénti concórditer serviérunt.

℟. Hæc est.

Lectio viij.

SUscépit eum Martha, sicut solent súscipi peregríni: sed tamen suscépit fámula Dóminum, ægra Salvatórem, creatúra Creatórem. Suscépit autem spíritu pascénda, in carne pascéndum. Vóluit enim Dóminus formam servi accípere, et accépta forma servi, in illa pasci a servis, dignatióne, non conditióne. Nam et ista dignátio fuit, se præbére pascéndum. Habébat carnem, in qua esuríret quidem, et sitíret: sed nescítis, quia in erémo esuriénti Angeli ministrábant? Ergo quod pasci vóluit, pascénti præstitit. Quid autem mirum, si et de sancto Elía præstitit víduæ, quem prius, corvo ministránte, pascébat? Numquid pascéndo defécerat, quando ad víduam mittébat? Nequáquam, sed religiósam víduam per obséquium exhíbitum servo suo, benedícere disponébat.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

SIC ergo suscéptus est Dóminus tamquam hospes, qui in sua própria venit, et sui eum non recepérunt: sed quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri: adóptans servos, et líberos fáciens: rédimens captívos, et fáciens cohærédes. Ne quis tamen vestrum fórsitan dicat: O beáti, qui Christum suscípere in domum própriam meruérunt! Noli dolére, noli murmuráre, quia tempóribus natus es, quando jam Dóminum non vides in carne. Non tibi ábstulit istam dignatiónem. Cum uni, inquit, ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis. Hæc de Dómino pascéndo in carne, sed pascénte in spíritu, pauca pro témpore dixérimus. Te Deum.

DIE IX. SEPTEMBR.
B. Seraphinæ Sportiæ *Viduæ.*

Duplex majus.

Oratio.

DEus, qui per beátam Seraphínam exímium nobis patiéntiæ exémplum tri-

buísti : præsta supplícibus tuis, ut et ipsíus instruámur exémplis, et ab ómnibus, ejus patrocínio, liberémur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Oct. ac S. Gorgonii Mart.

In j. Nocturno, Lectiones. Mulíerem fortem.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SEraphína, patre Guidóne António Urbináte, ac Feretráno Cómite, matre Catharína Colúmna, summo génere Urbíni nata, ab ineúnte ætáte non obscúra futúræ sanctitátis arguménta dedit. Puélla, amíssis paréntibus, in Columnénsium domo pie ac liberáliter educáta, palam demonstrávit, in ipso étiam famíliæ splendóre solída excelléntis virtútis jaci posse fundaménta. Inánis enim glóriæ et fluxárum rerum contémptu, suavitáte morum, illústri continéntia, stúdio solitúdinis, et assiduitáte orándi áliis exémplo et admiratióni fuit. Hortátu póstmodum illórum, in quorum se fidem curámque contúlerat, nupta Alexándro Stórtiæ Pisáuri Dynáste, magnóque regni Sicíliæ Comestábili, matrisfamílias munus dignitatémque egrégie sustínuit; subjectámque sibi regiónem illam, absénte viro, sic aliquándiu rexit, ut illíus quique providéntiam, æquitátem, justítiam celebrárent, innocéntiam morum integritatémque suspícerent.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

ETsi tot ánimi dótibus clara, in maríti tamen offensiónem incúrrit, gravibúsque impetíta injúriis patientíssime tolerátis, viro tandem annuénte, in Pisaurénse Franciscanárum Vírginum Córporis Christi monastérium se cóntulit : ubi quam ínjerat, castigatíssimæ vitæ institutiónem ita est persecúta, ut pia et doméstica illíus consuetúdine soróres ad pietátis stúdium incenderéntur. Ex maríti voluntáte, per solémnia vota suam Deo obstrínxit fidem, ac in sancto propósito immóta omne cóluit virtútum genus. Institúti régulas, étiam quæ mínimæ habebántur, servávit : advérsa quæque constánter pa-

tientérque sustínuit: preces ad Deum continénter fudit : divínis semper ádfuit Offíciis : paupertátem cóluit : abjécta quæque múnera obívit : sibi dénique nunquam pepércit, ac si summo in se ipsam ódio ardéret.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Omnium sorórum suffrágiis in Abbatíssam elécta, dici vix potest, qua prudéntia, caritáte, æquabilitáte, quo ardóre custodiéndæ disciplínæ, quo demum ómnium plausu dignitátem tenúerit, sibíque créditi regíminis partes cumuláte impléverit. Cum annis duodevigínti ita in sacro cœnóbio vixísset, ut nihil ei ad consummátam virtútem deésse viderétur, extrémo morbo corrépta, et Sacraméntis ecclésiæ muníta, sexto Idus septémbris, anno millésimo quadringentésimo septuagésimo octávo migrávit ad cœlum : idque divíni dispositióne consílii quodámmodo contigísse visum est, ut quæ in beátæ Vírginis Maríæ clientélam totam se déderat, ejúsdem Deíparæ natáli die edúcta e córporis angústiis cœlo auspicatíssime oriréturCorpus ipsum, quod tríduo expléndæ pietátis concurréntium cívium causa insepúltum mánserat, singulári veneratióne Pisáuri cólitur. Quem quidem cultum jam usque ab immemorábili témpore ad ætátem nostram prodúctum, Benedíctus decimusquártus Póntifex máximus rite probávit.

℟. Fallax grátia.

In iij. Nocturno, Hom. Cœlórum regnum. *de Communi non Virg.*

Lectio ix. S. Gorgonii.

In Laud. Comm. Oct. ac S. Gorgonii.

DIE XI. SEPTEMB.

S. Sergii I.

Papæ et Conf. Duplex.

(*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sergius Antiochénus génere, Tibério patre, Panórmi in Sicília, natus, Conóne vita functo, anno Christi sexcentésimo octogésimo séptimo annuénte Deo, et suf-

fragántibus ómnium votis in sacro Lateranénsi palátio assúmptus, fœdíssimum schisma, quod Exárchi imperatóris avarítia, et Paschális Archidiáconi ambítio excitárant, in ipso ortu exstínxit. Adeódato Pontífice, Romam véniens, in Ecclésiæ Románæ clerum ab eódem ascítus, et a Leóne hujus nóminis secúndo Présbyter títuli sanctæ Susánnæ ordinátus, ímpigre suo múnere defúnctus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Canones a Græcis sextæ synódo dein affíctos, instánte licet et dira minánte imperatóre, admíttere nóluit, sed ut spúrios non sine vitæ perículo, constánter abjécit. Magnam Domínicæ crucis portiónem, reveIánte Deo a se invéntam, in basílica Constantiniána pópulo adorándam collocávit. Corpus sancti Leónis in obscúro cónditum ángulo, Dei nutu inde amóvit, et ornatióri loco ómnibus coléndum expósuit. Basílicam demum Vaticánam innúmeris donis ornávit, egrégiis certe amóris sui erga príncipem Apostolórum monuméntis.

℟. Pósui.

Lectio vi.

Kiliánum, et sócios martyrio deínde afféctos, in Germániam, Willibrórdum, et Svibértum cum sóciis in Frísiam aliásque circumjéctas regiónes misit, in quibus máximum paganórum númerum ad Christi fidem convertérunt. Coadvállum Britónum regem Romam veniéntem excépit, et sacro baptísmate tinxit. Ravennátibus Damiánum, Leodiénsibus Ubértum, Británnis Berectuáldum Epíscopos ordinávit. Státuit, ut litúrgiæ sacræ pius versus : Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, adderétur. Méritis dénique plenus, postquam sedísset trédecim annis, ménsibus octo, sancto fine quiévit, ac sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Cammuni j. loco.*

Lectio ix. SS. Proti et Hyacinthi Mart. ut in Breviario.

DIE XII. SEPTEMB.
S. Hilari

Papæ et Conf. Duplex.
(*m. t. v.*)
Oratio. Exáudi.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Hilarus natióne Sardus, patre Crispíno génitus, post sancti Leónis tránsitum Románæ Ecclésiæ Póntifex factus est. Eum adhuc Diáconum idem Leo legátum destinávit, pro Ephesína synodo celebránda. Sed cum Dióscori Alexandríni Epíscopi furóre per vim et metum Ephesi patraréntur indígna, Hílarus vix effúgiens per ínvia loca, et multa perícula, divína ope liberátus, ad Leónem revérsus est. Póntifex autem renuntiátus, nihil antíquius hábuit, quam quæ contra hæréticos constitúta fúerant, suo decréto firmáre. Quamóbrem encyclicam epístolam scripsit de damnatióne Nestórii, et Eutychétis, ac trium præcipuórum confirmatióne conciliórum.

℟. Invéni.

Lectio v.

Ab eo invitátus Victorínus, natióne Aquitánus, Paschálem cursum cautíssima indagatióne compósuit. Ecclesiásticæ disciplínæ retinentíssimus, nullum vóluit Epíscopum per Ecclésias consecrári, præter Metropolitáni consénsum, nec Epíscopum quémpiam relícta própria Ecclésia, ad áliam transférri, neque transcéndi términos a Pátribus constitútos. Leóntium Arelaténsem Epíscopum suæ sedis vicárium constítuit per Gállias, cui sollicitúdinem in congregándis quotánnis Epíscopis delegávit. Ecclésiæ prædia, quæ neque desérta, neque inutília essent, quibus plurimórum necessitátibus subveniréturalienári, nisi prius apud concílium alienatiónis causa dicta, prohíbuit; áliaque complúra sancte decrévit in ea synodo, quam apud sanctam Maríam Majórem coégit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Anthémium imperatórem, cum Philótheus Macedoniánus ejus familiari-

táte suffúltus, nova diversárum conciliábula sectárum in Urbem conarétur indúcere, apud beátum Petrum Apóstolum, palam ne id fíeret objurgándo cohíbuit : in tantum ut ea non fore introducénda promíserit imperátor, interpósito étiam juraménto. Fecit in Constantiniánæ basílicæ baptistério oratória quátuor, nempe sanctæ crucis, sancti Joánnis Baptístæ, sancti Joánnis Evangelístæ, et sancti Stéphani, ac ínsuper bibliothécas duas. Monastérium constrúxit una cum bálneo, et prætório, ad sanctum Lauréntium foris, alterúmque in Urbe ad Lunam. Plura, atque magnífica tum ália ornaménta ex auro, argénto, lapidibúsque pretiósis, sacris locis cóntulit. Constítuit in Urbe ministeriáles, qui præfíxas obírent statiónes. Pro commúni sacerdótum Dómini concórdia sollícite procurávit, ne sua audérent quærere, sed quæ essent Christi studérent obtinére. Demum ipse córpore solútus, ábiit in cœlum regnatúrus cum Christo, quarto Idus Septémbris, sub imperatóribus Leóne et Anthémio, ejúsque corpus sepúltum fuit ad sanctum Lauréntium in crypta juxta corpus beáti Xysti. Una ordinatióne mense Decémbri, creávit Presbyteros vigínti quinque, Diáconos sex, Epíscopos per divérsa loca vigínti duos. Apostólicæ sedis régimen ténuit annos sex, menses novem, dies vigínti et octo.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

DIE XIII. SEPTEMB.

(*D. a. ex xxv. Aug.*)

S. Ludovici

Regis, Confessoris.

Semiduplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus quæsumus méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LUdovícus nonus Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab Epíscopo Parisiénsi accépit : deínde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prœlio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.
℟. Honéstum.

Lectio v.

REbus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex, exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit; prætéreа áliquot Christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita : quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis. ℟. Amávit.

Lectio vj.

MUlta ædificávit monastéria, et páuperum hospítia : beneficéntia egéntes sublevábat : frequens visébat ægrótos; quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quæ opus erant, mánibus ministrábat : vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset; pestiléntia decéssit in illa oratióne : Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo asservátur, et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ capéllæ. Ipse clarus miráculis a Bonifácio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Bonus ordo, *ut in Breviario die ij. Septembris.*

DIE XX. SEPTEMBR.
S. Agapiti I.
Papæ Conf. Duplex.

Oratio. Exáudi nos.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quatuor Temp. Fidélis sermo. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

JOánne, hujus nóminis secúndo e vivis subláto, Agapítus Románus génere, patre Gordiáno, sanctæ Románæ Ecclésiæ Archidiáconus, propter singulárem eruditiónem, qua probe et appríme instrúctus erat, et compósitos castigatíssimæ vitæ mores, quibus præ céteris eminébat, commúnibus totíus cleri suffrágiis, et ómnium bonórum gratulatióne, ad sanctam Petri sedem promótus est; et sublímem illam províanciam períude administrávit, ac si non ab homínibus, sed ab ipso Deo eléctus fuísset.

℟. Invéni.

Lectio v.

EGrégiis laudum títulis ab antíquis pátribus decorátus est, dictúsque ab iis præco justítiæ, Evangélii tuba, vas cathólicum, vir pietáte et miráculis celebérrimus, quibus heróicas illíus virtútes, et apostólicæ vitæ sanctimóniam Deus illustrávit. Aliquot hujus sanctíssimi Præsulis decretáles exstant, in quibus cathólicæ fídei dógmata sarta téctaque servántur, ecclesiásticæ disciplínæ forma, et régula tráditur, sacrórum canónum, et antiquárum traditiónum indemnitáti consúlitur, ac demum omnes, et síngulæ pastorális sollicitúdinis partes impléntur.

℟. Pósui.

Lectio vj.

COnstantinópolim proféctus est, álio prorsus, quam ad quem hómines illum destinárant, consílio, divíno scílicet instínctu, et nutu, ut Anthimum hæréticum Patriárcham Constantinopolitánum Theodóræ imperatrícis malis ártibus intrúsum exauctoráret atque damnáret, et in ejus locum Mennam substitúeret : patriarcháles item sedes Alexandrínam et Antiochénam, extrúsis hæréticis, cathólicis pastóribus restitúeret. Sed

tandem biénnio pontificátus nondum expléto, vir sanctíssimus, in quo nihil, nisi longiórem vitam cathólici desiderássent, Constantinópoli pie óbiit anno Christi quingentésimo trigésimo sexto. Ejus corpus Romam translátum, in Vaticáno cónditum est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia in Evang. Vigiláte. *de Comm. ij. loco, cum ix. Lect. Vigiliæ, ut in Brev. nisi venerit in Feria Quatuor Temporum.*

DIE XXIII. SEPTEMB.

S. Lini

Papæ Mart. Duplex.

Ut in Breviario præter ritum.

DIE XXIV. SEPTEMB.

S. Terentii

Mart. Civit. et Diœc. Pisauri Patroni Princip. Duplex j. classis cum Octava.

Omnia de Communi unius Mart. præter ea quæ hic propria adnotantur.

In j. Vesp. Añæ et Capit. de Laud.

In utrisque Vesp. et ad Matutinum.

Hymnus.

Throno sedénti régio
Plaudámus omnes mánibus,
Cujus potítur præmio
Felix Martyr Teréntius.

Regis præceptis óbvius,
Miles currit viváciter,
Quem séquitur pro víribus
In cunctis efficáciter.

Mundi relícta glória,
Non gaudet ejus fáscibus:
Sed ad cœli convívia
Latis cucúrrit pássibus.

Honor, decus, impérium
Patri, Nato, Paráclito,
Qui corónat Teréntium
Deus vita, martyrio.
Amen.

In utrisque Vesperis, et ad Laudes.

℣. Ora pro nobis, beáte Terénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Aña. Beátus Christi Martyr Teréntius, contémpta mundi glória, nunc possídet cœli gáudia; ipse ad Deum pro nobis intercédat.

Orat. ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem sempitérnum pronis méntibus adorémus : * Qui Mártyrem

suum digne pro méritis coronávit Teréntium.

Psalmus. Veníte.

In I. Nocturno.

Aña. 1. Emerentiána filium suum Teréntium ob nequíssimi Dagni sævítiam secréte custodiébat.

Ps.de Comm.unius Mart.

Aña. 2. Emerentiána vero preces quotidiánas pro caríssima prole fundébat ad Dóminum, ut a crudelíssimi feritáte Dagni eam liberáret.

Aña. 3. Surgens illa noctu festinánter perréxit ad Panútium, cui suum tandem diléctum commísit fílium.

Lectiones. Justus si morte præoccupátus fúerit, *ut in Comm. Conf. non Pont. j. loco.*

℟. *j.* Teréntius sub Dagno nequíssimo, in fínibus Pannóniæ ortus: * Et in fide Christi, et sanctæ conversatiónis opéribus a Panútio est erudítus. ℣. Cumque imminéret perículum ab Emerentiána matre ejus, sancto viro est tráditus. — Et in.

℟. *ij.* Intérea Dagnus missis exploratóribus suis; * Dixit eis usquequáque sanctum Teréntium exquirérent. ℣. Grátia Dómini nostri Jesu Christi favénte, ab ómnibus ejus insídiis liberátus est. — Dixit eis.

℟. *iij.* Dum Panútius occultáre ámplius non valéret Teréntium, jussit navim, et ómnia necessária parári; * Et in ea beátum Teréntium cum matre collocávit. ℣. Ipse namque ad Dóminum devotíssime orábat, ut his prosperitátis, et salútis portum tribúeret. — Et in ea. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Aña. 1. Panútius Teréntium in sua suscípiens tutéla, et in fide Christi, et sanctæ conversatiónis opéribus diligénter erudiébat.

Aña. 2. Tunc Dagnus diabólico spíritu inflammátus, per omnes totíus regiónis fines Teréntium jussit inquíri.

Aña. 3. Sanctus quidem Teréntius divíno fretus auxílio, sine impediménto itínere diérum trium navígio Aquileiénsem súbiit portum.

Lectio iv.

TEréntius in fínibus Pannóniæ nobilíssimo génere ortus, et in christiána religióne ab

Emerentiána matre sanctíssime educátus, a Panútio, qui in ea religióne tamquam commúnis ómnium fidélium parens habebátur, admónitus, a pátria recédens, ut ibi sæviéntium in Christi cultóres rábiem declináret, Aquiléiam pervénit : ubi prædicatióne ac miráculis multos infidélium ad fidem perdúxit. Valeriánus ejus urbis præféctus, his ad se delátis, Teréntium accérsit, quem christiánam fidem profitémtem jubet idólis immoláre : at hoc eum constantíssime recusántem in fœdíssimum cárcerem trudi mandat : ubi Teréntius centum vigínti novem Christiános repériens, eos obníxe hortátur, ut nulla tormentórum génera formidántes, immóbiles in fide Christi persístant.

℟. Miles Christi Teréntius supérno juvámine fretus, absque timóre Valeriáno ita est locútus : * Christum semper adorávi, et in sancti nóminis ejus fide me irreprehensíbilem servo. ℣. Valeriánus nímio furóre accénsus, sancto Teréntio ait : Pone thura diis, et immóla; at ille respóndit. — Christum semper.

Lectio v.

CUM vero ad Teréntii oratiónem corruísset carcer, Angelus Dómini fidélibus ómnibus, qui ibi detinebántur, benedícens, osténdit eis, quorsum esset iter dirigéndum. Teréntius, sóciis, benígne salutátis ac dimíssis, angélico mónitu Romam se cóntulit: índeque póstea martyrii desidério flagrans, Angelo item auctóre, eo conténdit, ubi pro Christo brevi erat mortem subitúrus. Eúnti autem Teréntio honestíssimis véstibus indúto, occúrrit Rústicus quidam, cui nomen Vulgus, qui, ut illum spoliáret, in eum sagíttam emísit : quæ divínitus retórta in óculum recídit sagittárii. Rústico autem véniam peténti, sibíque óculum sanári supplíciter postulánti, Teréntius, misericórdia motus, facta de more oratióne, luto ex terra ac sputo confécto, óculum líniens visum restítuit.

℟. Sanctus namque Teréntius Valeriáni in cárcere missus, quos invénit deténtos salutábat et hor-

tabátur,* ut in fide Christi immóbiles persistérent, et tormentórum génera non timérent. ℣. Cumque beátus Teréntius deténtus esset, ómnibus qui áderant dixit. — Ut in fide.

Lectio vj.

UBI autem pervenísset Teréntius ad locum Aquam malam, tunc témporis nuncupátum, in fínibus Pisaurénsium, ab ímpiis homínibus fústibus sævíssime contúsus, orans optátam martyrii corónam accépit. Cujus corpus projéctum in propínquum fontem, qui loco nomen dabat, Theodósia Pisáuri primária fémina ab Angelo de Mártyris vita per quiétem edócta, religióse sublátum domum perdúxit; quam póstea Floréntius ejus urbis Epíscopus, eádem Theodósia efflagitánte, in honórem ejúsdem Mártyris Deo dicávit octávo Kaléndas Octóbris. Passus est hic Christi miles Cornélio summo Pontífice, séptima Christianórum persecutióne, quæ, Décio tunc imperatóre, totam ecclésiam vexávit: et vivus et mórtuus miráculis clarus, quem Pisaurénses religióso cultu in cathedráli ecclésia ubi requiéscit Patrónum venerántur. ℟. Orábat sanctus Teréntius tríduo júgiter ad Dóminum cum multitúdine Christianórum, dicens: *Aperi nobis, Dómine, jánuam cárceris, et de illíus vínculis líbera nos. ℣. Ut cognóscant gentes quia tu es Deus solus, et præter te non est álius. — Aperi. Glória. Aperi.

In III. Nocturno.

Aña. 1. Beátus autem Teréntius témpore ibi commorátus longióri, multis miraculórum signis emícuit.

Aña. 2. Tunc nuntiátum est Valeriáno præfécto, quemdam Christum prædicántem mirácula fácere, et plures ab idolórum cultu revocáre.

Aña. 3. Valeriánus autem iracúndiæ flamma succénsus, jussit beátum Teréntium intra cárceris septa retrúdi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* x. c

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civi-

táte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Episcopi. *In Apologia de fuga sua, ante medium.*

IN lege præcéptum erat ut constitueréntur civitátes refugiórum, ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum cum advenísset illud ipsum Verbum Patris, quod Móysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : Cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consisténtem in loco sancto (qui legit, intélligat,) tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam.

℞. Dómine, Rex omnípotens, in tua laude festum beáti Teréntii celebrántes : * Nos ab omni malo ejus précibus defénde, et gáudia ætérnæ vitæ nobis tríbue. ℣. Dicéntes, Dómine, laudem sédulo in sancti Mártyris Teréntii solemnitáte. — Nos ab omni.

Lectio viij.

HÆC cum scirent Sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in Sanctis : et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indígnum putávit, cum quæreréťur, quemádmodum et nos abscóndere se; et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre : cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus.

℞. Gloriósus Christi Martyr Teréntius, cum ab ímpiis sævíssime cæderétur, orábat dicens : * Dómine Jesu Christe, Pastor bone, te déprecor obníxe, súscipe spíritum

meum in pace. ℟. Egrediénte illíus ánima a córpore, beátus Teréntius ait. — Dómine. Glória Patri. Dómine.

Lectio ix.

AT vero sancti hómines cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent, (ab ipso enim et ántea et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres ut legítime certárent, fugiébant, et ab illis quæsíti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere : sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre, et vivificáre; pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis et péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset.

Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Beátus athléta * Christi fámulus Teréntius cum multitúdine Christianórum in cárcere pósitus, tríduo júgiter preces fundébat ad Dóminum.

2. Compléta vero oratióne * circa médiæ noctis horam, repénte factus est tónitrus máximus, et córruit carcer.

3. Apprehénso ígitur románi callis itínere, * beátus Teréntius migrávit ad urbem.

4. Angelus Dómini * locútus est beáto Teréntio, et osténdit ei locum, ubi éxitus ejus jam imminébat hora.

5. Sanctus ítaque Teréntius * angélicæ locutiónis gáudio replétus, ad memorátum locum molítus est téndere gressus.

Hymnus.

JUssis contémptis príncipum
Sanctum tyránnus cárcerat,
Cui precánti tríduum
Carcer utrínque cóncrepat.

Romam petit, hic fúgiens
Cædem sanctórum hórruit;
Rogat dissólvi cúpiens,
Quem Angelus huc dírigit.
Eúnti telum jácitur,
Regréssum ferit nóxium;
Qui sancto non relínquitur,
Sed læsum sanat óculum.
Quo supplicánte præbæas,
Te Christi frui; pétimus,
Virtútes nobis ínseras,
Noxis propúlsis ómnibus.
Sic jubilántes príncipi
In mílitis memória
Jungas, ut membra cápiti
Deus, coróna, glória.
Honor, decus, impérium
Patri, Nato, Paráclito,
Qui corónat Teréntium
Deus, vita, martyrio.
Amen.

Ad Bened. Aña. Ave Martyr egrégie Terénti, qui cum sanctis in cœlo triúmphas : súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Oratio.

Propitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis, per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa : ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

In ij. Vesp. omnia ut in j. sed loco ult. Psalm. Crédidi.

Ad Magnificat, Aña. Felix Martyr Teréntius semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus dicens ei : ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

Et fit Comm. seq. Aña. Sancta María.

DIE XXV. SEPTEMB.

(D. a. ex heri.)

B. M. V. de Mercede.

Duplex majus.

Ut in Breviario ex heri.
Commem. Octavæ.

DIE XXVI. SEPTEMB.

S. Eusebii

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eusébius natióne Græcus, patre médico, post sanctum Marcéllum Románæ Ecclésiæ est constitútus Epi-

scopus. Is hæréticos invénit in Urbe, quos resipiscéntes sola mánuum impositióne Ecclésiæ reconciliávit. Cui et e Sardínia accédens nóbilis fémina Restitúta, fílium suum erudiéndum trádidit, quem egrégie fide christiána imbútum baptizávit, suóque nómine insignívit, atque Eusébium nominávit. Dignum plane tanti Pontíficis germen, quo Vercellénsi póstea Epíscopo, fides cathólica in Oriénte propémodum exstíncta, lætióre propágine revivísceret. ℟. Honéstum.

Lectio v.

SAnctus hic Póntifex boni pastóris Christi Jesu misericórdiam imitátus, benígnum erga eos quòque se osténdit, qui ob persecutiónis metum in idololatríam lapsi fuíssent; at ímprobam proptérea nonnullórum e clero, quodam Heraclío ductóre, severitátem offéndit. Quorum ardens stúdium ádeo in Eusébium efférbuit, ut non modo ipsum lacessíverint, sed turbis discordiísque Romæ excitátis, occasiónem tyránno Maxéntio præbúerint, qua ad públicam quiétem restituéndam, sanctum Pontíficem pacis sequéstrem, tamquam seditiónis auctórem, in Sicíliam relegávit. Ibi exsílii ærúmnis conféctus vitam finívit sexto Nonas Octóbris. Ejus deínde corpus ad Urbem translátum, depósitum fuit in cœmetério Callíxti via Appia. Eusébii sepúlcro póstea sanctus Dámasus summus Póntifex métricam appósuit epígraphem in qua malignántium calúmnias exsílium ejus, et óbitum commémorans, sanctum Epíscopum Eusébium Mártyrem declarávit. Rexit Ecclésiam annos duos, menses octo, dies séxdecim; et una ordinatióne mense Decémbri creávit Presbyteros trésdecim, Diáconos tres, Epíscopos per divérsa loca quatuórdecim.
℟. Desidérium.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi. *De S. Eusebio lxx. vj. edit. Rom.*

Lectio vj.

DEpositiónem sancti Eusébii hódie celebrámus. Quid est depositio? Non illa útique, quæ, sepeliéndis in terra membrórum re-

líquiis, clericórum mánibus procurátur, sed illa qua homo vínculis carnálibus absolútus, liber itúrus ad cœlum, terrénum corpus expónit. Ipsa plane est deposítio, in qua concupíscere abjícimus, cessámus delínquere, peccáre desínimus, et totum quidquid salúti est grave, quasi abjécta sárcina óneris expónimus. Nam ídeo hæc dies pro celebritáte máxima procurátur, quia vere est summa festívitas, mórtuum esse vítiis, soli vigére justítiæ.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

℟. *viij.* Dómine prævenísti.

Nona Lectio ex duabus una SS. Cypriani et Justinæ Virginis Mart. et eor. Comm. in Laud.

DIE I. OCTOBRIS.

Octava

S. Terentii

Mart. Duplex.

Omnia ut in Festo, præter ea quæ hic adnotantur.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente cum ℟℟. *Festi.*

In ij. Nocturno, Serm. S. Joann. Chrysost. Nemo est qui nésciat, *ut in Comm. plur. Mart. ij. loco, cum* ℟℟. *pariter Festi.*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Cap. x.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilia S. Hilarii. Dóminus diem judícii osténdit. *ut in Communi iij. loco,* ℟℟. *ut in die.*

Lectio ix. de S. Remigio. ut in Brev. et fit ejus Comm. in Laud.

Ad Laud. et per Horas ut in Festo.

Vesp. de sequ. Commem. præc. ut in ij. Vesp. Festi.

DIE III. OCTOBRIS.

(*D. a. ex xx. Sept.*)

SS. Eustachii *et* Sociorum

Martyrum. Duplex.

Ut in Breviar. die xx. Septembris.

DIE V. OCTOBRIS.

S. Pacifici a S. Severino

Conf. Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

LArgítor ómnium bonórum Deus, qui beátum Pacíficum Confessórem tuum exímiæ patiéntiæ virtúte, et solitúdinis amóre decorásti, ejus nobis intercessióne concéde, ut per éadem vestígia gradiéntes, éadem assequámur et præmia. Per Dóminum.

Et fit Commem. SS. Placidi et Socior. Mart.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PAcíficus Septémpedæ in Picéno nobílibus, piísque paréntibus ortus, a primo ætátis dilúculo indúbia præbuit futúræ sanctitátis indícia. Quartum enim annum cum vix attigísset, mane sibi obláto pulménto cínerem sæpe miscébat. A puerílibus oblectaméntis aliénus, et ceterórum puerórum consórtia fúgiens, domi ante sacras imágines, aut in ecclésia oráre, vel áliis pietátis opéribus incúmbere in delíciis habébat. Paréntibus vita functis, ab avúnculo qui eum suscéperat educándum, præcípue vero a duábus ancíllis ejus ceu vile mancípium duríssime hábitus objurgatiónes, ludíbria, contémptus miti semper ánimo tulit, eorúmque ómnium in quibus viles feméllæ peccáverant, tamquam auctor insimulátus pœnam aliénæ culpæ humíliter alacritérque luébat.

℟. Honéstum.

Lectio v.

DEcimoséptimo ætátis suæ anno Franciscáno Ordini inter minóres, quos Observántes Reformátos vocant, nomen dedit in convéntu Foráni, et quæ tyrocínio pie sanctéque ibídem expléto, solémniter vovit, fidélis deínde usque ad mortem perfectíssime réddidit Dómino Deo suo. Paupertátis enim et obediéntiæ fuit exímius cultor. Castitátis autem, quam illibáte servávit, vigil ádeo, rigidúsque éxstitit custos, ut tibiárum suárum ulcéribus per se ipsum secréto medéri consuéverit, aliórum ópera viro castíssimo respuénte, ne áliquam sui córporis partem álteri osténderet

denudátam. Humilitáte, patiéntia, solitúdine summópere enítuit. Austeritátibus ab institúto præscríptis, jejúnia, flagélla, cilícia, vigílias adjécit, et cum pœniténtia vitæ candórem usquequáque conjúnxit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Divíno, præsértim cum sacrum fáceret, sic æstuábat amóre, ut écstasim pátiens in áera, fácie ipsíus ínterim coruscánte, frequénter elevarétur. Spíritu prophetíæ, aliísque charísmatum donis, fuit mirífice decorátus, inter quæ memorábile illud fertur, quod Menochíæ flumen imbre recénter auctum, aquis hinc inde divísis, sicco transívit, vestígio. Signis dénique et virtútum fama præclárus, último morbo in Convéntu Septempedáno corrípitur; quo patientíssime tolleráto et ecclésiæ Sacraméntis miro devotiónis æstu suscéptis, cum sublevátis óculis in cœlum grátias Omnipoténti Deo pro univérsis benefíciis ejus egísset, mánibus supra pectus complicátis in formam crucis, obdormívit in Dómino anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo primo, ætátis suæ sexagésimo octávo. Viam univérsæ carnis ingréssus magis ac magis miráculis cláruit; eúmque Pius sextus Póntifex máximus Beatórum número ascrípsit : Gregórius vero Papa décimus sextus in festo sanctíssimæ Trinitátis anno millésimo octingentésimo trigésimo nono solémni ritu Sanctórum catálogo adnumerávit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

Lectio ix. et Commem. SS. Martyrum.

DOMIN. II. OCTOBR.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DOMIN. III. OCTOBR.

Puritatis B. M. V.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE VII. OCTOBRIS.

S. Marci

Papæ Conf. Duplex.

Oratio.

EXáudi Dómine preces nostras : et interveniénte beáto Marco Confessóre tuo, atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArcus Románus, Constantíno magno imperatóre Póntifex, instítuit, ut Epíscopus Ostiénsis, a quo Románus Póntifex consecrátur, pállio uterétur. Duas Romæ basílicas ædificávit, álteram in Urbe, álteram via Ardeatína : quas Constantínus auctas magnis munéribus exornávit. Vixit in pontificátu menses octo, sepultúsque est in cœmetério Balbínæ.

℟. Invéni.

Sermo sancti Gregórii Papæ. *2. part. past. c. j.*

Lectio v.

TAntum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metíri se sollícite stúdeat, quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo (necésse est) cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in interiórum sollicitúdine non relínquens.

℟. Pósui.

Lectio vj.

COnsiderándum quoque est, quia cum curam pópuli eléctus Præsul súscipit quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt, qua præsumptióne percússum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens

jam spirituáliter vivit : qui próspera mundi postpónit : qui nulla advérsa pertiméscit : qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciam repúgnat spíritus : qui ad aliéna cupiénda non dúcitur, sed própria largítur. ℟. Iste est qui.

In iij. Noct., Homilia. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

DIE XI. OCTOBRIS.

S. Trophimi

Episcopi et Confessoris.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

TRophímus natióne Asiáticus, pátria Ephesínus, sancti Pauli Apóstoli discípulus, una cum Luca, Aristárcho, Paulo, Crescénte, et áliis, Paulum sequútus est in illa navigatióne, qua vinctus a Festo Judéæ procuratóre, Romam ad Cæsarem missus est : verúmtamen cum in itínere ægra valetúdine corréptus esset, illum Miléti Paulus infírmum relíquit, cujus ad Timótheum scribens méminit. Illo ítaque biénnio, quo Romæ Paulus in vínculis deténtus est, Romam ipse, ut conváluit, venit ad magístrum, qui nondum contra Christiános in tanta sævítia erumpénte Neróne, ad prædicándum Christi Evangélium dimíttitur. Quo témpore navigatiónem in Hispániam suscépit, in qua sócios et cómites fidéles hábuit eósdem, quos primum Hierosólymis abdúxerat, Paulum scílicet, Crescéntem et Trophímum, Paulum vero Narbónæ, Crescéntem Viénnæ, et Trophímum Areláte ordinávit Epíscopos.

℟. Invéni David.

Lectio v.

ERant autem Areláte prope civitátem duæ colúmnæ prægrándes eréctæ, et super eas ara impósita ad quam frequens undíque provínciæ pópulus quotánnis ad Kaléndas Majas humánas hóstias pro sua sospitáte mactáre consuéverat. Idcírco tres púeros pública pecú-

nia emptos anno toto saginábant : quos constitúta die ad ipsam aram immolábant, victimárum sánguine circumstántem plebem aspergéntes. E cryptis et latébris urbi vicínis emérgens Trophímus, atque hunc ritum tam bárbarum et atrócem perhorréscens, evangélica prædicatióne sequéntibus signis, et quidem admirándis, sústulit docens, non cruóre mortálium hóminum, sed Christi sánguine, qui pro humána salúte seípsum hóstiam et víctimam immaculátam ætérno Patri obtúlerat, debére illos aspérgi; Baptísmi lavácrum prædicat, quo per eum suscépto præféctus provínciæ Lugdunénsis, una cum magna pópuli multitúdine non solum Christi nomen apud céteras natiónes conféssus est, verum étiam Ecclésiam fundávit, eámque magnis munéribus locupletávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

JAM Trophímo locum áliquem divíno cúltui peculiáriter destinándum postulánti, quod Areláte habébat, palátium donávit, in quo Trophímus oratórium in honórem beátæ Maríæ Vírginis et sancti Stéphani Protomártyris ædificávit, quod póstea ejus relíquiis sub Honório imperatóre repértis mirífice illustrátum est. Quod vero ad ortum solis juxta palúdes situm cérnitur, beátæ Vírgini et sepultúræ fidélium destinávit : ibíque cœmetérium toto orbi terrárum celebérrimum státuit. Tantum dénique doctrína et miráculis profécit, ut ex ejus prædicatiónis fonte (quemádmodum beátus Zosímus Papa scribit) tota Gállia fídei rívulos accéperit. Demum post innúmeros pro confessióne fídei labóres, multósque pópulos, Christo acquisítos, sénio, morbóque conféctus, quarto Kaléndas Januárii obdormívit in Dómino; qua die ejus natále celebrátur. Sepúltus est Areláte in ædícula, quam ipse beátæ Vírgini dedicárat, quæ sancti Honoráti título nunc est insigníta. ℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

DIE XII. OCTOBRIS.
S. Seraphini ab Asculo
Confessoris. Duplex.

Oratio.

Deus, qui in corde beáti Seraphíni amóris tui flammas excitásti : ejus, quæsumus, nobis intercessióne concéde; ut illíus vestígia sectántes, iísdem ardóribus accendámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Seraphínus de monte Granário, ab Asculo dictus, húmili, sed honésto génere natus, ab ineúnte ætáte plura dedit futúræ sanctitátis indícia. A púero pascéndis grégibus addíctus, pietátem impénse cóluit, et solitúdinis atque contemplatiónis studiosissimus fuit. Cum semel ad sacram Lauretánam ædem iter habéret, ut Deíparam Vírginem quam plúrimum diligébat, et a qua plúrimum diligebátur, venerarétur; Poténtiæ flumen aquárum cópia túmidum semel atque íterum, mirántibus sóciis, sicco pede pertránsiit. Post patris óbitum, fratrem natu majórem, aspérrimæ índolis hóminem, a quo assíduis convíciis verberibúsque divexabátur, diu patientíssime tolerávit, donec fervéntius Deo famulári exóptans, anno ætátis suæ decimoséxto inter laícos fratres órdinis Cappucinórum cooptátus est : in quorum tyrocínio virtútibus ómnibus ita excélluit, ut senióribus ipsis probatísque viris admiratióni esset et exémplo.

℟. Honéstum.

Lectio v.

In religiósa virtútum palæstra in illud potíssimum Seraphínus incúbuit, ut ad severióris institúti leges mores suos compóneret, júgiter oratióni vacáret, edomitámque voluntáriis jejúniis aliísque córporis cruciátibus carnem spirítui plene subjíceret. Paupertátis proínde amátor fuit exímius, vigilantíssimus castitátis custos, obediéntiæ demum cultor prope singuláris. Præ ardentíssima in Deum caritáte infidé-

lium regiónes adíre cúpiit, fusóque pro Christo sánguine irrigáre. Quódlibet autem vel leve piáculum ádeo horrébat, ut umbram étiam culpæ reformidáret. Christi patiéntis pœnas non sine ubérrimis lácrymis jugi meditatióne recólere consuévit : unde tantum in eo aliénæ salútis stúdium exársit, ut multis mirísque modis pérditos hómines in virtútis viam revocáre nunquam destíterit. Eam in páuperes misericórdiam exércuit, ut non solum, quoquo modo posset, eórum leváret inópiam, verum in summa annónæ caritáte ipse sese quarta dúmtaxat panis exígui parte refíceret, ut cibum réliquum, paupéribus erogáret.

℟. Amávit.

Lectio vj.

TOT tantásque virtútes prophetíæ, scrutatiónis córdium, aliorúmque supernórum charísmatum excelléntia et multitúdo, exornávit. Mira præ céteris in eo enítuit grátia curatiónum : solo enim adhíbito crucis signo ægrótos fere innúmeros prístinæ réddidit sanitáti. Dum tamen tot virtútum ac prodigiórum fama longe latéque diffúsa, Seraphínum omnes plúrimi fácerent ac veneraréntur, ea is erat humilitáte, ut nequiórem se néminem putans, contémni optáret ab ómnibus et contuméliis oneréri. Tandem sexagenário major, cum gravi ægrotáret morbo, brevi se moritúrum divínitus prænóscens, ecclésiæ Sacraméntis muníri pétiit : quibus rite sanctéque suscéptis, anno millésimo sexcentésimoquárto vitæ suæ cursum felíciter consummávit. Ejus mortem clamántes per urbem púeri mirabíliter evulgárunt. Asculi vero in Picéno, ubi ejus corpus honorífice asservátur, cives statim post óbitum público venerári sunt cultu : quem apostólica Sedes, institúto judício, ratum mox hábuit. Dénique virtútibus novísque miráculis rite probátis, Clemens decimustértius Sanctórum fastis eúmdem adscrípsit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct., Homilia. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE XIV. OCTOBRIS.
S. Callisti I.
Papæ Mart. Duplex.

Omnia ut in Breviario eadem die præter ritum et Orationem sequentem.

Oratio.

DEus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere : ad amórem tuum nos misericórditer per beáti Callísti Mártyris tui atque Pontíficis exémpla restáura. Per Dóminum.

DIE XVI. OCTOBRIS.
S. Jacobi de Marchia *Confessoris.*
Duplex.

Ut in fine Breviarii die xxviij. Novembris.

DIE XXI. OCTOBRIS.
B. Felicis Medæ
Virg. Duplex.

Oratio.

DEus, qui beátam Felícem Vírginem tuam per várias tentatiónes probátam, spíritu fortitúdinis roborásti : ejus nobis intercessióne et méritis concéde; ut ab ómnibus hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Hilarionis Ab., ac SS. Ursulæ et Soc., ejus Virg. Mart. In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix Medioláni nóbili génere nata, in ipso adolescéntiæ flore christiánæ perfectiónis viam alácriter arrípuit. Nam supérno lúmine illustráta, et divínæ grátiæ auxíliis prævénta, cum pinguem hereditátem paréntum adiísset, perpétuam paupertátem elégit, et suis ómnibus ópibus in eleemósynas et pia páuperum subsídia distribútis, sæculi illécebras contémnens, Ordinis sanctæ Claræ sese addíxit, et íllico ómnium virtútum exémpla præbére cœpit. Ne vero unquam ab incépto vitæ institúto deflécteret, innóxium corpúsculum multis cruciátibus et omni afflictatiónum génere vexábat. Assíduæ per dies, ac noctes precum exercitatióni summam ánimi submissiónem, singulárem morum integritátem perfectámque própriæ

voluntátis in ómnibus negatiónem miríﬁce adjúnxit. Sæpe a dæmóne clamóribus, larvis et verbéribus laccéssita, non modo ánimo mínime fracta est, sed majóres in dies vires, magna cum sanctimoniálium sorórum admiratióne, accépit.

℟. Propter.

Lectio v.

Itaque cum Felix usque ádeo virtútibus eminéret, ut réliquæ soróres non tantum bene de illa sperare, sed étiam confídere possent, talem futúram quálem jámdudum expértæ fúerant, unánimi consénsu monastérii præfectúram illi adjudicárunt. Quamvis autem latére et subésse magis, quam præésse cûperet, tamen, Deo ita disponénte, sorórum régimen suscépit; quo in múnere, cum auctoritáte ómnium prima esset, ómnium novíssima et vidéri, et esse curábat. In verbo, in conversatióne, in caritáte áliis exémplum se præbens, et non minus in rebus agéndis prompta, quam in excogitándis prudens, ómnia humanitátis, sollicitúdinis et perfectiónis offícia accuratíssime implévit. Ex quo factum est, ut tantæ virtútis fama longe ac late manánte, magnus cívium et exterórum ad eam fíeret concúrsus, ut ejúsdem consíliis in quovis geréndo negótio, præsértim vero in rebus ad ánimæ salútem pertinéntibus, tuto dírigi possent.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

HAC sanctitátis et exímiæ prudéntiæ fama commóta Baptísta de Malatéstis, ejúsque fília Elísabeth, cum monastérium Ordinis sanctæ Claræ Pisáuri constrúere decrevíssent, facultáte ab ipsiúsmet Ordinis præfécto impetráta, Felícem Mediolámo Pisáurum cum septem áliis soróribus accersíri curárunt. Cœnóbium ígitur Pisauréns sacratíssimo Christi Córpori dicátum quátuor círciter annos summa prudéntia, vehementíque stúdio in timóre Dómini, perfectáque reguláris disciplínæ observatióne sanctíssime gubernávit. Dénique cum mors instáret, subjéctis sibi virgínibus ad se vocátis, mútuam caritátem, legum custódiam, pieta-

tísque cultum magnópere commendávit, et sacris ecclésiæ Sacraméntis communíta, ad cœléstem Sponsum evolávit anno salútis millésimo quadringentésimo quadragésimo quarto, ætátis vero suæ sexagésimo sexto. Multis et váriis miráculis in vita et post óbitum cláruit : sed contra pestem máxime et hostes, ejus auxílium multi præsentíssimum expérti sunt. Cultum illi delátum ad hæc usque témpora Pius Séptimus Officii étiam próprii concessióne probávit. ℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Hom. Sæpe vos. *de Comm. Virg. j. loco.*

Lectio ix. (ex duabus una et Commem. S. Hilarion. ac SS. Virg. Mart.

DIE XXII. OCTOBR.

B. Eugenii III.

Papæ Conf. Duplex.

(m. t. v.)

Oratio.

DA quæsumus omnípotens Deus, beáti Eugénii Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne, ut toto tibi corde famulémur : quia nulla nobis prævalébit hostílitas, si in te veráciter confidámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EUgénius hujus nóminis tértius, Bernárdus ántea dictus, pátria Pisánus fuit. Exácta adolescéntia, clericáli milítiæ nomen dedit, et sacerdótio póstea initiátus, ob egrégias ánimi dotes, inter canónicos Metropolitánæ Pisánæ cooptári méruit. Sancti Bernárdi, qui tunc Pisas advénerat, exémplo illéctus, eídem sese instituéndum dedit, atque in Claraválle monásticum índuit hábitum. Tanti viri disciplína ádeo profécit, ut primum Farfénsi monastério ab eo præpósitus, deínde Abbas cœnóbii sanctórum Vincéntii et Anastásii ad Aquas Sálvias ab Innocéntio secúndo summo Pontífice eléctus fúerit. Quo in obeúndo múnere cum sanctimóniæ ac prudéntiæ miro splendóre inclaruísset, a Cardinálibus post Lúcii secúndi óbitum cunctis suffrágiis Póntifex máximus creátus est. Vix autem ab

ínito pontificátu, perduéllium turbis Ecclésiæ Románæ principátum evértere anniténtibus, semel atque íterum ab Urbe discédere cógitur, sedatáque deínde tempestáte íterum ad eam, summo honóre, et bonórum gratulatióne regréditur.

℟. Invéni.

Lectio v.

VItérbii cómmorans, Angliæ legátos, Scótiæ, Germániæ, Hispániæ et Gálliæ excépit, beáto Petro in ejus persóna obediéntiam et obséquium profiténtes; itémque nonnúllos Arméniæ Epíscopos, qui ínsuper Metropolitáni ac gentis suæ nómine de gravióribus orientális Ecclésiæ negótiis ejus exquisivérunt senténtiam. Proféctus in Gálliam, concília Rhemis ac Tréviris celebrávit, in quibus Eonis et Gilbérti Porretáni proscrípsit erróres, aliáque plura sapiénter constítuit ad cleri disciplínam, et Ecclésiæ libertátem. Cœnóbia deínde Claravallénse ac Cisterciénse una cum sancto Bernárdo invísit præcláris ubíque sanctæ conversatiónis exémplis relíctis. Ab eódem Bernárdo salutária mónita exquisívit ad Ecclésiam administrándam, et apostólicæ Sedis jura protuénda; ille vero ei pretiósum librum de Consideratióne dedit, quo Pontíficis principísque prærogatívæ et offícia cœlésti sapiéntia declarántur. Litterárum quoque cultor exímius, cum theológiæ a jurisprudéntiæ reformávit stúdia, tum académicos, uti vocant, gradus instítuit, quo adolescéntium ánimos alacrióres rédderet.

℟. Pósui.

Lectio vj.

SIngulári pacis foméndæ cupiditáte curas omnes inténdit ut discórdias Pisános inter et Lucénses compóneret. Decórem domus Dei summópere diléxit : nam et basílicam Liberiánam pulchrióri decorávit ornátu, et ália templa quamplúra aut refécit, aut pretiósis donis ditávit; Vaticánæ autem basílicæ quartam oblatiónum partem sibi de more competéntem, præter décimam jam a sancto Leóne nono Apostolórum príncipi attribú-

tam, elargítus est. Henrícum imperatórem, catholicórum príncipum nóbile exémplar, Sanctórum in album rétulit. Tandem Tibúre quo æstívos calóres vitándi causa ab Urbe concésserat, gravi morbo implícitus mortem justórum oppétiit octávo Idus Júlii anno millésimo centésimo quinquagésimo tértio, postquam in Petri cáthedra sedísset annos octo, et menses quátuor. Corpus Romam delátum, cónditum fuit in Vaticáno, una cum sancti Gregórii tértii, et beáti Petri Levítæ exúviis. Sacrum porro cultum jam tunc miraculórum accedénte fulgóre, ei exhíbitum, et in áliis quoque regiónibus ad hæc usque témpora vigéntem, summus Póntifex Pius nonus, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, ratum hábuit et confirmávit.

℟. Iste est qui.

In iij. Noćturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE XXIII. OCTOBR.

(*D. a. ex xxij. Junii.*)

B. Innocentii V.

Papæ, Confessor. Duplex.

(*m. t. v.*)

Oratio.

Deus, qui beátum Innocéntium Confessórem atque Pontíficem, sciéntiæ ac prudéntiæ donis decorátum, pacis et unitátis conciliatórem effecísti; ejus intercessióne nobis concéde cœléstia sápere et ómnia bona concórdi stúdio sectári. Per Dñum.

In j. Noćturno, Lećtiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Innocéntius, ántea Petrus de Tarentásia dictus, anno supra millésimum círciter biscentésimo vigésimo quinto natus est. Dives æque ac nóbilis et elegantióris formæ, a ténera ætáte in órdine Prædicatórum se suáque ómnia Deo mancipávit. Per annos ferme trigínta in cœnóbio Parisiénsi religiósis móribus sacrísque lítteris ápprime excúltus, sapiéntiæ ac sanctitátis culmen ascéndit. Ad theológicas disciplínas in académia Parisiénsi, tradéndas et ad régimen provínciæ sui órdinis semel et íterum vocátus, egrégius fuit sacræ scién-

tiæ magíster, et prælátus inter fratres acceptíssimus. Ubérrimo animárum fructu pópulos Gálliæ verbi Dei prædicatióne informávit, sibíque haud exíguam discéndi laudem prooméruit.

℟. Invéni.

Lectio v.

A Beáto Gregório décimo Pontífice máximo Ecclésiæ Lugdunénsi regéndæ præpósitus, cleri populíque graves ac diutúrnas contentiónes brevi ac felíciter sedávit. In senátum purpuratórum Patrum ascítus, œcuménicæ synodo Lugdúni celebrándæ sollícite ómnia dispósuit : tum in ipsa synodo jussu Pontíficis una cum sancto Bonaventúra majóris moménti negótia moderátus est. Ejus præsértim ópera Græcórum conjúnctio cum Latínis probáta est; querélæ cleri sæculáris contra regulárem sublátæ; et conclávis statúta ad futúras Romanórum Pontíficum electiónes sancíta. ℟. Pósui.

Lectio vj.

A Rétii beáto Gregório décimo vita functo, unánimis Cardinálium suffrágiis ad Petri Cáthedram evéctus est. Magnánimi decessóris consília prosecútus, ímpigre stúduit ut Orientáles ab infidélium jugo liberáret : Cárolum Sicíliæ regem cum Itálicis civitátibus amice compósuit : Rodúlphum imperatórem Ecclésiæ Románæ ditióni ab Alpibus minitántem propulsávit : contra Sarracénos, Hispániam invadéntes, celeritáte magna exércitum cruce signatórum instrúxit : normas dedit, quibus religiósa Græcórum cum Latínis reconciliátio perficerétur, a successóribus sédulo reténtas. Hæc tanta operátus brevi quinque ménsium decúrsu, dum majóra adhuc ab eo sperábat Ecclésia, febri Romæ corréptus anno ætátis suæ quinquagésimo primo ad Súperos piíssime evolávit. Multis in vita et post mortem miráculis cláruit. Quamóbrem statim ab éxitu cultus ecclesiásticus beáto Pontífici tribútus fuit : quem nunquam intermíssum, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, Leo Papa décimus tértius confirmávit. ℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. in Evang. Homo péregre. *de Communi j. loco.*

DIE XXIV. OCTOB.
S. Raphaelis *Archan.*
Duplex majus.
Ut in fine Breviarii.

DIE XXV. OCTOBR.
S. Bonifacii I.
Papæ, Conf. Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BOnifáciusRománus, patre Jucúndo Presbytero, post beátum Zósimum humánis rebus exémptum, Románæ Ecclésiæ episcopátum adéptus est. Is annósus Présbyter, ac in lege doctíssimus, bonísque móribus comprobátus, invítus ac relúctans, totíus pópuli acclamatióne, ac Urbis optimátum consénsu, a septuagínta Presbyteris, novémque diversárum provinciárum Epíscopis divínæ institutiónis órdine serváto, consecrátus est in basílica Júlii; quo témpore Eulálius Archidiáconus, Diacónibus circumvéntis, paucissimísque de clero ac multitúdine turbátæ plebis, in locum sibi non débitum, per ámbitum próruens, ordinátur in Constantiniána basílica. Eo in schísmate Bonifácius legítimus Póntifex, veheménter depréssus, coáctus est beáti Petri basílicam desérere, et una cum suis ad beáti Pauli secédere. Deláta mox causa ad Episcopórum concílium, cum Patres inter se dissidérent, plenióri synodo res tota servátur, jussis intérea, Honórii Augústi ópera, tum Bonifácio, tum Eulálio, ab Urbe discédere. Quare hic Antium, sanctæ Felicitátis basílicam ille pétiit.

℟. Invéni.

Lectio v.

SED cum Eulálius se in Urbem intrusísset, occasionémque præbuísset públicæ seditiónis, Honórius ea re commótus, Eulálium Urbe pelléndum, Bonifácium vero in eam inducéndum rescrípsit : quod frequénti Episcopórum synodo confirmátum fuit. Itaque Bonifácius regréssus, sollícita cura coná-

tus est cunctos in mútuam restitúere concórdiam, cui et in futúrum consúluit, ne post óbitum suum gravióri scissúra distraherétur Ecclésia. Piissimórum autem imperatórum devotióne gaudébat, et contra inimícos grátiæ Dei, non solum apostólicis, sed étiam régiis utebátur edíctis; et licet ipse doctíssimus esset, advérsus libros tamen Pelagianórum, beáti Augustíni Epíscopi respónsa poscébat; cui et Augustínus tantum détulit, ut ei sua scripta non tam ediscénda, quam examinánda, et emendánda diréxerit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Patroclum Arelaténsem Epíscopum aliénæ Metrópolis jura invadéntem représsit; datísqne lítteris ad Hilárium Narbonénsem Epíscopum jussit, ut jure Metropolitáni, et apostólicæ sedis præceptióne, ad pervásum locum accéderet, agéndaque vidéret, et apostólicæ sedi cuncta reférret. Constítuit, ne múlier vel mónacha sacráta pállia contíngeret, aut laváret; neve quis incénsum in ecclésia póneret, nisi minister esset. Servum vel cúriæ vel rei cuílibet obnóxium, cléricum fíeri vétuit. Fecit oratórium in cœmetério sanctæ Felicitátis Mártyris, juxta corpus ejus, cujus itémque sancti Sylváni sepúlcrum ornávit, plúribus donis oblátis. Dénique fama celebérrimus, et grátia Dei plenus, ejúsdem glóriam adéptus est, Honório et Theodósio princípibus, sepultúsque in cœmetério sanctæ Felicitátis via Salária, octávo Kaléndas Novémbris. Semel mense Decémbri creávit Presbyteros trédecim, Diáconos tres, Epíscopos per divérsa loca sex supra trigínta. Pontificátum ténuit annos quinque, minus duóbus ménsibus et tribus diébus. ℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

Nona Lectio SS. Chrysanthi et sociorum Martyrum (ex duabus una.) cum eorumd. Comm. in Laud.

DIE XXVI. OCTOBR.

S. Evaristi

Papæ Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EVarístus Græcus natióne, patre Judæo génitus, christiánæ pietátis studiosíssimus Trajáno imperatóre ad cáthedram Petri promótus est, seditque in ea annos novem, menses tres. Fecit ordinatiónes quátuor, mense Decémbri, ac creavit Presbyteros decem et septem, Diáconos duos, Epíscopos per divérsa loca quíndecim.

℟. Honéstum.

Lectio v.

ECclesiárum títulos Urbis Romæ Presbyteris eum divisísse légimus, ut unusquísque suæ parœciæ términis, ac limítibus distinguerétur; et mandásse, ut altária, in quibus sacra fiunt, exstrúcta ex lápide, benediceréntur: ut septem Diacóni Epíscopum custodírent, ipsíque adéssent, dum prædicatiónis evangélicæ offício, et ministério fúngitur, quasi tráditæ ab illo doctrínæ testes.

℟. Desidérium.

Lectio vj.

COnstítuit étiam ex traditióne apostólica, ut matrimónium públice celebrétur, et sacerdótis benedíctio adhibeátur. His, aliísque salutáribus, utilibúsque constitutiónibus edéndis pontificátus sui tempus transégit, non tamen illud omísit, ut simulacrórum cultum ex ánimis hóminum avélleret. Qua in re, cum strénue laborásset, martyrio coronátus est, ac sepúltus prope sepúlcrum príncipis Apostolórum in Vaticáno, séptimo Kaléndas Novémbris.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE XXVII. OCTOBR.

B. Cichi a Pisaur.

Conf. Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beátum Cichum terrénis solútum affectibus ad cœléstium amórem transtulísti, concéde nos quoque, tua grátia adjútos, ea quæ sunt mundi despícere ac te solum toto corde dilígere. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cichus a Pisáuro honéstis piísque paréntibus ortus, ineúnte sæculo decimoquárto, floréente adhuc ætáte, cœléstium amóre succénsus, árduum evangélicæ perfectiónis iter aggréssus est. Cunctis quæ possidébat in páuperes erogátis, crucis mortificatiónem ampléxus Tértio Ordini sancti Francísci de Pœniténtia nomen dedit. Tres solitáriis in locis ædículas Deíparæ dicávit, álteram nempe cum parvo xenodochío ad Metáurum, ubi nunc sancta María de Fano cólitur, álteram in monte Granário, tértiam in monte sancti Bartholómei Pisáuro próximo, in quibus vária statióne eremitícam vitam ducens, oratióni et contemplatióni sédulam dabat óperam. Quo postrémo in loco dum eníxas fundébat preces, ímpetu frendéntis dæmónis avúlso e superióri monte ingénti saxo confríngi debuísset ab oppréssæ ædículæ ruínis, nisi Deus ictum evidénti prodígio plane írritum fecísset.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Semel in mense per finítimas urbes et óppida stipem corrógans cum discípulis, exígua pro se, suísque parte detrácta, quidquid supérerat, vel egénis puéllis, núptui tradéndis, vel ínopum subsídio, vel in templórum et xenodochiórum necessitátes impendébat. Quod humilitátis, abstinéntiæ, et liberalitátis exercítium quam gratum Deo foret pátuit e pœna duóbus inflícta, qui illum emendicándi morem in Cicho damnáre ausi fúerant; eórum enim alter mutitáte, alter paralysi multátus fuit. Aspérrimo usus vitæ génere, cilício, vigíliis, jejúniis corpus sevére atterébat; et eo mortificatiónis devénit, ut oblátum assátæ carnis suíllæ rústulum, quod desideráverat, támdiu serváverit, pœnas a se repetitúrus, donec putrésceret, et jam vérmibus scatens sæpius ori naribúsque admóverit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Ejus sanctitátis fama per plúrimas étiam províncias diffúsa eminébat. Quocúmque vel mendicatúrus, vel ália de causa perrexísset, tanta erga eum Christi fidélium venerátio erat, ut quisquis ab ipso vel benedictiónem obtinére, vel manus deosculári, aut túnicæ fímbriam contíngere potuísset, se beátum præ ingénti gáudio putáret. Revérsus ab indulgéntia Portiúnculæ, una cum beáta Michelína, sua concíve sodalítium a Misericórdia nuncupátum, nunc ab Annuntiatióne dictum, instítuit. Hinc plúrimis miráculis coruscans, prophetíæ dono illustrátus plenúsque méritis atque ætáte, degens in erémo sanctæ Maríæ montis Granárii, anno millésimo trecentésimo quinquagésimo placidíssime obdormívit in Dómino. Ejus corpus póstea Pisáurum translátum sub Ara máxima primum, deínde sub áliis in cathedráli ecclésia cónditum est. Cultum ab immemorábili ipsi delátum Pius Nonus Póntifex máximus ex sacrórum rítuum Congregatiónis consúlto confirmávit, ejúsque festum cum Offício et Missa in civitáte et diœcési Pisauránsi celebrári indúlsit.

℞. Iste homo.

In iij. Noct., Homilia. Sancti Evangélii. *de Communi j. loco.*

Lectio ix. et Commem. Vig. SS. Simonis et Judæ Apost.

DIE XXIX. OCTOBR.
SS. Decentii *Episc. Pisauri et* Germani *Diac. fratr. Mart.*
Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Annue, quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum Decéntii et Germáni nos lætíficet festíva solémnitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno. Quotiescúmque. *de Comm. j. loco.*

In iij. Noct., Homilia. Dóminus ac Redémptor. *de eodem Comm. j. loco.*

℟. *viij.* Hæc est vera fratérnitas.

Vesp. a Capit. de sequ. (m. t. v.) Commem. præc.

DIE XXX. OCTOBR.

B. Marci Mutinensis *Confessoris.*

Duplex (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui per beátum Marcum Confessórem tuum permúltos errántes in viam justítiæ redíre fecísti; concéde, ut ejus intercessióne nos quoque a vítiis absolúti ad ætérna gáudia perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEátus Marcus Mutínæ ortus statim ac divíno lúmine terrenárum rerum vanitátem perspéxit, mundo núncium remíttere státuit, ac quo tútius ætérnæ suæ salúti consúleret, prædicatórum Ordinem ingréssus est. Religiósæ famíliæ in pátrio cœnóbio, Deo favénte, ascríptus, in id omne stúdium, curámque convértit, ut paréntem ac magístrum divum Domínicum pro suárum ratióne vírium in se ipso exprímeret. Quocírca oratióni rerúmque divinárum contemplatióni vacáre, vota sua Deo pie fidelitérque réddere, institúti a se suscépti leges examússim implére, carnem suam afflígere omniúmque virtútum génere ánimum exornáre numquam déstitit. Et quóniam órdinis, quem proféssus fúerat, finis potíssimus est, non própriam tantum sed proximórum quoque salútem ardénti amóre deperíre, ut id facílius pleniúsque assequerétur, cum morum innocéntia, ac vitæ sanctitáte, litterárum præsértim divinárum stúdium amíco fœdere sociávit. Quo factum est, ut magnos in doctrína ac virtúte proféctus fécerit, atque ad Apostólici viri munus rite obeúndum brevi témpore idóneus apparúerit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

EVangelizándi verbi Dei munus sibi a superióribus concréditum álacri, li-

bentíque ánimo suscépit; quo quidem magno cum animárum fructu in complúribus Itáliæ úrbibus perfúnctus est. Nam cum sanctitátis et doctrínæ laude præstáret, divínæ eloquéntiæ vi, ac præcláris illibátæ vitæ exémplis voce ipsa validióribus, et ingéntem hóminum multitúdinem a vítiis revocátam ad veram christiánæ vitæ ratiónem tradúxit, et plúrimos ad melióra æmulánda charísmata inflammávit. Multa quoque et insígnia ópera plúribus in locis ad fidélium utilitátem confécit. Pisauréռsi Ordinis sui cœnóbio præses datus, súbditis sibi frátribus clarissimárum splendóre virtútum prælúxit, ac sanctitátis suæ opiniónem in ómnium cívium ánimis ita excitávit, ut eum tamquam sanctum venerári cœperit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

POst imménsos labóres pro Dei glória, ecclésiæ bono, proximorúmque salúte exháustos, sénio tandem morbóque conféctus, Pisáuri anno millésimo quadringentésimo nonagésimo octávo, mensis septémbris die vigésima prima, sanctitáte, méritis illustribúsque opéribus conspícuus, in Christi crucifíxi ampléxu, in quem præcípuo semper ac singulári dum víveret ferebátur affécta, pie sanctéque decéssit. Corpus ejus humilióri primum loco tumulátum, dein ad sacratíssimi Rosárii sacéllum, ac sub ejus ara recónditum fuit. Quo quidem in translatióne, quem ab óbitu obtinúerat, Christiáni pópuli cultus erga eum auctus est, et in dies præparátus, atque ad hæc usque témpora tradúctus. Quem cultum numquam intermíssum Pius Nonus Póntifex máximus ex sacræ rítuum Congregatiónis consúlto probávit, atque ut beáti Marci festum cum Offício et Missa in toto Prædicatórum Ordine, nec non in archidiœcési Mutinénsi et Nonantulána celebrarétur, benígne concéssit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct., Homilia. Sancti Evangélii *de Communi j. loco.*

DIE XXXI. OCTOBR.
S. Siricii
Papæ Confessoris.
Duplex (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beátum Sirícium Confessórem atque Pontíficem ecclesiásticæ disciplínæ propagatórem exímium effecísti, da Ecclésiæ tuæ, ejus institútis profícere, et méritis adjuvári. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SIríciusRománus, ex Presbytero tituli Pastóris, vita functo sancto Dámaso Papa, cleri populíque univérsi acclamatióne ad apostólicam Sedem evéctus est, obniténte frustra Ursicíno schismático, gratulánte vero in primis Valentiniáno imperatóre, qui magnum innocéntiæ et probitátis exémplum eum prædicávit. Ipso sui pontificátus exórdio decretálem epístolam, salubérrimis institutiónibus plenam, ad Himérium dedit Tarraconénsem Epíscopum, áliis Hispaniárum Ecclésiis communicándam, ut corrúpti clericórum mores emendaréntur, et disciplínæ vigor instauraretúr, quam in Africa quoque collabéntem, hábita Romæ synodo octogínta Episcopórum, reparándam curávit.

℟. Invéni.

Lectio v.

INnúmera sunt cétera, quæ pro fídei defensióne toto sui pontificátus témpore invícte perégit. Joviniánum mónachum, sanctæ virginitátis hostem, et christiánum Epicúrum in Románasynodo anathémate confíxit. Bonósum quoque Sardicénsem Epíscopum Christi divinitátem, et Deíparæ post partum virginitátem inficiántem damnávit. Manichæos ex Urbe ejéctos imperiáli lege sæculáribus pœnis coercéndos subjécit; redeúntes vero ad Ecclésiam in monastéria detrúdi, ac nonnísi in vitæ éxitu ad communiónem récipi vóluit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

REligiónis tuéndæ et amplificándæ stúdium, quod sane quam máximum declarábat, egrégie adjúvit magnus Theodósius imperátor, qui cum sublátis Gentílium simulácris templísque interdíctis aut evérsis, idolórum cultum omnem aboléri jussísset, christiána relígio, ipso sedénte Pontífice, miríﬁce propagáta est. Præcláris pro Ecclésia functus labóribus, editísque sanctíssimis légibus, septuagenário major obdormívit in Dómino anno salútis trecentésimo nonagésimo octávo. Sedit in pontificátu annos círciter quatuórdecim. Ejus corpus e cœmetério Priscíllæ via Salária in títulum sanctæ Práxedis a Pascháli primo translátum est. Illíus vero nomen Benedíctus decimusquártus Póntifex máximus, plene vindicáta ejus ab objéctis crimínibus innocéntia, in Románi Martyrológii tábulas reférri jussit. ℟. Iste.

In iij. Noct., Homilia. Ut ignorántiam, *de Communi ij. loco, cum Lectione ix. Vigil. ut in Brev. ejusq. Comm. in Laud.*

DOMINICA

INFRA OCTAVAM

Omnium Sanctorum Sacrarum Reliquiarum *seu Sanctorum, quorum vel Corpora vel Reliquiæ asservantur et coluntur in Basilica Cathedrali et in aliis Ecclesiis Civitatis et Diœcesis Pisaurensis.*

Duplex.

Officium Sacrarum Reliquiarum ut in calce Breviar.

Lectio ix. et Commem. Domin. et Oct.

DOMIN. II. NOVEMB.

Patrocinii B. Mariæ V.

Duplex majus.

Ut in fine Breviarii.

DIE V. NOVEMBRIS.

(*D. a. ex v. Jul.*)

S. Michaelis de Sanctis *Confessoris.*

Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

MIséricors Deus, qui sanctum Michaélem Confessórem tuum morum innocéntia et mirábili caritáte præstáre voluísti : concéde quæsumus, ut ejus inter-

cessióne a vítiis liberáti, et igne tui amóris succénsi, ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Commemor. Octavæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Michael de Sanctis, Vici in Hispánia citerióre piis et honéstis paréntibus natus, mundum ántea contempsísse quam agnovísse visus est. Pene infans perpétuam virginitátem Deo vovit; cumque rei cónscius pater núptias illi per jocum propóneret, in lácrymas effúsus puer atque ad Deíparæ Vírginis aram confúgiens, emíssum votum fervéntius renovábat. Sexénnis ad sanctórum vestígia sectánda in Monsénii spelúncam secéssit, in qua, dum patiéntis Christi mystéria in génua provolútus piis sénsibus lacrymísque proséquitur, a patre repértus, domum redíre coáctus est. Neque tamen de præconcépto severióris vitæ propósito quidquam remísit. Unicum illi erat cœléstium desidérium, perpétua cum Deo consuetúdo, innocéntis vero carnis macerátio major quam ut ténera illa ætas ferre posse viderétur. Nam ter in unaquáque hebdómada jejúnans, somnum super sarmentórum fáscibus, saxo cápiti suppósito, carpens, flagéllis in seípsum sævíre, et étiam aliquándo corpúsculum, sancti Francísci exémplo, in spinárum acérvum conjícere et cruentándum volutáre non dubitávit, quin tamen singulári Dei benefício spinæ illæ puríssima membra attíngerent, atque in mínimo offénderent. Quibus aliísque cruciátibus admirábili illi pœniténtiæ proludébat, quam póstea ad hóminum stupórem tantópere adáuxit. ℟. Honéstum.

Lectio v.

Anno ætátis duodécimo nondum expléto solus et pedes egrédiens de domo et cognatióne sua, Barcinónam conténdit, ibíque sanctíssimæ Trinitátis redemptiónis captivórum órdinem inter Calceátos ampléxus, quamprímum per ætátem lí-

cuit solémnia vota nuncupávit. Paucis inde post ménsibus ad strictiórem Discalceatórum ejúsdem órdinis famíliam se tránstulit. In hac nova reguláris disciplínæ palæstra mirum est, quot quantísque virtútum increméntis étiam inter contínuas studiórum exercitatiónes anteáctæ vitæ sanctitátem cumuláverit. Tanto enim stúdio síngulas institúti leges observábat, ut nullam ex eis præteriísse compértum fúerit. Virginitátem, quam quinquénnis Deo vóverat, non modo inviolátam servávit, verum étiam præclaríssimo Dei múnere nunquam carnis illécebris alléctus est, neque in mente cogitatiónem ullam minus honéstam hábuit. Arctíssima præditus paupertáte per plures annos neque cubículum hábuit neque pulvínar, ubi caput reclináret. Christi mansuetúdine indútus, cum ómnibus pátiens fuit et misériccors; iis, qui sibi contumélias aut damnum intúlerant, semper pro malo bonum réddidit. Invícta in advérsis enítuit fortitúdine. Prudentíssimus in aliórum regímine, sibi se júdicem acérrimum, réliquis vero humaníssimum patrem exhíbuit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

CUM Deum totis víribus dilígeret, ab ipso máximis locupletári méruit charismátibus. Nam crebris et miríficis rapiebátur ecstásibus, quibus vel in sublíme toto assurgébat córpore, vel cœlum ascéndere videbátur, cum aut de Dei bonitáte loqueerétur, aut acris óperans cálicem eleváret. Nec minóri erga próximos caritáte flagrábat, quos et privátis consíliis, et públicis conciónibus, et assídua sacraménti pœniténtiæ administratióne juváre nunquam prætermísit. Cum vero virtútes ejus non pópuli modo, sed viri príncipes admiraréntur, ea tamen erat ánimi demissióne, ut se dæmónibus ipsis deterióre m affirmáret. At humáni géneris Redémptor, cui exaltáre húmiles in delíciis est, hunc servum suum fidélem peculiári vóluit illustráre prodígio, quo ipse divíni sui cordis mysticam commutatió-

nem cum corde illíus iníre dignátus est. Hoc ítaque caritátis incéndio decúmbens, spíritum Deo réddidit Vallisoléti, die décima Aprílis anno millésimo sexcentésimo vigésimo quinto, ætátis suæ trigésimo tértio. Quem multis ante et post óbitum miráculis clarum summus Póntifex Pius sextus Beatórum fastis ascrípsit. Pius vero nonus Póntifex máximus, sacro Cardinálium aliorúmque fere trecentórum Antístitum Ecclésiæ et apostólicæ sedis jura strénue contra insidiántes hostes propugnántium senátu circúmdatus, recurrénte plausu Urbis et Orbis, sacro Pentecóstes die octáva Júnii anni millésimi octingentésimi sexagésimi secúndi, in Vaticána basílica illum novis fulgéntem signis Sanctórum catálogo solémni ritu accénsuit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxij. *c*

IN illo témpore : Respóndens Jesus ait Sadducæis : Errátis nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei : in resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Libro de Virginitate.

VIrgínitas est bona : id ego quoque fáteor. Atqui núptiis étiam mélior; et istud tibi asséntior : ac si libet, illud adjúngam, tanto núptiis eam præstáre, quanto cœlum terræ, quanto homínibus Angeli antecéllunt : ac, si quid prætérea addéndum est, étiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxórem ducunt; non étiam carne et sánguine coagmentáti sunt : in terris prætérea non commorántur, non cupiditátum, aut libídinum perturbatiónibus sunt obnóxii; non cibi índigent, aut potus; non sunt ejúsmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut præclára spécies possit allícere; nulla dénique ejus géneris illécebra capiúntur.

℟. Iste est.

Lectio viij.

AT humánum genus cum natúra beátis illis méntibus inférius sit, omni vi studióque conténdit, ut quoad ejus fíeri potest, illas assequátur. Quómodo? Non nubunt Angeli; at neque étiam virgo. Assisténtes illi semper ad Deum, eídem insérviunt; et istud ipsum virgo. Quod si vírgines, quámdiu córporis ónere deprimúntur, quemádmodum Angeli in cœlum néqueunt ascéndere, illud eo vel máximo solátio compénsant, quod modo spíritu et córpore sancti sint, cœli Regem recípiunt. Vidésne virginitátis præstántiam? quómodo terrárum íncolas sic affíciat, ut qui córpore vestíti sunt, eos incorpóreis méntibus exæquet?

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

QUA enim, quæso, re differébant ab Angelis Elías, Eliséus, Joánnes, veri hi virginitátis amatóres? nulla, nisi quod mortáli natúra constábant. Nam cétera si quis diligénter inquírat, hi níhilo minus affécti reperiéntur, quam beátæ illæ mentes : et idípsum, quo inferióre conditióne vidéntur esse, in magna est eórum laude ponéndum. Ut enim terrárum íncolæ, et ii qui essent mortáli natúra, possent ad illam virtútem vi et contentióne perveníre; vide quanta eos fortitúdine, quanta vitæ ratióne præditos fuísse opórteat.

Te Deum laudámus.

DIE VI. NOVEMBRIS,

(*D. a. ex vij. Julii.*)

SS. Cyrilli et Methodii

Pont. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Hymnus ut ad Matutin.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Magnificat, Aña. O quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona, dicéntium Sion : Regnábit Deus tuus.

Oratio ut in Laud.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

SEdibus cœli nítidis recéptos
Dícite athlétas géminos, fidéles;

Slávicæ duplex cólumen, decúsque
Dícite gentis.

Hos amor fratres sociávit unus,
Unaque abdúxit píetas erémo,
Ferre quo multis célerent beátæ
Pígnora vitæ.

Luce, quæ templis súperis renídet,
Búlgaros complent, Móravos, Bohémos;
Mox feras turmas numerósa Petro
Agmina ducunt.

Débitam cincti méritis corónam
Pérgite o flecti lácrymis precántum;
Prisca vos Slavis opus est datóres
Dona tuéri.

Quæque vos clamat generósa tellus
Servet ætérnæ fídei nitórem;
Quæ dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.

Gentis humánæ Sator et Redémptor,
Qui bonus nobis bona cuncta præbes,
Sint tibi grates, tibi sit per omne
Glória sæclum.
Amen.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Litteris Encyclicis Leonis PP. XIII.

Cyríllus et Methódius fratres germáni, Thessalonícæ amplíssimo loco nati, Constantinópolim matúre concessérunt ut in ipsa urbe Oriéntis príncipe humanitátis artes addíscerent. Utérque plúrimum brevi profecérunt; sed máxime Cyríllus, qui tantam scientiárum laudem adéptus est, ut singuláris honóris causa philósophus appellarétur. Deínde mónachum ágere Methódius cœpit; Cyríllus autem dignus est hábitus, cui Theodóra imperátrix, auctóre Ignátio Patriárcha, negótium daret erudiéndi ad fidem christiánam Cházaros trans Chersonésum incoléntes; quos præcéptis suis edóctos et Dei númine instínctos, multíplici superstitióne deléta, ad Jesum Christum adjúnxit. Recénti Christianórum communitáte óptime constitúta, Constantinópolim rédiit

álacer, atque in monastérium Polychrónis, quo se jam Methódius recéperat, Cyríllus ipse secéssit. Interim cum res trans Chersonésum próspere gestas ad Rastiláum Morávice príncipem fama detulísset, is de áliquot operáriis evangélicis Constantinópoli arcesséndis cum imperatóre Michaéle tértio egit. Igitur Cyríllus et Methódius illi expeditióni destináti, et in Moráviam célebri lætítia excépti, ánimos christiánis institutiónibus tanta vi, tamque operósa indústria excoléndos aggrediúntur, ut non longo intervállo ea gens nomen Jesu Christo libentíssime déderit. Ad eam rem non parum sciéntia váluit dictiónis Slavónicæ, quam Cyríllus ante percéperat, multúmque potuérunt sacræ utriúsque Testaménti Lítteræ, quas próprio pópuli sermóne reddíderat : nam Cyríllus et Methódius príncipes inveniéndi fuérunt ipsas lítteras, quibus est sermo ipsórum Slavórum signátus et expréssus, eáque de causa ejúsdem sermónis auctóres non immérito habéntur. ℟. Invéni.

Lectio v.

CUM rerum gestárum glóriam secúndus rumor Romam nuntiásset, sanctus Nicoláus primus Póntifex máximus fratres óptimos Romam conténdere jussit. Illi Románum iter ingréssi, relíquias sancti Cleméntis primi Pontíficis máximi, quas Cyríllus Chersónæ repérerat, secum ádvehunt. Quo núntio, Hadriánus secúndus, qui Nicoláo demórtuo fúerat sufféctus, clero populóque comitánte, óbviam eis magna cum honóris significatióne progréditur. Deínde Cyríllus et Methódius de múnere apostólico in quo essent sancte laborioséque versáti ad Pontíficem máximum, assidénte clero, réferunt; cum autem eo nómine ab ínvidis accusaréntur, quod sermónem Slavónicum in perfunctióne múnerum sacrórum usurpavíssent, causam dixére ratiónibus tam certis tamque illústribus, ut Póntifex et clerus et laudárint hómines et probárint. Tum ambo juráti se in fide beáti Petri et Pontíficum Romanórum permansú-

ros, Epíscopi ab Hadriáno consecráti sunt. Sed erat provísum divínitus, ut Cyríllus vitæ cursum Romæ cónderet, virtúte magis quam ætáte matúrus. Itaque defúncti corpus elátum fúnere público, in ipso sepúlcro quod sibi Hadriánus exstrúxerat, compósitum fuit; tum ad sancti Cleméntis dedúctum, et hujus prope cíneres cónditum. Cumque veherétur per urbem inter festos psalmórum cantus, non tam fúneris quam triúmphi pompa, visus est pópulus Románus libaménta honórum cœléstium viro sanctíssimo detulísse. Methódius vero in Moráviam regréssus, ibíque factus forma gregis ex ánimo, rei cathólicæ inservíre majóre in dies stúdio ínstitit. Quin étiam Pannónios, Búlgaros, Dálmatas in fide christiáni nóminis confirmávit; in Carínthiis autem ad uníus veri Dei cultum traducéndis plúrimum elaborávit. ℞. Pósui.

Lectio vj.

APud Joánnem octávum, qui Hadriáno succésserat, íterum de suspécta fide violatóque more majórum accusátus, ac Romam veníre jussus, coram Joánne, et Epíscopis áliquot cleróque urbáno, fácile vicit cathólicam prorsus fidem et se retinuísse constánter, et céteros diligénter edocuísse; quod vero ad linguam Slavónicam in sacris peragéndis usurpátam, se certis de causis ex vénia Hadriáni Pontíficis, nec sacris Lítteris repugnántibus, jure fecísse. Quaprópter in re præsénti compléxus Methódium Póntifex, potestátem ejus archiepiscopálem, expeditionémque Slavónicam, datis étiam lítteris, ratam esse jussit. Quare Methódius in Moráviam revérsus assignátum sibi munus explére vigilántius perseverávit, pro quo et exsílium libénter passus est. Bohemórum príncipem ejúsque uxórem ad fidem perdúxit, et in ea gente christiánum nomen longe latéque vulgávit. Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnúlli scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in Moscóviam próprii nóminis digréssus, thronum pontificá-

lem Kiowénsem constítuit. Demum in Moráviam revérsus est ad suos; jamque sese ábripi ad humánum éxitum séntiens, ípsemet sibi successórem designávit, clerúmque et pópulum suprémis præcéptis ad virtútem cohortátus, ea vita, quæ sibi via in cœlum fuit, placidíssime defúnctus est. Uti Cyríllum Roma, sic Methódium Morávia decedéntem summo honóre prosequúta est. Illórum vero festum, quod apud Slavóniæ pópulos jámdiu celebrári consuéverat, Leo décimus tértius Póntifex máximus cum Offício ac Missa própria in univérsa Ecclésia quotánnis agi præcépit.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Hom. Dóminus et Salvátor noster. *de Comm. Evang.*

AD LAUDES.

Hymnus.

LUX o decóra pátriæ,
Slavísque amíca géntibus,
Salvéte, fratres; ánnuo
Vos efferémus cántico.

Quos Roma plaudens éxcipit,
Compléxa mater fílios,
Auget coróna Præsulum,
Novóque firmat robóre.

Terras ad usque bárbaras
Inférre Christum pérgitis;
Quot vanus error lúserat,
Almo replétis lúmine.

Noxis solúta péctora
Ardor supérnus ábripit;
Mutátur horror véprium
In sanctitátis flósculos.

Et nunc seréna Cœlitum
Locáti in aula, súpplici
Adéste voto; Slávicas
Serváte Gentes Númini.

Erróres mersos únicum
Ovíle Christi cóngreget;
Factis avítis æmula
Fides viréscat púlchrior.

Tu nos, beáta Trínitas,
Cœlésti amóre cóncita,
Patrúmque natos ínclyta
Da pérsequi vestígia.
Amen.

℣. Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli. ℟. Et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Ad Benedictus, Ant. In sanctitáte et justítia serviérunt Dómino ómnibus diébus suis : ídeo stolam glóriæ índuit illos Dóminus Deus Israel.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices

Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : præsta, ut quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Magnificat, Aña. Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei, divínæ veritátis præcónio gloriósi : linguæ eórum claves cœli factæ sunt.

Commem. Oct.

DIE VII. NOVEMBR.

(*D. a. ex vij. Sept.*)

S. Hadriani III.

Papæ Confess. Duplex.

(*m. t. v.*)

Oratio.

OMnípotens mitíssime Deus, qui beátum Hadriánum Confessórem tuum apostólica dignitáte sublimásti, quique illi cœléstis regni jánuam misericórditer aperuísti : tríbue, quæsumus; ut ejus piis intercessiónibus et præséntis vitæ suffrágia, et ætérna præmia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HAdriánus tértius Póntifex máximus, Románus, cáthedram apostólicam turbulentíssimis Itáliæ tempóribus conscéndit, vergénte jam ad finem Carolingiórum império. In públicis calamitátibus, quas rerum penúria et annónæ deféctus ubíque augébat, ipse tamquam bonus pastor ærúmnas ómnium leníre, omniúmque necessitátibus occúrrere curábat. Crescénte perículo irruptiónis Saracenórum, qui Cassinénse monastérium ferro et igni vastáverant, jamque Urbis Romæ cervícibus imminébant, cum nulla auxílii spes ab imperatóre Occidéntis affulgéret; Hadriánus omni ope stúduit Oriéntis impérium Románæ Ecclésiæ conciliáre, a qua tum témporis funésto schísmate discíssum erat. Quare benigníssimas lítteras cum expositióne orthodóxæ fídei de Spíritus sancti processióne ad aulam Constantinopolitánam misit; ad hæc,

opem prostrátis Itáliæ et Romæ rebus postulávit. Attamen, ut erat acérrimus integritátis fídei custos et vindex, addúci nunquam pótuit, ut Phótium hæréticum a suis decessóribus destitútum, sedis Constantinopolitánæ Patriárcham agnósceret.

℟. Invéni.

Lectio v.

MOnastéria tamquam pietátis et scientiárum domicília in univérso Occidénte sua benevoléntia prosecútus est, potestáte defféndit, illórum jura ampliávit, adhíbita étiam Románæ synodi, cui ipse præsédit, auctoritáte. Factiosórum hóminum motus et flagítia, quibus pública Urbis tranquíllitas veheménter turbabátur, sevére représsit. Inter hæc consílium proficiscéndi in Fránciam suscépit, ut imperatórem Cárolum Crassum Wormátiæ conveníret; haud satis constat utrum ab ipso imperatóre fúerit invitátus ad componénda rei públicæ negótia, an ultro id consílii céperit, ut Cárolum et impérii próceres ad causam Románæ Ecclésiæ Italiǽque suscipiéndam permovéret. Verum in ipso itínere apostólicus peregrínus gravi morbo corréptus, in agro provínciæ Æmíliæ, qui Spinum Lambérti dicebátur, ad oram flúminis Scultínnæ, sanctíssime diem suprémum óbiit, anno octingentésimo octuagésimo quinto, postquam annum unum et menses quátuor Ecclésiam doctrína et sanctitáte vitæ illustrásset.

℟. Pósui.

Lectio vj.

COrpus beáti Pontíficis in próximum monastérium Nonantulénse delátum, et in æde sancti Silvéstri honorífice cónditum fuit; ibíque conféstim patráta mirácula spectátam servi Dei sanctimóniam virtutémque, sicut antíqui scriptóres testántur, ipsíus patrocínii comprobárunt. Hinc factum est, ut non íncolæ modo cœnóbii, sed próximi étiam pópuli Hadriánum venerári cœ́perint, ipsíus opem imploráre, donáriis ac lampádibus sepúlcrum religióso cultu decoráre.

Quin étiam púlverem ex ejus túmulo erásum pótui immiscébant, remédium fugándis fébribus salutári hoc haustu expérti. Accéssit, quod cum dira incéndii vis templum corripuísset, sacra illíus ossa in médiis licet flammis intácta prorsus permansísse memóriæ próditum est. Crebrescéntis ítaque cultus celebritátem et cliéntium pia stúdia auxére templum ipsíus honóri ædificátum, relíquiæ distribútæ et públice in altáribus propósitæ, anaglypta et tabéllæ, in quibus sancti título insignítus Hadriánus legebátur, ac postrémo dies festus quotánnis ex pietáte celebrátus cum Missa et oratióne própria. Quæ documénta veneratiónis antiquíssima, constántia, pública, jam sæculo décimo sexto exeúnte in causa fuérunt, ut de sancto Hadriáno Papa in abbatía Nonantulána Offícium fíeret. Instánte autem Archiepíscopo Mutinénsi eodémque Abbáte Commendatário, Leo décimus tértius Pontífex máximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, confirmávit cultum sancto Hadriáno Papæ ab immemorábili præstitum, atque Offícium et Missam in ejus honórem quotánnis a Clero Románo, Nonantuláno et Mutinénsi celebrári concéssit.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Hom. Ut ignorántiam. *de Comm. Conf. Pont. ij. loco.*

DIE XII. NOVEMB.

S. Martini

Papæ Conf. Duplex.

Ut in Breviario præter ritum.

DIE XIII. NOVEMBR.

S. Paterniani

Episc. et Conf. Duplex.

(*m. t. v.*)

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, solemnitátem hujus diei intúere, et Ecclésiam tuam beáti Paterniáni Confessóris tui atque Pontíficis contínua fac celebritáte gaudére, et ómnium in te credéntium vota perfícias. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PAterniánus primum in erémo anachoreticam vitam duxit; póstea multórum monachórum abbas efféctus, eos verbis et exémplis in omni perfectiónis via erudívit. Deínde ad Vicum quemdam Venárum dictum pervéniens prope Fanum, ubi gentílitas Fanum Fortúnæ consecrárat, et páriter exemplárem vitam ducens, plúrimos ad veram religiónem convértit: ac proptérea Epíscopus ejúsdem civitátis elígitur.

℟. Invéni.

Lectio v.

POstquam vero multis annis in loco, ubi beáto Martíno ecclésia erécta fúerat, mónachus et Epíscopus vixísset, multas ecclésias consecrásset, et aliórum mores regulásset, morti propínquus, súbditos suos in fídei sinceritáte confírmans, eísque præclara virtútum exémpla relínquens, clarus miráculis in cœlum migrávit, cántibus Angelórum suavíssimis comitátus.

℟. Pósui.

Lectio vj.

COrpus ejus mira claritáte refúlgens in eádem ecclésia sancti Martíni, quæ a Xysto Quarto summo Pontífice canónicis reguláribus sancti Salvatóris concéssa fuit, honorífice cónditum, signis étiam præcláris enítuit. Quamplúrima deínceps pópulo suo Fanénsi benefícia cóntulit. Nam, et pacem inter cives confirmávit; pestem et famem répulit, et hostes civitátem obsidéntes fugávit. Anno vero millésimo quingentésimo quinquagésimo primo iídem Canónici se intra urbem transferéntes, eidémque ecclésiam dedicántes, ibídem corpus sacrum transtulérunt sexto Idus Július, ubi honorífice tumulátum mirrácu-lis corúscat:

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Hom. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

DIE XIV. NOVEMBR.

S. Stanislai Kostkæ

Confessoris. Duplex.

(*m. t. v.*)

Ut in fine Breviarii ex heri.

DIE XVI. NOVEMBR.

S. Deusdedit

Papæ Conf. Duplex.

(*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BOnifácio hujus nóminis quarto e vivis subláto, postquam sedes apostólica ménsibusquinque, et duódecim diébus vacásset, beátus Deúsdedit egrégiis virtútibus, et exímia sanctitáte conspícuus, natióne Románus, patre Stéphano, unánimi ómnium consensióne, ex Subdiácono Románus Póntifex creátus est. Ut autem Subdiáconus Póntifex crearétur, tunc primum áccidit absque majórum exémplo; sed ut, áliis prætermíssis, Deúsdedit eligerétur, insígnis ejúsdem sanctimónia præstitit, qua mirífice inter tot ténebras illustrátus emícuit..

℟. Invéni.

Lectio v.

HIC a domo Dei regíminis inítium fecit. Cleri enim máximam curam gessit, quem cum immínútum, et valde distráctum invenísset, eúmdem plúrimum auxit, in prístinas sedes restítuit, et multis benefíciis cumulávit. Sed plane doléndum est; tanti Pontíficis facta, scriptórum inópia, aut certe témporis injúria, obscúra mansísse, quæ quidem insígnia fuísse opórtuit, cum eum antíquitus Ecclésia inter Sanctos recéperit, et ánnua commemoratióne ut Sanctum fúerit veneráta.

℟. Pósui.

Lectio vj.

ILlud tamen unum, ac singuláre non éxcidit. Cum enim ob terræmótus vehementíssimos, elephántiæ lues orta esset, dum afflíctæ Urbi sanctíssimus Póntifex prospiceret, præsénsque raro exémplo ægros invíseret, unum ex illis, in quo Christum contemplátus est, benígne compléxus, et osculátus, divíno miráculo, eúmdem a lepra mundávit, ut vétera Ecclésiæ monuménta testántur. Epístolæ ab eo scriptæ fragméntum exstat, in quo luculéntum de spirituáli cognatióne decrétum continétur. Ubi

demum tres annos sedísset, ex hac vita discéssit, anno Christi sexcentésimo décimo séptimo, et sepúltus est in Vaticáno.
℟. Iste est qui.
In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

DIE XIX. NOVEMBR.
S. Pontiani
Papæ et Mart. Duplex.
Oratio. Infirmitátem.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.
In II. **Nocturno.**
Lectio iv.

PONtiánus Románus præfuit Ecclésiæ Alexándro imperatóre: qui sanctum Pontíficem, propter christiánæ fídei confessiónem, in Sardíniam ínsulam cum Hippólyto Presbytero relegávit. Ubi is pro Christi fide multis calamitátibus afflíctus, decimotértio Kaléndas Decémbris e vita migrávit. Ejus corpus Fabiáno Pontífice, cum clero Romam delátum, in cœmetério Callísti via Appia sepelítur. Sedit annos quátuor, menses quátuor, dies vigintiquínque. Fecit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit, Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca sex.
℟. Honéstum.
Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
De S. Cypriano serm. xij.
Lectio v.

SErmónem éxigit tam grata, et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Pontiáni celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis; semper cúpiens vidére præséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti lætítia cuncta, quæ tunc gesta sunt, legéndo recólimus: diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed exspectámus hiláriter redeúntem.
℟. Desidérium.
Lectio vj.

VIcína córporis morte, non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pasto-

rális, et cura tuéndi Domínici gregis, usque ad extrémum vitæ hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carníficis. Ita se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non obliviscerétur Epíscopum; magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli procónsuli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat: Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum ímitans præparábat.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Hom. Dóminus diem judícii. *de Communi iij. loco.*

℟. *viij.* Dómine prævenísti.

DIE XXVII. NOV.
S. Nicolai I.
Papæ Conf. Duplex.
(*m. t. v.*)

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

NIcoláus hujus nóminis primus, natióne Románus, patre Theodóro regionário, Benedícto tértio e vivis subláto, mirábili ómnium consensióne, anno Christi octingentésimo quinquagésimo octávo a clero eléctus, et ex basílica príncipis Apostolórum, in qua latitábat, per vim edúctus, addúctúsque in Lateranénse patriarchíum, Románus Póntifex renuntiátus est. A prima pueritia pietátem, omnémque virtútem cóluit, eósque in sacris lítteris progréssus fecit, ut eum Sérgius secúndus in ipso eódem patriarchío, Ecclésiæ Románæ Subdiáconum, Leo vero quartus Diáconum creáverint, Benedíctus demum tértius, ejus consílio et ductu univérsam Ecclésiam administráverit. ℟. Invéni.

Lectio v.

EXstant plúrimæ ab eo scriptæ epístolæ, in quibus errántes corréxit, supérbos depréssit, oppréssos recreávit. Epíscopos, reges, imperatóres in offício

contínuit : Joánnis Ravennátis Archiepíscopi contumáciam fregit : Hincmárum Rheménsem Archiepíscopum, de injústa Rhotáldi Epíscopi Suessionénsis depositióne ácriter reprehéndit, ejus ea de re, nec non synodi Sylvanecténsis judícium abrogávit; tum apud sanctam Maríam Majórem in pervigílio Nativitátis Domínicæ Missárum solémnia explens, Epíscopum ipsum prístinæ dignitáti, et paulo post suæ sedi plene restítuit. Lothárium regem, qui rejécta legítima uxóre Theutbérga, Waldrádam concubínam dúxerat, intentáto anathémate, ad saniórem mentem redúxit. Electiónem Phótii láici hóminis reprobávit, et Patriárcham Ignátium in prístinam sedem restítuit. Ecclésiæ demum Románæ jura ita defféndit, ut síngulæ illíus epístolæ quasi tótidem fortíssima Sedis apostólicæ muniménta esse videántur. ℟. Pósui.

Lectio vj.

CUM illíus zelus intra tunc præscríptos Ecclésiæ fines continéri non posset, ad conversiónem infidélium applícuit ánimum, fecítque, ut amplíssima Bulgarórum gens, una cum rege, ad Christi fidem convérsa, Ecclésiæ Románæ, frendénte licet imperatóre schismático, accésserit. Operam quoque suam privátis pietátis offíciis sédulo navávit. Hinc descrípta ómnium indigéntium nómina apud se habére vóluit, ut síngulis accurátius succúrreret. Reparándis étiam ornandísque basílicis Urbis, præcípue Lateranénsi patriarchío liberálem manum appósuit, et nullis súmptibus pepércit. Inito demum décimo pontificátus anno in cœlum migrávit, et in Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homilia de Communi j. loco.

In Vesp. Orat. Exáudi.

DIE XXVIII. NOVEMB.

S. Gregorii III.

Papæ Confessoris.

Duplex.

Oratio. Da quæsumus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius, hujus nóminis tértius, natióne Syrus, patre Joánne, Gregório secúndo vita functo, unánimi cleri et pópuli consénsu, nec non divíno quodam instínctu, cum digníssimus ómnium esset, subrogátus est, anno Christi septingentésimo trigésimo primo. Vir singulári doctrína, et virtúte, Latína et Græca lingua erudítus, mirábili dicéndi facúndia, atque ádeo felíci memória, ut totum Psaltérium memóriter recitáret; is demum, quem prædecessóri suo Gregório, doctrína et prudéntia sapientíssimi hómines æquiparándum esse duxérunt.

℟. Invéni.

Lectio v.

CAthólicæ fídei propugnátor acérrimus, Leónem Isáurum imperatórem iconóclástam patérnis mónitis et lítteris ad saniórem mentem redúcere conátus est. Sed cum nihil profíceret, convocáto Romæ nonagínta quinque Episcopórum concílio, sacrárum imáginum cultum apostólico decréto firmávit, et diro anathémate fériit Iconómachos. Quæ cum ad Leónis aures pervenı́ssent, áltius rugíre cœpit, misitque advérsus Gregórium florentíssimam classem cum potentíssimo exércitu, sed hæc, voléntе ac víndice Deo, in Adriático sæva tempestáte agitáta fœdo naufrágio périit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

MUlta quoque a Luitprándo Longobardórum rege iníque passus est, qui et Urbem longa obsidióne cinxit, et sancti Petri basílicam sacrílega manu dirípuit. In his angústiis sanctíssimus Póntifex ad Cárolum Martéllum, antecessóris exémplo, legátos cum sacris munéribus destinávit. Munívit Urbis mœnia, largas in egénos eleemósynas erogávit, novas basílicas a fundaméntis exstrúxit, antíquas ornávit, ac restaurávit, Vaticánam præsértim, intra quam oratórium auro, argénto, gemmis, omníque pretiósi óperis génere ditátum

eréxit, in quo sanctórum Apostolórum, et Mártyrum relíquias summa cura et diligéntia toto christiáni orbis ámbitu conquisítas repósuit, et coléndas expósuit, eo máxime témpore, quo illas Hagiómachi diabólico furóre proculcábant. Multa monastéria restítuit, et sanctis légibus instrúxit,statuítque, ut Presbyteri et mónachi altérnis noctu diúque divínas laudes celebrárent. Fractus demum labóribus, méritis licet, atque virtútibus ínclytus, anno sui pontificátus undécimo nondum perácto, quarto Kaléndas Decémbris pie óbiit in Dómino, et in prædícto oratório Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Homília de Communi j. loco.

In Vesp. Oratio. Exáudi. *de Communi.*

DIE XXIX. NOVEMBR.

S. Gelasii I.

Papæ Conf.

Duplex. (*m. t. v.*)

Orat. Da quæsumus.

In j. Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Gelásius, gente Africánus, patre Valério, in Felícis tértii locum subrogátus, pontificátum gessit annos quátuor, menses octo, duodevigínti dies. Creávit in dúplici ordinatióne Diáconos duos, Presbyteros trigínta et duos, sexagínta septem per divérsa loca Epíscopos. Vir sane singulári fídei propagándæ ac servándæ zelo ardentíssimus, omni litteratúra, præsértim sacra instructíssimus et intrépidi péctoris róbore, tum ad vindicánda Ecclésiæ et Sedis apostólicæ jura,tum ad retundéndam hæreticórum, et schismaticórum protérviam armátus.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ejus cura et stúdio, non clerus modo plúrimum auctus est, verum étiam univérsa Ecclésia magnis increméntis adolévit. In quo certe illíus prudéntia mirábilis fuit, cum eo témpore Anastásius imperátor hæréticus, et Theodorícus Ariánus rerum utriúsque impérii poti-

réntur. Imminénte famis perículo, úbere annóna Urbem recreávit. Lupercália, áliaque Gentílium spectácula, quæ ad hæc usque témpora, post tam multa imperatórum edícta advérsus idololatríam lata, et Romanórum Pontíficum stúdia ad eam exstirpándam adhíbita, viguísse constat, Andrómacho senatóre, aliísque Románis frustra licet refragántibus, pénitus abolévit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

ALia quamplúrima ad dignitátem et disciplínam Ecclésiæ spectántia præstitit, sancívit, et scripsit. Defensóres Acácii, Euphémium præsértim Constantinopolitánum damnávit; scriptísque ad divérsos nervosíssimis juxta atque doctíssimis lítteris, vel eos in offício contínuit, vel aberrántes redúxit. Pelagiános, Manichæos, et álios hærétícos coércuit, eorúmque libros públicis flammis tradi curávit. Præter Decretáles, et Hymnos ecclesiásticos, egrégia scripsit opúscula contra Nestórium, Aríum, Pelágium, et Eutychéten. Sed illud præ céteris memorándum, quod libros canónicos ab áliis, et probátos ab apócryphis in Romána synodo septuagínta Episcopórum, singulári decréto distínxit. Post multos demum labóres in regénda universáli Ecclésia exantlátos, sanctíssimus et doctíssimus Póntifex pie óbiit in Dómino undécimo Kaléndas Decémbris, anno Christi quadringentésimo nonagésimo sexto, et sepúltus in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In iij. Nocturno, Hom. de Communi j. loco.

Lectio ix. de Homilia Vigil. S. Andreæ, in Brev.

DIE I. DECEMBRIS.

(*D. a. ex xix. Nov.*)

S. Elisabeth Hung.

Regin. Vid. Duplex.

Ut in Breviario die xix. Novembris.

COMMEMORATIO S. TERENTII MART.

IN SUFFRAGIIS FACIENDA.

AD VESPERAS.

Aña. Felix Martyr Teréntius, semper in ómnibus Christo déditus, cui appáruit Angelus, dicens ei : Ubi oportéret eum in próximo requiéscere.

AD LAUDES.

Aña. Ave, Martyr egrégie Terénti, qui cum Sanctis in cœlo triúmphas, súpplices te júgiter flagitámus, quátenus tuis almis précibus nostrórum indulgéntiam peccatórum consequámur.

Tam ad Vesp. quam ad Laud. ab Oct. Epiph. usque ad Purif. dicitur sequens.

℣. Ora pro nobis, beáte Terénti.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

A Purif. usque ad Adventum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæsumus Dómine, fámulis tuis per sancti Teréntii Mártyris mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

PRO CANONICIS CATHEDRALIS.

COMMEM. S. THOMÆ APOSTOLI.

AD VESP. ET AD LAUD.

Aña. Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt. (Allelúia.)

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ commemoratióne gloriári; ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur.

Kalendarium perpetuum

pro Clero Civit. et Diœc. Pisaurensis.

AUGUSTUS.

27 S. Josephi a Calasanctio Conf., *dupl.*
28 S. Augustini Ep. Conf. et Doct., *dupl. Comm.* S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *duplex majus. Comm.* S. Sabinæ Mart.
30 S. Rosæ Limanæ Virg., *dupl. Comm.* SS. Felicis et Soc. Mart.
31 S. Raymundi Nonnati Conf., *dupl.*

SEPTEMBER.

1* S. Hormisdæ Pap. Conf., *dupl. Comm.* S. Ægydii Abb. et SS. duodecim Fratrum Mart.
2 S. Stephani Hungariæ Regis Conf., *semidupl.*
3* S. Albertini Conf., *dupl.*
4* S. Rosæ Viterbiensis Virg., *dupl.*
5 S. Laurentii Justiniani Ep. Conf., *semidupl.*
6* S. Alexii Conf., *semidupl.* (*ex* 17 *Julii.*)
7* S. Marthæ Virg., *semidupl.* (*ex* 29 *Julii.*)
8 Nativitas B. Mariæ Virginis., *dupl. ij. class. cum* Oct. *Comm.* S. Adriani M.
9* B. Seraphinæ Sfortiæ Vid., *dupl. maj. Comm.* Oct. et S. Gorgonii M.
10 S. Nicolai Tolentinatis Conf., *dupl. Comm.* Oct.
11* S. Sergii I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Oct.
12* S. Hilari Pap. Conf., *dupl. Comm.* Oct.
13* S. Ludovici Regis Conf., *semidupl.* (*ex* 26 *Aug.*) *Comm.* Octav.
14 Exaltatio SS. Crucis D. N. J. Christi, *dupl. maj. Comm.* Octav.
15 Octava Nativitatis Deiparæ, *dupl. Comm.* S. Nicomedis Mart.
16* SS. Cornelii Pap. et Cypriani Ep. MM., *dupl. Comm.* SS. Euphemiæ et Soc. VV. MM.
17 Impressio sacrorum Stigmatum in Corp. S. Francisci Conf., *dupl.*
18 S. Josephi a Cupertino Conf., *dupl.*
19 SS. Januarii Ep. et Soc. MM., *dupl.*
20* *Vigilia.* S. Agapiti Pap. Conf., *dupl. Comm.* Vig.

21 S. Matthæi Ap. et Ev., *dupl. ij. classis.*
22 S. Thomæ a Villanova Ep. Conf., *dupl. Comm.* SS. Mauritii et Soc. MM.
23* S. Lini Pap. Mart., *dupl. Comm.* S. Theclæ Virg. et Mart.
24* S. Terentii Mart. Civitatis et Diœcesis Patron. princip., *dupl. j. class. cum* Oct.
25* B. Mariæ Virginis de Mercede, *dupl. maj.* (*ex heri*) *Comm.* Oct.
26* S. Eusebii Pap. Conf., *dupl. Comm.* Oct. ac SS. Cypriani et Soc. MM.
27 SS. Cosmæ et Damiani MM., *semidupl. Comm.* Oct.
28 S. Wenceslai Mart., *semidupl. Comm.* Oct.
29 Dedicatio S. Michaëlis Archang., *dupl. ij. class.*
30 S. Hieronymi Presb. Conf. et Doct., *dupl. Comm.* Oct.

FESTA MOBILIA.

* Dom. I. Septemb. Octava anniversarii Dedicationis omnium Ecclesiarum. *dupl. Comm.* Domin.

Dom. infra Oct. Nativitatis B. M. V. SS. Nominis Mariæ, *dupl. maj. Comm.* Domin.

Dom. III. Septembris. Septem Dolorum B. Mariæ V. *dupl. maj. Comm.* Domin.

OCTOBER.

1* Octava S. Terentii Mart., *dupl. Comm.* S. Remigii Ep. et Conf.
2 SS. Angelorum Custodum, *dupl. maj.*
3* SS. Eustachii et Soc. Mart., *dupl.* (*ex* 20 *Septembr.*)
4 S. Francisci Assisien. Conf., *dupl. maj.*
5* S. Pacifici a S. Severino Conf., *dupl. Comm.* SS. Placidi et Soc. Mart.
6 S, Brunonis Conf., *dupl.*
7* S. Marci I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* SS. Sergii et Soc. MM.
8 S. Birgittæ Vid., *dupl.*
9 SS. Dionysii Ep. et soc. MM., *semidupl.*
10 S. Francisci Borgiæ Conf., *semidupl.*
11* S. Trophimi Ep. et Conf., *dupl.*
12* S. Seraphini ab Asculo Conf., *dupl.*
13 S. Eduardi Regis Conf., *semidupl.*
14* S. Callisti I. Pap. Mart., *dupl.*
15 S. Theresiæ Virg., *dupl.*
16* S. Jacobi de Marchia Conf., *dupl.*
17 S. Edwigis Vid., *semidupl.*
18 S. Lucæ Evang., *dupl. ij. class.*
19 S. Petri de Alcantara Conf., *dupl.*

20 S. Joannis Cantii Conf., *dupl.*
21* B. Felicis Virg., *dupl. Comm.* S. Hilarionis Abb. et SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart.
22* B. Eugenii III. Papæ Conf., *dupl.*
23 B. Innocentii V. Pap. Conf. *dupl* (*ex* 22 *Junii.*)
24* S. Raphaëlis Archangeli, *dupl. maj.*
26* S Evaristi Pap. Mart., *dupl.*
27* *Vigilia.* B. Cichi a Pisauro Conf., *dupl. Comm.* Vigil.
28 SS. Simonis et Judæ Ap., *dupl. ij. class.*
29* SS. Decenti Ep. Pisauren. et Germani ejus fratris Diac. MM., *dupl.*
30* B. Marci Mutinens. Conf., *dupl.*
31* *Vigilia.* S. Siricii Pap. Conf., *dupl. Comm.* Vigiliæ.

FESTA MOBILIA.

Dom. I. Oct. Sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virginis, *dupl. ij. class. Comm.* Domin.
Dom. II. Octob. Maternit. B. Mariæ Virg., *dupl. maj. Comm.* Domin.
Dom. III. Octob. Puritatis B. Mariæ Virg., *dupl. maj. Comm.* Domin.

NOVEMBER.

1 Solemnitas Omnium Sanctorum, *dupl. j. class.* cum Oct.
2 De Octav., *semidupl.* Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, *sub ritu duplici.*
3 De Octava, *semidupl.*
4 S. Caroli Episc. et Conf., *duplex. Comm.* Octav. et SS. Vitalis et Soc. MM.
5* S. Michaelis de Sanctis Conf., *dupl.* (*ex* 5 *Julii.*) *Comm.* Octav.
6* SS. Cyrilli et Methodii Ep. et Conf., *dupl. Comm.* Oct.
7 S. Hadriani III. Pp. Conf. *dupl.* (*ex* 7 *Sept.*) *Comm.* Oct.
8 Octava Omnium Sanctorum, *dupl. Comm.* SS. Quatuor Coronat. MM.
9 Dedicat. Archibasilicæ SS. Salvatoris, *dupl. maj. Comm.* S Theodori Mart.
10 S. Andreæ Avellini Conf., *dupl. Comm.* SS. Tryphonis et Soc. MM.
11 S. Martini Ep. Conf., *dupl. Comm.* S. Mennæ Mart.
12* S. Martini I. Pap. Mart., *dupl.*
13* S. Paterniani Ep. et Conf., *dupl.*
14* S. Stanislai Kostkæ Conf., *dupl.* (*ex heri*).
15 S. Gertrudis Virg., *dupl.*
16* S. Deusdedit Pap. Conf., *dupl.*
17 S. Gregorii Thaumaturgi Ep. Conf., *semidupl.*

18 Dedicatio Basilicar. SS. Ap. Petri et Pauli, *dupl. maj.*
19* S. Pontiani I. Pap. Mart., *dupl.*
20 S. Felicis de Valois Conf., *dupl.*
21 Præsentatio B. Mariæ Virginis, *dupl. maj.*
22 S. Cæciliæ Virg. et Mart., *dupl.*
23 S. Clementis I. Pap. Mart., *dupl. Comm.* S. Felicitatis M.
24 S. Joannis a Cruce Conf., *dupl. Comm.* S. Chrysogoni Mart.
25 S. Catharinæ Virg. et Mart., *dupl.*
26 S. Silvestri Abb., *dupl. Comm.* S. Petri Alexandrini Ep. Mart.
27* S. Nicolai I. Pap. Conf., *dupl.*
28* S. Gregorii III. Pap. Conf., *dupl.*
29* *Vigilia.* S. Gelasii I. Pap. Conf., *dupl. Comm.* Vig. et S. Saturnini Mart.
30 S. Andreæ Ap., *dupl. ij. class.*

FESTA MOBILIA.

* Dom. infra Oct. omn. Sanctor. Festum Sacrarum Reliquiarum, seu Sanctorum, quorum vel Corpora vel Reliquiæ asservantur et coluntur in Cathedrali Ecclesia, et in aliis Ecclesiis Civitatis et Diœcesis Pisaurensis, *dupl. Comm.* Dom. et Oct.

* Dom. II. Novemb. Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. ij. class. Comm.* Domin.

DECEMBER.

1* S. Elisabeth Hungariæ Regin. Vid. *dupl.* (*ex* 19 *Nov.*)
2 S. Bibianæ Virg. et Mart., *semidupl.*
3 S. Francisci Xaverii Conf., *dupl.*

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 2 Januarii 1902.
VICT. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societ. S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.



OFFICIA PROPRIA
ECCLESIÆ PLACENTINÆ
CONCESSA.

PARS HIEMALIS.

DIE 27. NOVEMBRIS.

S. Homoboni *Conf.*

Duplex ad modum simplicis recolendum.

Oratio.

DEus qui beátum Homóbonum confessórem tuum, pietátis et misericórdiæ donis insígnem, ad promíssa misericórdibus præmia felíciter perduxísti : tríbue quæsumus; ut quem páuperum patrem in terris habúimus, tutelárem propítium habeámus in cœlis. Per Dóminum.

DIE 28. NOVEMBRIS.

(assign. e 21.)

S. Columbani

Abbat. Bobiensis Patron.

Duplex (*m. t. v.*)

Oratio. Intercéssio, *de Comm. Abbatum.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

COlumbánus, natióne Hibérnus, jam inde ab infántia futúram claritátem præsignávit. In humánis divinísque lítteris appríme versátus, inter cétera ingénii sui et doctrínæ monuménta, expositiónem in Psalmos adhuc adoléscens édidit. Carnis, mundi et dæmonis triúmphátor, per calcátam matrem, strato sibi ad religiónem itínere, mo-

nastérium Benchor, per id témporis celebérrimum, ingréssus est : in qua sapiéntiæ sanctióris schola usque ádeo profécit, ut paucis post annis, ex discípulo magíster factus virtútis, et ad munus prædicándæ evangélicæ veritátis a Deo vocátus, assúmptis secum ex eódem cœnóbio duódecim mónachis, in Británniam indéque in Gálliam trajécerit, circa annum quingentésimum octogésimum quintum.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Ab Austrasiórum rege perhumáne excéptus, ad Vósagum montem húmiles casas sibi sociísque constrúxit : quibus, in summa vitæ austeritáte et rerum ómnium inópia degéntibus, sæpe Deus commeátum mirabíliter provídit. Sed cum illa solitúdo ab iis qui ad Columbánum sanitátis obtinéndæ grátia confluébant, frequentári cœpísset; festis ipse solemnióribus secédens in interióris desérti spelúncam, quam huic digniori hóspiti ursus concésserat, sylvéstrium árborum fructu, et fontis, quem e petra, velut alter Moyses, edúxerat, unda recreátus, procul ab hóminum consórtio rerúmque terrenárum curis, mentem divínis contemplatiónibus exercébat. Cum vero illíus sanctitátis fama, ex his látebris erúmpens, plures ad ejus magistérium efflagitándum úndique allíceret, Luxoviénse cœnóbium cóndidit, in quo tercéntos mónachos, laudis perénnis sacrifícium Deo immolántes, suis exémplis ac præcéptis informávit; quos, ut in obediéntia exercéret, ægros aliquándo e léctulo súrgere ac fruméntum flagelláre jussit : obediéntibus, labóris sui fructum, sanitátem consecútis. Suis ipse précibus nunc créscere in hórreis, nunc in mánibus annónam fecit. Interim cum sanctitáte, doctrína et miráculis toti Gálliæ prælucéret, Theodóricus, Burgúndiæ Rex, cujus ipse impúros amóres arguébat, virum Dei várie vexátum proscrípsit. Quare Luxóvio extrúsus, regis império Bisúntium ductus est, ubi captivórum víncula, captívus ipse, solo tactu confré-

git; moxque eádem, qua álios donáverat, libertáte ad suos revérsus est.

℟. Amávit.

Lectio vj.

TUM vero sic Theodorícus, instigánte Brunichílda regína, exársit, ut ad eum e cœnóbio exturbándum míserit satéllites, quos præsens Columbánus, offúsa divínitus eórum óculis animísque calígine, velut alter Elisæus, elúsit. Sed regis furóri cedéndum ratus, post prænuntiátum prophético spíritu ipsi et posteritáti ejus intéritum, dum in Hibérniam trajíceret, exórta mirabíliter tempestáte, ad Gálliæ oram repúlsus, ad Theodobértum Austrásiæ regem se cóntulit : a quo benígne recéptus, in Helvétiam primum cum sancto Gallo aliísque sóciis venit, deínde ad lacum Brigantínum consédit, dirutísque idolórum templis, superstitiónem ubíque debellávit. Inde a gentílibus ejéctus, in Itáliam ad Agylúlphum Longobardórum regem proféctus est, extructóque in Cóttiis Alpibus Bobiénsi monastério, ariános, coram et scriptis, acérrime confutávit. Tandem gravíssimis diutúrni exsílii labóribus pro glória Dei perfúnctus, in cœléstem pátriam migrávit, undécimo kaléndas Decémbris, anno Christi sexcentésimo décimo quinto. ℟. Iste homo.

In iij. Noct. Hom. Grandis fidúcia, *de Com. Abbatum.*

DIE 29. NOVEMBRIS.

(*d. ass. ex 13. huj.*)

S. Didaci

Conf. Semiduplex. (*m. t v*)

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequ.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitáti nostræ; ut piis beáti Dídaci confessóris tui précibus ad perénnem in cœlis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

DIdacus Hispánus ex óppido sancti Nicolái de Portu diœcésis Hispalénsis, ab ineúnte ætáte pii sub sacerdótis disciplína, san-

ctióris vitæ solitária in ecclésia tirocínium exércuit. Deínde in fírmius Deo se conjúngeret, in convéntu de Arrizzáfa fratrum Minórum (quos Observántes vocant) sancti Francísci régulam in statu laicáli proféssus est. Magna ibi alacritáte húmilis obediéntiæ, et reguláris observántiæ jugum súbiens, contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus cœléstibus, litterárum expers, mirándum in modum et plane divínitus loquerétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CAnáriis in ínsulis, ubi frátribus sui órdinis præfuit, multa perpéssus, martyrii æstuans desidério, plures infidéles verbo et exémplo ad Christi fidem convértit. Romam véniens anno jubilæi, Nicoláo quinto Pontífice, ægrotórum curæ in convéntu Aræ cœli destinátus, eo caritátis afféctu munus hoc exércuit, ut Urbe annónæ inópia laboránte, ægrótis tamen, quorum aliquándo úlcera étiam lambéndo abstergébat, nihil pénitus necessárii defécerit. Exímia quoque fides et grátia curatiónum in eo elúxit, cum lámpadis, quæ collucébat ante imáginem beatíssimæ Dei Genitrícis, quam summa devotióne colébat, óleo ægros inúngens, signo crucis imprésso, multórum morbos mirabíliter sanáverit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

DEmum Complúti finem sibi vitæ adésse intélligens, lácera et ob soléta indútus túnica, conjéctis in crucem óculis, singulári devotióne illis verbis ex sacro hymno pronuntiátis : Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, quæ fuísti digna portáre Regem cœlórum, et Dó-

minum; ánimam Deo réddidit, prídie Idus Novémbris, anno Dómini supra millésimum quadringentésimo sexagésimo tértio. Ejus corpus cum menses non paucos (ut pio confluéntium desidério fíeret satis) insepúltum mansísset, quasi jam incorruptiónem indúerit, odórem suavíssimum efflávit. Illum multis et illústribus miráculis clarum Sixtus quintus Póntifex máximus Sanctórum número ascrípsit.
℟. Iste homo.
In iij. Noct., Homilia. Pusíllum gregem, *de Communi ij. loco.*
Vesp. de sequenti.

DIE 3. DECEMBRIS.
S. Francisci Xaverii
Confessoris. Placentiæ Protector. minus princip.
Duplex majus.
Omnia ut in Breviario hac die. Lectiones j. Nocturni Justus, *de Comm. j. loco.*

DIE 5. DECEMBRIS.
S. Claudii
Mart. Duplex.
Cujus exuviæ in Cathedrali Placentina quiescunt.
Oratio. Præsta.., ut qui, *de Communi.*
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.
In ij. et iij. Nocturno Lect. de Comm. j. loco.

DIE 7. DECEMBRIS.
S. Victoris
Primi Episc. Plac. et Conf. cujus cineres in basilica S. Antonini summa veneratione asservantur.
Duplex majus.
Oratio.
Domine Jesu Christe, qui beátum Victórem pópulo huic primum pastórem misericórditer concessísti, ut, idolórum superstitióne devícta, fidem tuam propagáret: præsta quæsumus, ut ejus adjúti suffrágiis, fidem quam dócuit, corde serváre et ópere complére júgiter valeámus. Qui vivis et regnas.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. S. R. C. 30. Jun. 1896.
In II. Nocturno.
Lectio iv.
Victor, románus, uti tráditur, vir ingénio, divinárum litterárum sciéntia, et christiánæ pietátis virtútibus excúltus, témpore sancti Silvéstri papæ, quando

Constantínus imperátor ad fidem convérsus, pacem déderat ecclésiæ, Placentinórum Epíscopus primus creátus est. In episcopátu multa sancte piéque ad animárum salútem instítuit, diu noctúque pro fíliis deprecabátur assídue. Paganórum superstitiónem, beáti Antoníni mílitis Thebeæ legiónis prædicatióne, exémplis, ac præcláro martyrio, paucis tunc annis, in pago placentíno ácriter oppugnátam, summis labóribus ac curis innúmeris pénitus compéscuit. Ipse primum templum Placéntiæ vero Deo extruéndum curávit, quod póstea sancti Antoníni dictum fuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. —Manus.

Lectio v.

CHristiánam religiónem strénue defféndit, præcípue contra arianórum hæresim; plúribus superióris Itáliæ concíliis, suo témpore hábitis, intérfuit, ac postquam pópulum sibi commíssum plures annos magna cum sanctitátis laude gubernásset, miráculis clarus ac plenus diérum pie obdormívit in Dómino séptimo Idus Decémbris sub Dámaso papa. Ejúsdem porro sollícitæ curæ pastorális claríssimum testimónium in scriptis habétur sancti Ambrósii, ubi de placentínis virgínibus dísserit, quæ, sprétis mundi delíciis, Deíque amóre captæ, Mediolánum petébant, sacrum velum e mánibus ipsíus Ambrósii susceptúræ.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. -- Manus.

Lectio vj.

AD extrémum vitæ diem cum pervenísset beátus Victor, astántibus illud prædíxit fore ut post óbitum, eódem illo in túmulo, quem sibi in æde a se exstrúcta paráverat, álius longe præstántior condérétur, quod fácile evéntu comprobátum est : eo enim illátum póstea fuit, beáti Sabíni successóris

ópera, corpus cum ampúlla sánguinis sancti Antoníni, quem Placentíni patrónum príncipem venerántur; ac étiam nunc sub ara máxima illíus templi horum córpora magna devotióne colúntur. Quæ anno millésimo octingentésimo septuagésimo nono, Leóne papa tértio décimo, per Joánnem Baptístam Epíscopum, rite recógnita, et in nova deauráta arca anno sequénti locáta, magna solemníque pompa séxdecim Episcopórum præséntia honestáta, et effúsa cívium exsultatióne, per urbem pie deláta, sub eádem ara dénuo et elegántius compósita fuére. ℟. Iste est.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi. *Serm. de confessione.*

DOmínicus sermo, quem debémus omnes non solum studióse, verum étiam sapiénter audíre, cui nos opórtet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis suæ tenens ubíque tempériem, ut nec óvibus desint pábula, nec pastóribus aliménta : quædam speciáliter solis præcipit nobis, quædam vero generáliter et nobis et vobis. Nobis namque, idest servis, quos ille paterfamílias, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in sua magna domo constítuit ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus, speciáliter injúngitur sanctæ prædicatiónis offícium : generáliter vero et nobis et vobis salutáris indícitur obediéntiæ mandatórum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viii.

SErvórum ígitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus, speciáliter volens offícium demonstráre, ait quod ex Evangélio modo audívimus : quis putas, est fidélis dispensátor et prudens,

quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. Quis est iste Dóminus fratres? Christus, sine dúbio, qui suis discípulis ait : Vos vocátis me magíster et Dómine, et bene dícitis : sum étenim.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória. Et vos.

Lectio ix.

QUÆ est étiam hujus Dómini família? Nimírum illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit et suo domínio mancipávit. Hæc família est sancta cathólica ecclésia, quæ per orbem terræ copiósa fertilitáte diffúnditur, et redémptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur. Fílius enim hóminis, sicut ipse ait, non venit ministrári, sed ministráre et dare ánimam suam redemptiónem pro multis. Ipse est étiam pastor bonus, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis. Grex ergo boni pastóris, ipsa est família Redemptóris.

Te Deum laudámus.

DIE 9. DECEMBRIS.

S. Syri

Episc. et Conf.

Papiensis Patroni. Dupl.

Oratio.

DEus, qui es tuórum antístitum potentíssimus illustrátor : tríbue quæsumus; ut beatíssimi Syri confessóris tui atque pontíficis magníficis exémplis informáti, sæculi istíus calíginem sine perículo transeámus. Per Dóminum nostrum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SYrus, natióne Galilæus, a pueritia sectátor Dómini, deínde discípulus apóstoli Petri, et ab eo ordinátus Epíscopus, Ticinúmque ad disseminándum Christi evangélium missus, primus illic fídei ac religiónis christiánæ eleménta, una cum san-

cto Juvéntio cómite, trádidit, et totam urbem cum vicínia ad Dei veri agnitiónem Christíque cultum convértit, statúta ibídem sede episcopáli. Is ergo dum ad injúnctum sibi opus per agrum veronénsem próperat. Verónæ primus ómnium missam célebrat, ibidémque adolescéntem mórtuum ad vitam revocávit, fílium únicum matris víduæ; quo facto, innúmera cívium multitúdo, dum in primis ipse adoléscens cum matre et tota família, suscépto baptísmate, legem et doctrínam evangélii ampléxáti sunt. Quare, præcurrénte fama signórum et advéntus boni patris, Syrus honorífice et magna spe præséntis salútis a Ticinénsibus excéptus est, crevítque magnópere novi præsulis apud eos venerátio, ubi ex solo contáctu vestimentórum ejus visi sunt infírmi sanitáti integérrime restitúti.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

IGitur Syrus, offícii sui ministéria aggréssus, incessánter verbum Dei, non solum per ticinénsem regiónem, sed étiam per Insúbriam totam et per Ligúriam deferébat, Verbi incarnáti mystéria áltaque Divinitátis sacraménta apériens, et univérsos ad legis divínæ observántiam cohórtans. Tráditur étiam alpes Rhetiórum transcendísse, et Lauricum, præcípuum Noricórum óppidum, ad christiánæ fídei lucem excitásse : ejus sane dictis máximum addébant pondus crebro édita signa et mirácula. Nam inter ália, dum prædicándo rura péragrat, viro cum dolo adeúnti Epíscopum, ac proptérea omni loquéla destitúto, fandi facultátem oratióne sua restítuit. Surdo simul et muto loquélam cum audítu impertívit, adhíbito super os et aures illíus signo crucis. Laudæ Pompéiæ cæco a nativitáte lucis visum impetrávit. Bríxiæ et álibi sæpius dæmónia de corpóribus obséssis fugávit. Curávit autem in primis ut, sæviénte Medioláni persecutióne in

Christi fidéles, mártyrum córpora honésto tutóque loco conderéntur, ne mórtua furóri gentílium patérent; appóni jubens, eórum capítibus, libéllum certáminis, ad posterórum notítiam et glóriam ipsórum mártyrum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Ipse relíquias sanctórum Gervásii et Protásii collocávit in templo a se ad mœnia Ticíni exstrúcta; ad cujus aram, rite prius sacrátam, quotidiánas preces, sacrifícia unctiónes et ordinatiónes sacras solébat cum suis cléricis perágere : ubi étiam pérfidum judæum accéptæ Eucharístiæ illúdere moliéntem, sed, víndice Deo, ígnibus in gútture diríssime excruciátum, rogántibus fidélibus, cleménter a cruciátu liberávit, dígitis reverénter exstrácto Sacraménto, quod neque paláto, neque linguæ adhærébat, sed in ore illíus, quasi in aere suspénsum manébat. Dénique fundáta et bene confirmáta fide populórum, nec non ecclesiástica disciplína, in suo pontificáli honóre, glorióso fine quiévit octogenário major; laudabíliter insúmptis annis quinquagínta et ultra in episcopáli magistério. Martyrio non est sublátus, quia ipse pótius benignitáte sua et elóquio divíno, aggressóres infidéles jugo fídei súbdidit. Sepúltus jácuit in basílica sanctórum Gervásii et Protásii a se constrúcta, donec post septingéntos annos per sanctum Adeodátum ejúsdem civitátis Antístitem ad ædem cathedrálem sancti Stéphani solémni pompa fuit translátus, et in inferióri crypta chori repósitus. Successóres hábuit, juxta suam prophetíam, primo loco Pompéium discípulum, a quo ejus vita conscrípta créditur, secúndo Juvéntium, páriter discípulum, itinerísque ac labórum amantíssimum sócium.

℟. Iste est.

In iij. Noct., Homilia. Ut ignorántiam, *de Communi ij. loco.*

DIE 10. DECEMBRIS.

Translat. Almæ DomusLauretanæ.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 12. DECEMBRIS.

(assign. e 4.)

S. Bernardi

Episc. Parmensis Conf. Dupl. (m. t. v.)

Oratio.

DEus mundi creátor et rector, qui hodiérna die beátum Bernárdum pontíficem ad cœléstis regni glóriam transtulísti, da nobis quæsumus, fámulis tuis : ut, qui ejus celebrámus festivitátem, salútem consequámur et pacem. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BErnárdus Floréntiæ claris natálibus ortus, cum patris defúncti opulentíssimam hæreditátem ingréssus esset, adoléscens mundi delícias fastidíre cœperat, solidióres ánimi voluptátes exquírens. Unde, dum se sopóri dat, per visum offértur illi vestis monástica a venerábili viro, quam, cum a princípio Bernárdus accípere renuísset, mox pro Christi amóre se receptúrum pollícitus est. Cujus sponsiónis memória sollicítior efféctus, beatíssimam Vírginem rogáre cœpit, ut, quod sibi hac in re faciéndum esset, inspiráret. Célebris eo témpore erat fama sanctitátis monachórum Vallisumbrósæ, quos beátus Joánnes Gualbértus sub sanctíssimæ Vírginis patrocínio paulo ante instítuerat : ad quorum Abbátem declínans Bernárdus, religiónis ingréssum humíliter expostulávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

PLantátus ítaque in vínea Dómini, exténdit pálmites bonórum óperum, ádeo ut, defúncto illíus loci Abbáte, Abbas ipse suffértus sit : índeque ad universále Vallis-umbrosánæ religiónis régimen fuit promótus. Quem póstea, mórtuo venerábili Petro Cardináli, ex Vallis-umbrósæ

órdine, quem sancta ecclésia, ob transítum per ignem, Igneum appellávit, beátus Urbánus secúndus, ob egrégias ánimi virtútes et exploratíssimam sanctitátem, invítum licet et eníxe reluctántem, ad cardinalátum assúmpsit; ejúsque ópera, contra Henrícum imperatórem schismáticum, ipse et Paschális succéssor sæpíssime usi sunt. Bernárdum máxime cóluit Mathíldis comitíssa, óptima fœmina, cujus cura públicum donatiónis instruméntum ipsa venerábilis comitíssa bonórum, tam quæ in Itália, quam quæ ultra Alpes, possidébat, sedi apostólicæ instaurávit. Ea hortánte, et Parménsi pópulo efflagitánte, Parmæ quo ad componéndos schismaticórum motus se contúlerat, Epíscopus consecrátur, perpéssis ante in ea civitáte quamplúrimis ærúmnis. Nam die Assumptiónis sanctæ Dei Genitrícis, dum cantáto evangélio conciónem ad pópulum habéret, et hærétici imperatóris mores aliquántulum perstrinxísset, commóta plebs schismática sanctum virum, missas celebrántem, rápuit ad cárcerem : quibus statim Bernárdus ignóvit, illísque véniam, et a Mathílde, quæ propter eórum scelus exércitum coégerat, et a Pontífice impetrávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe meà : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

PAcem Itáliæ, cujus legátus erat, restítuit, hóstibus ecclésiæ perdómitis. Dimicántes Parménsium ácies, armis et número hóstibus inferióres, fusis ad Deum précibus, ad victóriam præmunívit. Horríbilem Padi alluviónem cuncta in agro Parménsi devastántem, advéntu suo, solo crucis signo compréssit. Moribúndo mónacho vitæ tempus protráxit quoúsque, negótiis, quæ præ mánibus versabántur, expedítis, pontificálem illi benedictiónem elargirétur. Demum actívæ vitæ áctibus, non minus pro ecclésiæ Dei dignitáte tuénda, suíque gregis

salúte, et Vallis-umbrósæ religiónis exaltatióne, quam contemplatívæ, sacræ nimírum scriptúræ stúdio, et oratiónibus ad beátam Vírginem præsértim, quam sancti patris Joánnis Gualbérti exémplo patrónam adscíverat, conspícuus, in cœlum evolávit anno millésimo centésimo trigésimo tértio, prídie nonas Decémbris. Ejus corpus Parmæ in ecclésia cathedráli asservátur.

℟. Iste est.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Hom. 14. *in Evang.*

AUdístis, fratres caríssimi, ex lectióne evangélica eruditiónem vestram; audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui, non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit : Ego sum pastor bonus; atque ejúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adjúngit, dicens; Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor pro óvibus ánimam suam pósuit : ut in sacraménto nostro corpus suum et sánguinem vérteret; et oves, quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.

OSténsa nobis est ígitur, de contémptu mortis, via, quam sequámur; appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere, postrémum vero, si necésse sit, étiam vitam nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo, pervenítur ad postrémum majus. Sed, cum incomparabíliter longe sit mélior ánima, qua vívimus, quam terréna

substántia, quam extérius possidémus; qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

ET sunt nonnúlli, qui, dum plus terrénam substántiam, quam oves, díligunt; mérito nomen pastóris perdunt : de quibus prótinus súbditur : Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui, non pro amóre íntimo, oves domínicas, sed ad temporáles mercédes, pascit. Mercenárius quippe est, qui locum pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit; terrénis commódis ínhiat, honóre prælatiónis gaudet, temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur. Te Deum.

DIE 14. DECEMBRIS.
(*d. ass. ex 7. hujus*).

S. Ambrosii

Episc. Conf. et Eccl. Doct.
Duplex. (*m. t. v.*)
Ut in Breviario, die 7. Decembris.

DIE 17. DECEMBRIS.
(*d. ass. e 4.*)

S. Barbaræ

Virg. et Mart.

Cujus ossa Placentiæ in Ecclesia S. Xysti pie coluntur.

Semiduplex.

Oratio. Deus, qui inter cétera, *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BArbara virgo Nicomediénsis, a prima ætáte inténso ánimo mundi fábricam consíderans, et ómnium opíficem Deum intelléxit, et Christi fide divínitus concépta, totam se Dómino consecrávit. Cum vero ad eam Dióscorus pater gentílis, et christiáni nóminis inimicíssimus, in altíssimam turrim, in qua Bárbaram

collocárat, ne ab ullo conspicerétur, conjúgium suasúrus ivísset, et Bárbara constantíssime negásset, se in ullíus hóminis conjúgium assensúram; id tunc Dióscorus juveníli servándæ castitátis desidério tríbuit. Quare sperans fore, ut mentem mutáret, longínquam profectiónem parans, bálneum, Bárbara postulánte, in eódem turris loco ædificári mandávit : sed, cum is duas tantum in eo fíeri fenéstras imperásset, Bárbara in sanctæ Trinitátis honórem tres a fabris extórsit, deínde manu delineátum in mármore signum Crucis éxprimens, in bálneum descéndit, et aqua per ejus preces sanctificáta est : inde egrédiens, idolórum, quæ pater colébat, nefárium cultum detestáta, in eórum os cónspuit, dicens : Símiles vobis sunt, qui vos fingunt, et qui vos colunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

PAtre post réditum trium fenestrárum causam postulánte, Bárbara líbere sic fíeri opportuísse respóndit, quia tres sunt, qui illúminant omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, Pater, Fílius et Spíritus sanctus, multa dísserens de sanctæ Trinitátis, et crucis Christi mystério : ex quibus Dióscorus intélligens fíliam Christiánam esse, ideóque recusásse conjúgium, veheménter indignátus stricto gládio Bárbaram interemísset, nisi, divínam opem implorántem, discíssa rupes excepísset, atque ad álteram montis partem, qui fugam impediébat, transmisísset; sed pastóris tamen indítio paulo post apprehénsam, pugnis, cálcibus, verbéribus concísam, et capíllis raptátam, Marciáno præsidi trádidit, sacraménto prius adácto, ut exquisítis torquéri torméntis jubéret, nisi, repudiáta Christi fide, pátrium deórum cultum suscíperet. Itaque Marciánus, cum nihil blandítiis obtinéret, illaque idóla géntium esse dæmónia, seque soli

Christo sacrificáre velle profiterétur, jussit eam primo nudam suspéndi, nervis cædi, acútis téstulis perfricári, cilicínis saccis plagas ejus tergi, et lígneis cippis constríctam in cárcerem inclúdi, ubi média nocte Christus, magno splendóre circumfúsus, appáruit, vírginem consolátus, plagas ipsíus omnes curávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

POstrídie, cum, deórum virtúti curatiónem tribuéndam esse præses suadére Bárbaræ conarétur; ipsa vero, ejus derídens insániam, negáret idóla cæca, muta, sensus ac virtútis omnis expértia, aut sanáre, aut, quæ ipsa non habent, indigéntibus dare posse, seque a Christo Fílio Dei vivi sanátam affirmáret, commótus veheméntius, jussit vírginem, divínam opem fixis in cœlum óculis postulántem, férreis úngulis dilaniári, ardéntes ejus latéribus faces admovéri, et caput málleis ita contúndi, ut e náribus magna cópia sánguinis efflúeret : deínde vero, cum ejus constántia permóta Juliána pia fémina martyrii sócia esse voluísset, et dum útraque præcísis mamíllis nuda per civitátem raptarétur, appárens Angelus restitútis mamíllis, plagísque sanátis, stola cándida contexísset; Marciánus furóre pércitus utríque abscíndi caput imperávit. Quare Dióscorus, omnem pénitus pietátem atque humanitátem oblítus, eódem in loco Bárbaræ caput abscídit, quo prídie fugiéntem comprehénderat : sed ibídem ipse paulo post cœlésti fúlmine consúmptus intériit. Passa est beáta Bárbara sub Maximíno prídie nonas Decémbris : ejúsque corpus primo Nicomedíæ humátum, póstea álio translátum est : cujus pars non exígua Placéntiæ in ecclésia sancti Xysti a sæculis asservátur, quæ anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo a Joánne Baptísta epíscopo rite recogníta, in fronte ejus

aræ cum beáta Martína compósita est.
℟. Afferéntur.
In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres, *de Comm. j. loco.*

DIE 18. DECEMBRIS.
Exspectationis Partus B. M. V.
Duplex majus.
Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 23. DECEMBRIS.
S. Victoriæ
Virginis et Martyris cujus reliquiæ Placentiæ in ecclesia S. Mariæ de Campanea pie asservantur.
Semiduplex.
Oratio. Deus, qui inter cétera, *de Communi.*
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In feria quatuor temporum. De Virgínibus, *de Communi.*

In II. Nocturno.
Lectio iv.

VIctória nóbilis virgo romána, in persecutióne Décii cæsaris, cum ab ineúnte ætáte christiánam religiónem profiterétur, Eugénio pagáno desponsáta fuit. Sed cum, neque núbere, neque diis sacrificáre vellet, facultátes suas Christi paupéribus erogávit; mox Thoram ad lacum Velínum relegáta, faméque et áliis ærúmnis afflícta, post multa facta mirácula, quibus plúrimas Deo vírgines aggregávit, Juliáni Capitolíni præsidis jussu, gládio in corde transfíxa est, rogátu sui sponsi, décimo kaléndas Januárii.
℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

EJus sacri córporis insígnes relíquiæ, póstea Placéntiam translátæ sunt, ibíque primum in ecclésia ejus nómini dicáta, inde vero, ea sæculo décimo sexto destrúcta, in templo sanctæ Maríæ de Campánea nuncupáto, prope mœnia, religióse cónditæ asservántur. Quæ anno millésimo octingentésimo octuagésimo tértio a Joánne Baptísta Epíscopo recógnitæ fuére, atque

in suo lóculo dénuo compósitæ.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris de disciplína et hábitu Vírginum. *Cap.* 2.

NUnc nobis ad vírgines sermo est, quarum quo sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fecúnditas : quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tanto plus gáudium matris augéscit. Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótius quam potestáte : non quod extrémi, et mínimi, et humilitátis nostræ ádmodum cónscii áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quod ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos fratres, *de Communi j. loco.*

DIE 15. JANUARII.

S. Mauri

Abbatis. Duplex.

Oratio. Intercéssio, *de Communi Abbatum.*

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAurus, nóbilis románus, puer a patre Eutíchio, Deo, sub sancti Benedícti disciplína, oblátus, brevi tantum divína grátia profécit, ut ipsi magístro admiratióni esset : qui illum sæpe véluti reguláris observántiæ et virtútum ómnium spécimen, céteris discípulis ad imitándum proponébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum de-

dúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CUjus, adhuc adolescéntis, illud admirábilis obediéntiæ exémplum a sancto Gregório Papa commemorátur. Nam, cum Plácidus mónachus, in lacum prolápsus, aquárum ímpetu raperétur, sancti patris jussu accúrrens Maurus, et super aquas incédens, sócium capíllis apprehénsum, ad terram attráxit.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

COntinéntiæ tantæ fuit, ut per Quadragésimam bis tantum in hebdómada, et quidem parcíssime, cibum súmeret. Somnum stando, vel, cum nímia eum lassitúdo compulísset, sedéndo super aggéstum calcis et sábuli, strato cilício, capiébat. Missus in Gálliam ab eódem sancto Benedícto, célebri monastério exstrúcto, cui annos quadragínta præfuit, monásticam disciplínam mirífice propagávit. Dénique sanctitáte et miráculis clarus, septuagenário major, migrávit in cœlum, anno salútis quingentésimo sexagésimo quinto.

℞. Iste homo.

In iij. Noct. Homil. Grandis fidúcia, *de Communi Abbatum.*

DIE 17. JANUARII.

S. Sabini

Placen. Episc. et Conf.

cujus corpus Placentiæ in propria basilica honorifice conditur. Ibi et in Cathedrali fit Dupl. j. class.

Duplex ij. class. cum. Oct.

AD VESPERAS.

Añæ. 1. Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum.

Psalm. de Dominica et loco ultimi : Laudáte Dóminum.

2. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne, et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

3. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum,

et quasi mare adimpléti sunt supra modum.

4. Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis suæ, et tulit abominatiónes impietátis.

5. Et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Capitulum. *Hebr.* 51.

OMnis póntifex ex homínibus, assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis.

Hymnus.

SEdis o nostræ decus atque lumen,
Póntifex, salve! generósa Christo
Roma, quem mater génuit, Sabíne,
Accipe laudes.

Missus ad magnas oriéntis urbes,
Grátia dicéndi, animísque prudens,
Schismáte exstíncto, cito restitúta
Pace, triúmphas.

Vix placentína cáthedra recéptus
Edoces clerum Dómino vicíssim,
Voce concórdi, números prophétæ
Psállere regis.

Númine afflátus, pietáte ductus,
Mártyris quæris cíneres patróni,
Atque Victóris túmulas repértos
Rite sepúlcro.

Mira tu cœlo rénovas favénte,
Imperas lætho, fébribus, procéllis,
Ac Padus ripa túmidus mináces
Cóntinet undas.

Cum potis tanti fúeris viátor,
Nunc polo insértus potióra præstas,
Ac mala avértens, dabis usque ovíli
Múnera pacis.

Laus sit excélsæ Triádi perénnis,
Sæpe quæ magni précibus vocáta
Præsulis, nobis tríbuat serénas
Scándere sedes.

℟. Amen.

℣. Elégit illum Dóminus sacerdótem sibi.
℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Magnificat, Aña. Factus forma gregis ex ánimo, semetípsum exhíbuit operárium inconfusíbilem, et recte tractántem verbum Dei.

Oratio.

GAudeat plebs tua, omnípotens Deus, beáti Sabíni confessóris tui atque pontíficis festa concélebrans; et sicut illum patrem nobis ac fídei doctórem concédere voluísti, ita, ejus précibus et patrocínio, fides et lex tua, apud nos, júgiter vígeat et persevéret. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum pastórum príncipem, qui beátum hódie glorificávit Sabínum, * Veníte adorémus.

Hymnus ut supra in Vesperis.

In I. Nocturno.

Aña. Dabo vobis pastórem juxta cor meum, et pascet vos sciéntia et doctrína.

Psalmi de Comm. Conf. Pont.

Aña. Speculatórem dedi eum dómui Israel, et áudiet ex ore meo verbum, et annuntiábit eis ex me.

Aña. Probatórem dedi eum in pópulo meo robústum, et sciet, et probábit viam eórum.

℣. Elégit illum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 5.

OMnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis, qui ignórant et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte : et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

℟. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet; * Et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. ℣. Effúndet, in fundaménto altáris, odórem divínum excélso príncipi. — Et ambulábit.

Lectio ij. *Cap.* 7.

HIC enim Melchísedech, rex Salem, sacérdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ, regrésso a cæde regum, et benedíxit ei, cui et décimas ómnium divísit Abraham; primum quidem qui interpretátur rex justítiæ : deínde autem et rex Salem, quod est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealógia, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, assimilátus autem Fílio Dei, manet sacérdos in perpétuum. Intuémini autem quantus sit hic, cui et décimas dedit de præcípuis Abraham patriárcha. Et quidem de fíliis Levi sacerdótium accipiéntes, mandátum habent décimas súmere a pópulo secúndum legem, idest, a frátribus suis: quamquam et ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non annumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habébat repromissiónes, benedíxit.

℟. Elégit eum Dóminus, ex ómnibus, sibi in sacerdótem; ut ascénderet altáre suum, et adoléret illi incénsum, et portáret ephod coram eo : * Erat enim sacérdos Dei altíssimi. ℣. Unxit eum Dóminus óleo sancto suo, et sacrifícia ejus consúmpta sunt igne quotídie. — Erat enim.

Lectio iij. *Cap.* 8.

TAlem ergo habémus pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum miníster et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo. Omnis enim póntifex ad offeréndum múnera et hóstias constitúitur; unde necésse est et hunc habére áliquid quod ófferat. Si ergo esset super terram, nec esset sacérdos : cum essent qui offérrent secúndum legem múnera, qui exempléri et umbræ desérviunt cœléstium. Sicut respónsum est Móysi, cum consummáret tabernáculum : vide, inquit, ómnia fácito secúndum exémplar, quod tibi osténsum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quanto et melióris testaménti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est.

℟. Ecce dedi tibi linguam erudítam, et pote-

státem docére Jacob testimónia; * Et in lege mea lucem dare Israël. ℣. Constítuite, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et ædífices, et plantes. — Et in lege. Glória. Et in.

In II. Nocturno.

Aña. Ingréssus sine mácula ecclésiam Dei, operátus est justítiam, et sapiéntia ejus facta est sánitas multórum.

Aña. Vir consílii non despéxit intelligéntiam, et vígilans invénit benedictiónem.

Aña. Sacérdos doctus atque perféctus, cor suum dedit in consummatiónem óperum.

Lectio iv.

SAbínus, qui et Savínus, románus, ineúnte sæculo quarto, adhuc diáconus ecclésiæ mediolanénsis, strénui fídei defensóris, advérsus ariánam hæresim, nomen obtinúerat. Is, in concílio románo, a sancto Dámaso Papa coácto, dignus a pátribus habítus est, qui synódicam epístolam ad orientáles ecclésias afférret, ut pacem, Antiochíæ præsértim, constitúeret, et schísmati Melétii et Paulíni finem impóneret. In ecclesiásticis monuméntis ea extat epístola, hac in fine Sabíni subscriptióne signáta : Ego Sabínus Diáconus mediolanénsis, legátus de authéntico dedi. De qua legatióne, ac simul de præcláris hujus Diáconi méritis in fide orthodóxa propugnánda, valde honoríficum testimónium habétur in epístolis sancti Basílii magni. In Itáliam revérsus, atque a Dámaso peramánter excéptus, Mediolánum se cóntulit, quæ ecclésia tunc témporis a divo Ambrósio regebátur; at cum in propínqua Placéntiæ civitáte sanctus Victor Epíscopus obiísset in pace, Sabínus, qui de Ecclésia Dei óptime promerúerat, ejus succéssor in episcopátu consecrátus est; in quo sacro múnere ita se gessit, ut verbo et exémplo ecclésiæ sibi commíssæ assídue prodésset. Eusébii vercellénsis exémpla secútus, in templis psalmos et hymnos decantándos curávit a cléricis, apud suam ecclésiam a se congregátis, qui evangélicæ perfe-

ctióni assequéndæ sédulo incúmberent.

℟. Vigilávit die noctúque super gregem suum, et in ómnibus laborávit : * Ut ministérium suum diligénter impléret. ℣. Potens in scriptúris, edóctus erat viam Dómini, et fervens spíritu loquebátur ea, quæ sunt Jesu. — Ut ministérium.

Lectio v.

CORpus sancti Antoníni Mártyris Placéntiæ patróni, quod diu obscúro in loco jacúerat, Dei mónitu invénit, inventúmque in ædem Victoriánam tránstulit, et in sepúlcro sancti Epíscopi Victóris collocávit. Plúribus concíliis superióris Itáliæ intérfuit, et præsértim illo, quod Aquiléjæ sanctus Valeriánus coégerat, una cum sancto Ambrósio et áliis vigínti octo Epíscopis, in quo verba prótulit contra Ariános, et sermónem hábuit grávibus senténtiis refértum. Tanta vero fuit beáti Sabíni in sacris lítteris perítia et erudítio, ut idem Ambrósius ei sua scripta créderet corrigénda. Hinc sacri historiógraphi Sabínum, sancto patri Ambrósio, non ímparem in sanctitáte et doctrína dícere non dubitárunt, et Placentína ecclésia sanctum Sabínum uti próprium Patrem et Doctórem júgiter veneráta est. Insígnem étiam miraculórum eum exstitísse operatórem pérhibet beátus Gregórius Papa, qui ea descríbit. Hæc inter, illud numerátur, quod, die quadam, cum rescivísset Sabínus Padum, álveum egréssum, loca et terras ecclésiæ occupásse, præcéptum ad flumen misit, ut aquam e terris compésceret; quod quidem íllico factum est.

℟. Bonum depósitum custodívit sanctus antístes, et præbuit seípsum in ómnibus exémplum bonórum óperum : * Ideo non erúbuit testimónium Dómini. ℣. Sectátus est justítiam, fidem caritátem et pacem cum iis, qui ínvocant Dóminum de corde puro. — Ideo non erúbuit.

Lectio vj.

ROmam pro ecclésiæ utilitáte petens, sacras inde relíquias plúrimas Placéntiam tránstulit, ubi ad honórem duódecim Apostolórum ecclésiam ædificávit, in qua

ipsas relíquias cóndidit. Tandem, postéaquam ecclésiam suam annis quadragínta rexísset, quiévit in pace tértio Idus Decémbris, beáto Innocéntio Primo Pontífice. Corpus ejus in ipsa æde Apostolórum honorífice sepúltum est a sancto Mauro ejus successóre. Cum autem sæculo nono ea ecclésia a bárbaris dirúta fuísset, Everárdus antístes, nova exstrúcta basílica, quam sancto Sabíno dicávit, illic corpus ejus cum áliis relíquiis cóndidit. Anno vero millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo Joánnes Baptísta Epíscopus idem corpus rite recognóvit, atque in nova arca decéntius sub ara máxima compósuit. In qua recognitióne illud notátu dignum et perjucúndum evénit, quod in túmulo vetustíssimo, qui Sabíni ossa continébat, vásculum cum sánguine sancti Antoníni Mártyris invéntum est, quod ex antíqua traditióne, ipse sanctus Epíscopus in inventióne illíus Mártyris in æde Apostolórum vivens pie custodíverat, et, ut apud se asservarétur, prout fertur, moritúrus mandáverat. Festum vero ipsíus, solémnius celebrári Leo Papa decimustértius, Placentinórum votis ánnuens, indúlsit.

℞. Quod infírmum fuit, consolidávit, quod ægrótum, sanávit, quod contráctum, alligávit, quod abjéctum, redúxit; quæsívit autem, quod períerat. * Ideo memória ejus in benedictióne erit. ℣. Sápiens in prophétis vacávit, et occúlta proverbiórum exquisívit. — Ideo memória. Glória Patri. Ideo memória.

In III. Nocturno.

Aña. Orávit ad Dóminum sanctus Antístes, et cœlum dedit plúviam tempóribus suis.

Aña. Et de rore cœli et de pinguédine terræ facta est abundántia.

Aña. Verbo Dómini addúxit spíritum super terram, et prohíbitæ sunt aquæ de cœlo.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo

péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona súa. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Hom. 9. in Evang.

LEctio sancti Evangélii, fratres caríssimi, sollícite consideráre nos ádmonet, ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, rationes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior, atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo, qui péregre proficíscitur, servos suos vocat, eísque ad negótium talénta partítur. Post multum vero témporis, positúrus ratiónem, revértitur. Bene operántes, pro apportáto lucro, remúnerat; servum vero, a bono ópere torpéntem, damnat.

℟. Sápiens apéruit os suum in oratióne. * Et Dóminus spíritu intelligéntiæ replévit illum. ℣. Vir péritus erudívit multos et avértit illos ab iniquitáte.—Et Dóminus.

Lectio viij.

QUis ítaque iste homo est, qui péregre profícíscitur, nisi Redémptor noster, qui in ea carne, quam assúmpserat, ábiit in cœlum? Carnis enim locus próprius terra est, quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cœlo collocátur. Sed homo iste péregre proficíscens servis suis bona sua trádidit, quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus : vidélicet, visus, audítus, gustus, odorátus et tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, idest exteriórum sciéntia exprímitur. Duóbus vero, intelléctus et operátio designátur. Unius autem talénti nómine, intelléctus tantúmmodo designátur.

℟. Cáritas Dei diffúsa erat in corde ipsíus per Spíritum sanctum, qui habitábat in illo : * Proptérea effúdit esuriénti ánimam suam, et ánimam

afflíctam replévit. ℣. Et eleemosynas ipsíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. — Proptérea. Glória Patri. Proptérea.

Lectio ix.

SED is, qui quinque talénta accéperat, ália quinque lucrátus est: quia sunt nonnúlli, qui etsi intérna ac mystica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnæ pátriæ docent recta quos possunt, de ipsis exterióribus, quæ accepérunt, duplum taléntum portant : dumque se a carnis petulántia, et a terrenárum rerum ámbitu, atque a visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui, quasi duóbus taléntis ditáti, intelléctum atque operatiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur. Cumque et intelligéndo et operándo áliis prædicant, quasi duplicátum de negótio lucrum repórtant.

Te Deum.

AD LAUDES
et per Horas, Añæ.

1. Amplificátus est * Sabínus in mirabílibus suis, et in morte mirabília operátus est.

2. Potens in verbis * et in opéribus suis, quasi sol effúlsit in templo Dei.

3. Sústulit mórtuos * ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei.

4. Quæsívit bona gentis suæ, et plácuit ómnibus potéstas ejus, et nominátum est nomen glóriæ ejus usque ad extrémum terræ.

5. Prótegam urbem hanc, * et salvábo eam propter me, et propter Sabínum servum meum, dicit Dóminus.

Capitulum. *Hebr.* 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis.

Hymnus.

MOrum magíster ínteger,
Acérque vindex crímínum,
Cujus beátis óssibus
Devóta plaudit cívitas.
Huc cœli ab altis ædibus
Convérte dexter lúmina;
Novis triúmphos ínclyta
Fides vetústos áugeat.

Heu! nos rapáces óbsident
Hostes fréquénter fráudibus,
Lucémque tentant ímprobi,
Qua nos replésti, exstínguere.
Falsi prophétæ, in grámine
Laténtium instar ánguium,
Sub veri et æqui imágine,
Incauta fallunt péctora.
Rebus levámen ásperis
Nos advocátus ádjuva,
Te simus omnes áuspice,
Cor unum et unus spíritus.
O una semper Trínitas,
O trina semper Unitas,
Præsta, Sabíno súpplice,
Ætérna nobis gáudia.
Amen.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes. ℟. Et laudem ejus annuntiábit ecclésia.

Ad Bened. Aña. Ossa illíus visitáta sunt et post mortem prophetavérunt.

Oratio.

Gaudeat plebs tua, omnípotens Deus, beáti Sabíni Confessóris tui atque Pontíficis festa concélebrans; et sicut illum patrem nobis ac fídei doctórem concédere voluísti, ita, ejus précibus et patrocínio, fides et lex tua, apud nos, júgiter vígeat et persevéret. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Omnis póntifex: *ut supra.*

℟. *br.* Elégit illum Dóminus * Sacerdótem sibi. Elégit illum. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem. Glória Patri. Elégit illum.

℣. Sápiens in pópulo hæreditávit honórem. ℟. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Hebr.* 5.

Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam Aaron.

℟. *br.* Sápiens in pópulo, * Hæreditávit honórem. Sápiens. ℣. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum. Hæreditávit. Glória Patri. Sápiens.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM.

Capitulum. *Hebr.* 8.

Talem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera magnitúdinis

in cœlis, sanctórum minister et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo.

℟. *br*. Tu es sacérdos * In ætérnum. Tu es sacérdos. ℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es sacérdos.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes. ℟. Et laudem ejus annuntiábit ecclésia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter ult. Psalm. Meménto.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes. ℟. Et laudem ejus annuntiábit ecclésia.

Ad Magnif. Aña. Hic est Sabínus Epíscopus, fratrum amátor et pópuli; hic est qui multum orat pro pópulo, et pro univérsa civitáte nostra.

DIE 19. JANUARII.

S. Bassiani

Episc. et Conf.

Laudensis Patroni.

Duplex.

Oratio. Da quæsumus. *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BAssiánus, Sérgio patre, Syracúsis nóbili génere natus, a primæva ætáte futúræ sanctitátis spécimen dedit. Nam infans dígito cruce imprimébat púlveri; junctis item stípulis, crucis efformábat imáginem, et eo salutári signo sibi frontem muniébat sæpius, neglécta prorsus ímprobæ nutrícis reprehensióne. Romam missus, studiórum causa, duodécimum annum agens, a Gordiáno, magnæ sanctitátis viro, quem Dóminus de Bassiáno docúerat, christiáno ritu baptizátur. Quod cum ferret iníquius pater, fugit ille Ravénnam, mónitu sancti Joánnis Evangelístæ, in cujus æde oráverat. Quo in itínere confugiéntem ad se cervam cum duóbus hínnulis a venatóribus deféndit, divexánte diábolo unum ex iis, quem et Bassiánus liberávit. Oratióni vacábat assíduus, tenuíssimo victu conténtus, cujus duas partes, ex tribus, in páuperes erogábat. Caritáte, humilitáte præclárus, non modo apud finí-

timos, verum étiam apud éxteros pópulos, sibi grátiam conciliábat.

℞. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim.

Lectio v.

VAcábat ecclésiæ Laudénsis episcopális sedes, et précibus a pópulo per tríduum effúsis, Cleménti presbytero revelátur, Bassiánum, Ravénnæ tunc degéntem, a Deo Epíscopum designátum esse. Mittúntur ad eum legáti, quibúscum véniens in subúrbiis Laudæ, quemdam paralyticum et mutum sanat, leprósos innúmeros mundat, et animárum salúti quam máxime invígilat. Erat is annus salútis nostræ tercentésimus septuagésimus octávus, cujus primo Januárii die ordinátus Epíscopus fuit. In episcopátu humánior nemo, nemo temperántior; vino fere semper abstínuit, in egéntes et ínopes liberalíssimus. Basílicam in honórem duódecim Apostolórum ædificávit, quam una cum Ambrósio Mediolanénsi et Felíce Coménsi, Deo dicávit. Cum eódem Ambrósio advérsus hæréticos strénue decertávit; et Aquilejénsi concílio intérfuit, miraculísque cláruit. Ravénnæ cum esset, Bithínium júdicem læsæ majestátis crímine reum, cápite damnátum, dum ferirétur, prosiliénte secúri tértio de mánibus carníficis, ad invocatiónem sui nóminis absólvit. Exstínctum morsu serpéntis adolescéntulum vitæ restítuit; puéllam a dæmóne obséssam liberávit.

℞. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

AMbrósio moriénti áffuit, ejúsque diem mortis doméstícis prædicens, pio fúneri óperam dedit. Immo vero post áliquot dies, sanctíssimi doctóris sepúlchrum pie veneratúrus, Mediolánum rédiit. Præsagívit et diem suum, quo in-

stánte, suos consolátus de certa sua réquie, annum agens vitæ nonagésimum, curæ vero pastorális trigésimum quintum et dies vigínti, magna cum laude laudénsi ecclésia administráta, migrávit ad Dóminum anno, post Christum natum, quadringentésimo decimotértio, in decimoquárto Kaléndas Februárii, Innocéntio Primo Pontífice, et Honório imperatóre. Sepúltus est in basílica Apostolórum, ab ejus póstea nómine nuncupáta. Sed lauda véteri deínde díruta, ejus corpus in urbem novam translátum, summis prælátis et Fredérico imperatóre piam sárcinam vectántibus, in æde máxima collocátum est, anno salútis millésimo centésimo sexagésimo tértio, prídie nonas Novémbris, ubi máxima veneratióne cólitur. Ejus altáre visitántibus, in die Festo ejúsdem, Joánnes románus Póntifex, una cum imperatóre Sigismúndo pie cum visísset, indulgéntiam peccatórum ómnium plenáriam perpétuo est elargítus.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii, *de Comm. j. loco.*

DIE 20. JANUARII.

SS. Fabiani *et* Sebastiani *Martyr.*

cujus S. Fabiani ossa nonnulla Placentiæ in templo S. Xysti habentur.

Duplex.

Oratio.

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beatórum mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Fabiánus Románus a Maximíno usque ad Décium regens Ecclésiam, septem diáconis regiónes divísit, qui páuperum curam habérent. Tótidem subdiáconos creávit, qui res gestas mártyrum, a septem notáriis scriptas, collígerent. Idem státuit, ut quotánnis féria quinta

in cœna Dómini, vétere combústo, chrisma renovarétur. Eo Pontífice, in Africa excitáta est hæresis a Nováto, contendénte apóstatas pœniténtes ab Ecclésia recipiéndos non esse. Dénique decimotértio kaléndas Februárii, in persecutióne Décii, martyrio coronátus, in cœmetério Callísti via Appia sepelítur, cum sedísset annos quíndecim, dies quátuor. Hic fecit ordinatiónes quinque, mense Decémbri, quibus creávit presbyteros vigínti duos, diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca úndecim. Ejus autem córporis insígnes relíquiæ Placéntiæ a sæculis jacent in æde sancti Xysti, quas, anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo, Joánnes Baptísta Epíscopus recognóvit solémniter, atque, sub ejus ara in inferióri ecclésia, decéntius compósuit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis; * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

SEbastiánus ex patre Narbonénsi, matre Mediolanénsi natus, ob géneris nobilitátem et virtútem Diocletiáno carus fuit. Dux primæ cohórtis, christiános, quorum fidem clam colébat, ópera et facultátibus adjuvábat, et qui ex eis tormentórum vim reformidáre videbántur, cohortatióne sic confirmábat, ut pro Jesu Christo multi se ultro tortóribus offérrent. In illis fuére Marcus et Marcelliánus fratres, qui Romæ in custódia erant apud Nicóstratum, cujus uxor Zoe vocem, quam amíserat, Sebastiáni oratióne recuperávit. Quibus Diocletiáno delátis, Sebastiánum accérsit, et veheméntius objurgátum, ómnibus artifíciis a Christi fide conátur avértere. Sed cum nihil, nec pollicéndo, nec terréndo, profíceret, ad palum alligátum sagíttis confígi jubet.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vj.

QUem, ómnium opinióne mórtuum, noctu sancta múlier Irenes sepeliéndi grátia jussit auférri: sed vivum repértum, domi suæ curávit. Itaque paulo post, confirmáta valetúdine, Diocletiáno óbviam factus, ejus impietátem libérius accusávit. Cujus aspéctu cum ille primum obstupuísset, quod mórtuum créderet, rei novitáte et acri Sebastiáni reprehensióne exscandéscens, eum támdiu virgis cædi imperávit, donec ánimam Deo rédderet. Ejus corpus in cloácam dejéctum, Lucína, a Sebastiáno in somnis admónita ubi esset, et quo loco humári vellet, ad catacúmbas sepelívit, ubi sancti Sebastiáni nómine célebris ecclésia est ædificáta.

℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Advérte ómnia. *de Comm. ij. loco.*

DIE 23 JANUARII.

Desponsat. B.M.V.

cum S. Joseph.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 24. JANUARII.

Octava S. Sabini

Episcopi, Conf.

Duplex.

Omnia ut in die, præter sequentia.

In j Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Epístola sancti Ambrósii Epíscopi. Ad Sabinum ipsum.

Epist. lib. viij. Ep. 63.

Lectio iv.

REmisísti mihi libéllos, quos tuo judício probatióres habébo. Ideo misi álios non judícii favóre delectátus, sed promíssa a te, et petíta a me veritáte illéctus : malo enim tuo corrigátur judício, si quid movet, priúsquam foras pródeat, unde jam revocándi nulla facúltas sit, quam laudári a te, quod ab áliis reprehendátur. Itaque árbitrum te eórum quæ póstulas, rogávi; neque enim legi a te mea, quæ nonnúmquam tríbuo in vulgus,

sed in tuæ cálculum veníre senténtiæ desiderávi. Non erit longi subséllii ista judicátio et mora, ut dictum est antíquitus. Fácile est tibi de nostris judicáre. Ego certe huc invitátu tuo prodeúndum putávi : tuum est líquido decérnere, et scrutánter discútere quæ córrigas; ne tibi vítio vertant ea, quæ nobis potuérunt obrépere. Néscio quo enim modo præter imprudéntiæ calíginem, quæ me circumfúndit, unumquémque fallunt sua scripta, et aurem prætéreunt : atque ut fílii étiam defórmes deléctant, sic étiam scriptórem indecóres sermónes sui palpant. Incáutius plerúmque áliquid prómitur, áliquid accípitur malevoléntius, áliquid exit ambíguum, tum quia aliéno examinánda judício, non pro nostra debémus magis, quam pro aliéna opinióne trutináre, et discútere omnes scrúpulos malevoléntiæ.

℟. Vigilávit die noctúque super gregem suum, et in ómnibus laborávit : * Ut ministérium suum diligénter impléret. ℣. Potens in scriptúris, edóctus erat viam Dómini, et fervens spíritu loquebátur ea, quæ sunt Jesu. — Ut.

Lectio v.

Adsume ígitur benevolénti ánimo aurem versútiæ, et pertrácta ómnia, sermónes véllica: si in iis non forénses blandítiæ, et suasória verba, sed fídei sincéritas est, et confessiónis sobríetas. Notam appóne ad verbum dúbii pónderis, et fallácis statéræ; ne quid pro se esse adversárius interpretétur. Esto ut revincátur, si cóngredi cœperit : male se habet liber, qui sine adsertóre non defénditur. Ipse ígitur pro se loquátur, qui procédit sine interpréte : noster hic tamen non egrediétur a nobis, nisi a te accéperit auctoritátem. Itaque cum eum fide tua prodíre jússeris, committétur sibi. Tamen quóniam non in sermóne est regnum Dei, sed in virtúte; verbum si offénderit, virtútem professiónis interrogáto. Proféssio autem fídei senténtia est, quam advérsum sabelliános et ariános ita a majóribus tráditam teneámus, ut Patrem Deum, et Fílium ejus unigéni-

tum, et Spíritum sanctum venerémur : hanc Trinitátem unius esse substántiæ, majestátis, divinitátis : in hoc nómine Patris et Fílii et Spíritus sancti baptizáre nos, quemádmodum scriptum est : Fílium ítaque coætérnum Patri suscepísse carnem, natum de Spíritu sancto et Vírgine María, æquálem Patri secúndum divinitátem in Dei forma, id est, in omni plenitúdine divinitátis, quæ in illo hábitat, ut dixit Apóstolus, corporáliter; qui in persóna hóminis formam servi accépit, et se humiliávit usque ad mortem.

℟. Bonum depósitum custodívit sanctus Antístes, et præbuit seípsum in ómnibus exémplum bonórum óperum: * Ideo non erúbuit testimónium Dómini. ℣. Sectátus est justítiam, fidem, caritátem et pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. — Ideo non.

Lectio vj.

ERgo et advérsus Photínum hæc nobis senténtia est : advérsus Apollinárem autem legítima circumspéctio; ut confiteámur sicut in Dei forma nihil ei défuit divínæ natúræ et plenitúdinis, sic in illa forma hóminis nihil ei defuísse, quo imperféctus homo judicarétur; qui ídeo venit, ut totum hóminem salvum fáceret. Neque enim decébat, ut qui perféctum opus in áliis consummáverat, hoc imperféctum in se esse paterétur : si enim áliquid ei défuit, non totum redémit; si non totum redémit, feféllit ígitur, qui dixit ídeo se venísse, ut totum hóminem salvum fáceret. Sed quia impossíbile est mentíri Deo, non feféllit : ergo quia ita venit, ut totum redímeret, et salvum fáceret, totum útique suscépit quod erat humánæ perfectiónis. Nostra senténtia hujúsmodi est, ut meminísti. Si verba alícubi movent, non præjúdicant fídei; étenim sermónem dúbium mens non dúbia obúmbrat, et defendit a lapsu. Hæc tecum prolúsimus, quæ in libros nostrárum Epistolárum réferam, si placet, atque in númerum repónam; ut tuo commendéntur nómine, et tuis ad nos, et nostris ad vos lítteris augeátur mútuus amor per

Dóminum : ut ita legas quod júdices; et quod móverit, scribas ad me : Amor enim verus constántia probátur. Placet jam quod sénibus usu facílius est, quotidiáno et familiári sermóne epístolas téxere, et si quid de Scriptúris divínis óbvium incíderit, adtéxere. Vale, frater, et dílige amántem tui, quia plúrimum te díligo.

℟. Quod infírmum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. de voc. gent. 2. post medium.

DAtur unicuíque hic sine mérito unde tendat ad méritum; et datur ante ullum labórem, unde quisque mercédem accípiat secúndum suum labórem. Quod ita esse, Evangélicæ veritátis testimónio agnóscitur, ubi per comparatiónem dícitur quod homo, péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis substántiam suam; et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, idest secúndum própriam et naturálem possibilitátem, non autem secúndum próprium méritum, quia áliud est posse operári, áliud operári : et áliud est posse habére caritátem, áliud habére caritátem.

℟. Sápiens apéruit os suum in oratióne * Et Dóminus spíritu intelligéntiæ replévit illum. ℣. Vir péritus erudívit multos et avértit illos ab iniquitáte. — Et.

Lectio viij.

NON ítaque omnis reparábilis reparátur, nec omnis sanábilis sanátus est : quia reparábilem et sanábilem esse de natúra est; reparátum et sanátum esse de grátia est. Dénique isti, quibus secúndum módulum capacitátis suæ, quem in se distribútor substántiæ prævidébat, dispar créditus est númerus talentórum; non mériti remu-

nerationem, sed óperis accepére matériam.

℟. Cáritas Dei diffúsa est in corde ipsíus per Spíritum sanctum, qui habitávit in illo : * Proptérea effúdit esuriénti ánimam suam, et ánimam afflíctam replévit. ℣. Et eleemósynas ipsíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. — Proptérea. Glória Patri. Proptérea.

Lectio ix.

IN qua duórum servórum vigilantíssima indústria non solum gloriósis láudibus honestátur, sed étiam in ætérna Dómini sui glória intráre præcípitur. Tértii vero pigrum ótium et desidiósa nequítia sic punítur, ut et vituperatiónis dedecorétur oppróbrio, et portióne, quam accéperat, exuátur. Dignus enim erat pérdere inútilem fidem, qui non exercúerat caritátem.

Te Deum laudámus.

DIE 30. JANUARII.

S. Hippolyti

Martyris, cujus corpus pie veneratur in plebana et parochiali ecclesia Viculi Marchionum Placentinæ Diœcesis. Duplex.

Oratio. Præsta... ut qui, *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HIppólytus martyr, qui Hippólytum antiochénum presbyterum et mártyrem multis annis antecéssit, ab ipsa statim adolescéntia idolórum cultum detestátus, sanctissimæque Trinitátis fidem ampléxus, unum Deum rerum ómnium opíficem adorándum públice prædicábat. Quod ubi cognóvit pater ejus Hyllas, adolescéntem ab orthodóxæ fídei veritáte ad fictitiórum deórum Jovis, Minervæque vanitátem tradúcere frustra conátus est. Hic enim, in suo propósito constantíssime persístens, rem longe se áliter habére, patri, in erróre versánti, inflammáta oratióne, persuadére contendébat, Deúmque unum et trinum coléndum esse firmíssimis ratiónibus comprobábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit il-

lum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

CUM vero multa in urbe Valeriána patrásset mirácula, Antoníni quoque imperatóris fíliam, a Cacodæmone vexátam, adhuc adoléscens Christi virtúte liberávit. Id cum ímpius atque ingrátus imperátor mágicis ártibus ascríberet, Hippólytus christiána libertáte eídem acérrime réstitit, sollicitatúsque ab eo, ut falsis diis immoláret, nullo pœnárum, mortísve metu ad id addúci pótuit. Sed cum Deum pro divíni sui nóminis manifestatióne ardéntius exoráret, ejus oratióne idóla ómnia corruérunt, et multi ad Christi fidem convérsi sunt. Quibus de causis in Apúliam jussu imperatóris abdúctus, et Miliáni cápite mulctátus, ad cœléstem pátriam evolávit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

EJus corpus in Ecclésia sancti Joánnis Baptístæ in pago Vículi Marchiónum nuncupáto, placentínæ diœcésis, áliquot jam sæcula conquiéscit, ubi frequénti pópulo, tértio Kaléndas Februárii per quam religióse cólitur, ejúsque novíssimam depositiónem, in sacéllo ejus nómini dicáto, anno salútis millésimo quingentésimo octuagésimo primo factam, Gregórius eo nómine décimus tértius summus Póntifex, plena peccatórum remissióne concéssa, cohonestávit. Anno vero millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo Joánnes Baptísta Placéntiæ Epíscopus, corpus beáti Hippólyti rite recognóvit, a sepúlchri madóre vindicávit, magnóque pópuli concúrsu et gáudio exaltávit, atque nobilióri arca, sub altári ei dicáto, recondéndum curávit. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus, *de Communi j. loco.*

DOM. III. POST EPIPHAN.

S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE I. FEBRUARII.

S. Brigidæ

Virginis. Duplex.

Oratio.

DEus, qui nos hodiérna die beátæ Brígidæ vírginis tuæ ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut ejus adjuvémur méritis, cujus castitátis irradiámur exémplis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BRígida virgo sacra ex província Lagéniæ in Hibérnia, paréntibus et christiánis génita, multárum in Christo sanctárum vírginum mater éxstitit. Cujus pater, cum esset adhuc infántula, vidit hómines albis véstibus indútos sacrum óleum super ejus caput fundéntes, quæ res futúram vírginis pietátem et sanctitátem præsignábat. Quæ primos annos pueritíæ attíngens Christo Salvatóri quem sibi sponsum elégit ex íntimis præcórdiis tam ardénter inhæsit, ut ejus amóre quidquid habére póterat paupéribus erogáret. Et ne a paréntibus, ex quibus multi ob incomparábilem córporis pulchritúdinem illam conjúgem expetébant, propósitum virginitátis, per quod se Deo mancipáverat, sólvere cogerétur, Deum precáta est, ut se defórmem rédderet, et mox exaudíta est. Nam óculi ejus statim intumuérunt, et tota fácies ita est immutáta ut permitterétur núncium procis remíttere et suam virginitátem voto solémni Christo consecráre.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna. — Et dedúcet te.

Lectio v.

ASsúmptis ígitur tribus puéllis perréxit statim ad Machæam Epíscopum sancti Patrítii discípulum qui videns

super caput ejus colúmnam ignis, índuit illam vestem cándidam, et pállium album; et lectis sacris précibus ad canónicam professiónem, quam beátus Patrítius in Hibérniam invéxerat, admísit. Quæ dum caput sacro velámini accipiéndo submíttens lignum pedáneum altáris manu tetigísset, lignum illud áridum íllico revíruit, et óculi ejus sanáti sunt, et fácies illíus ad prístinum decórem restitúta. Cujus póstea exémplo tanta puellárum multitúdo illud reguláris vitæ institútum amplexáta est, ut brevi témpore totam Hibérniam cœnóbiis vírginum repléret; inter quæ illud erat præcípuum, cui ipsa Brígida præfécta erat, a quo, tamquam a cápite, cétera pendébant.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

Hujus autem vírginis sanctitátem testántur mirácula, quæ tam vivens quam post hujus vitæ currículum patrávit: nam leprósos sæpius mundávit, et váriis languóribus ægrotántibus sanitátem suis précibus impetrávit. Sed et cœcum a nativitáte vidére fecit et Broónem Epíscopum a mulíere impúdica falso accusátum, quod de illo concepísset, signo crucis facto super os infántis recens nati, dum infans suum verum patrem monstrávit, a calúmnia liberávit. Nec défuit illi spíritus prophetíæ, quo multa futúra véluti præséntia indicábat. Sancto quoque Patrítio Hibernénsium Apóstolo sanctíssima familiaritáte juncta, diem migratiónis ejus ex hac vita, et sepultúræ locum monstrávit, et migratióni illíus præsens fuit; et línteum, quod ántea paráverat ad ejus corpus involvéndum, dedit. Quæ demum speciósam ánimam Christo sponso reddens in civitáte Duno in eódem sepúlcro beáti Patrítii est tumuláta.

℟. Afferéntur regi.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres, *de Communi j. loco.*

DIE 3. FEBRUARII.

S. Blasii

Episc. et Mart.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos, *de Comm.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Blásius, Sebáste in Arménia cum virtútum laude floréret, ejúsdem civitátis Epíscopus elígitur. In primis autem mira mansuetúdine pollébat. Qui, quo témpore Diocletiánus insatiábilem crudelitátem in christiános exercébat, se in spelúncam ábdidit montis Argæi, ubi oratiónibus et meditatiónibus assídue vacábat. Feræ sylvéstres ad eum confluébant, nec prius inde abíbant, quam accépta ab ipso benedictióne. Ibi támdiu látuit, dum ab Agricolai præfécti milítibus venántibus deprehénsus, et ad præféctum ductus, ejus jussu conjéctus est in víncula. Nocte, quæ diem præcéssit quo captus est, appáruit illi Christus Dóminus dicens : surge, offer mihi sacrifícia pro more tui sacerdótii.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

In cárcere pósitus multos ægrótos sanávit, qui ad Blásium, ejus fama sanctitátis addúcti, deferebántur. In illis puer fuit matris únicus, qui, desperáta a médicis salúte, transvérsa spina fáucibus inhærénte ánimam agébat. Prodúctus autem ad præféctum, cum nec blandítiis nec minis addúci posset ut diis sacrificáret, primum virgis agréstibus diríssime cæditur, deínde in cárcerem dúcitur. Ubi pia anus porcéllum, quem a lupo raptum, sancti Epíscopi précibus miraculóse illæsum recéperat, cum occidísset, caput ac pedes coctos, in canístro cum áliis terræ frúgibus et céreis ad recreándum Blásium détulit. Quibus ille cum gratiárum actióne percéptis, mulíeri be-

nedíxit, ac Dóminum precátus est, ut quisquis exémplo officiósæ mulíeris, Deo in memóriam Blásii, ejúsmodi res obtulísset, benedictiónem a Dómino consequerétur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

ITerum autem sanctus Antístes præsidi sístitur, et cum constántior in fídei confessióne manéret, ligno suspénditur, acérrime verberátur, carnes ei férreis pectínibus dilaniántur, póstea in lacum demérgitur, unde salvus ab Angelo extráhitur. Tandem, jubénte eódem júdice, una cum duóbus púeris, cápite truncáto, illústre fídei testimónium Christo Dómino dedit, tértio Nonas Februárii. Ante eum vero septem mulíeres, quæ guttas sánguinis ejus defluéntes, dum torqueréntur, colligébant, deprehénsæ quod essent christiánæ, post dira torménta gládio percússæ sunt. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Hom. Si considerémus. *de Communi ij. loco.*

DIE 9. FEBRUARII.

S. Apolloniæ

Virg. et Mart. Dupl.

In utrisque Vesperis, ad Magnificat.

Aña. Replévit me persecútor amaritudínibus, et fregit ad númerum dentes meos : pars mea Dóminus, dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum.

Oratio.

SPíritum nobis, Dómine, dilectiónis et fortitúdinis sancta Apollónia virgo et martyr implóret, ut peccatórum máculis tua pietáte delétis, in tua semper benedictióne lætémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. De virgínibus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

APollónia virgo Alexandrína, sub Décio imperatóre, cum ingravescénte jam ætáte, ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem

adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse prædicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt et evúlsi dentes : ac nisi, Christum detestáta, deos cóleret, accénso rogo, combustúros vivam mináti sunt ímpii carníficcs. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram respóndit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

Itaque comprehénsa ut comburerétur, cum paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum, majóri Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam martyrii corónam evolávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Lectio vj.

Recte per Salomónem dícitur : fortis est, ut mors, diléctio; quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occíditur. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, præmia calcávit. ℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Hom. Sæpe vos, fratres, *de Communi j. loco.*

Ad Bened. Aña. Noli timére, fília, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo, cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te, quia ego Dóminus Deus tuus, salvátor tuus.

In ij. Vesp. Aña. Ad Magnificat ut in j. Vesp.

DIE 12. FEBRUARII.
(*Assign. e 18. Jan.*)

SS. Liberatæ *et* Faustinæ

Sororum Placent. Virg. Duplex.

In utrisque Vesp. ad Magnificat et ad Bened. *Aña.* Prudéntes vírgines. *cum* ℣. Adducéntur.

Oratio.

BEatárum Liberátæ et Faustínæ vírginum natalítia veneránda, Dómine, quæsumus, Ecclésia tua devóta suscípiat : ut fiat magnæ glorificatiónis amóre devótior et tantæ fídei profíciat exémplo. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. De virgínibus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LIberáta et Faustína Placentínæ vírgines, Joannátis nobilíssimi viri fíliæ, pie ab eo educátæ, cum interfuíssent plánctibus et querélis cujúsdam mulíeris, tunc viro orbátæ, his permótæ, a carnáli matrimónio abstinére, et ad spirituále cum Dei grátia aspiráre, decrevérunt. Qua re cuidam pio sacerdóti communicáta, ejus quoque suasiónibus accénsæ, ínscio patre, secum allátis armíllis, ánnulis, ceteríśque eárum pretiósis ornátibus, ab arce Genesína discedéntes, superáto Pado, Comum trídui itínere pervenérunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

ÆDificárunt ibi, apud portam civitátis, oratórium sanctæ Dei Matris, quod nunc beáto Ambrósio est dicátum, ubi contemplatióni divinárum rerum insisténtes, assíduis oratiónibus, jejúniis et vigíliis córpora macerábant. Egréssæ póstmodum urbem, apud Cóxiam torréntem, ecclésiam sancti Joánnis Baptístæ construxérunt, domo ibi ab eis páriter ædificáta, ubi olim nóbile et élegans monastérium sanctæ Margarítæ dicátum conspiciebátur. Hæc postquam rescívit pater, eárum discéssum

ægre ferens, missis núnciis, eas ad se redúcere tentat. Sed cum frustra ab illis laborarétur, patri renunciavérunt, fílias Deo sacrátas divínis opéribus insístere, nec ab incœpto ópere dimovéri posse.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

QUibus permótus ille, ad eas lítteras religiónis plenas dedit, in quibus eas hortabátur, ut in sancto propósito permanérent, eidémque monastério prædia multa donávit. At sanctæ vírgines, cum divínis oratiónibus, vigíliis ac jejúniis diu vacássent, víribus afféctæ, Faustína, natu minor, décimo octávo Kaléndas Februárii, Liberáta tríduo post e vivis in cœlum sunt, sublátæ. Sepúltæ fuérunt ibi in æde sancti Joánnis Baptístæ, deínde eárum córpora in ecclésia cathedráli in urbe Coménsi, anno millésimo tercentésimo décimo séptimo repósita fuérunt, ubi summa veneratióne colúntur. ℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Homilia. Cœlórum regnum, *ut in Communi non Virginum j. loco cum* ℟℟. *ut in Communi Virg.*

DIE 13. FEBRUARII.
(*D. ass. ex* 15. *Jan.*)

S. Pauli

Primi Eremitæ Conf. Duplex. (*m. t. v.*)
Ut in Brev. die 15. *Jan.*

DIE 14. FEBRUARII.
(*D. ass. ex* 17. *Jan.*)

S. Antonii

Abbatis. Duplex.
Ut in Brev. die 17. *Jan.* (*m. t. v.*)
Commem. et Lectio ix. S. Valentini Mart.

DIE 15. FEBRUARII.
(*D. ass. ex* 24. *Jan*).

S. Timothei

Episc. et Mart. Duplex.
Ut in Brev. die 24. *Jan.*
Commem. et Lectio ix. SS. Faustini et Jovitæ Martyrum.

DIE 16. FEBRUARII.

B. Gregorii X.

Placentini Papæ et Conf. Duplex (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii Confessóris atque Pontí-

ficis religiónis zelo et apostólicis curis amplificásti : ejus méritis et intercessióne concéde : ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadragesima. Laudémus viros gloriósos, *de Comm. ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegóriusdécimus, Thedáldus ántea nuncupátus, Placéntiæ ad Æmíliæ fines, nóbili Vicecómitum génere natus est. Adoléscens, ecclesiásticæ milítiæ ascríptus, singulári nítuit honestáte morum vitæque mundítia, nulla unquam, ut créditur, críminis contagióne pollúta. In Gálliam cum Jacóbo Cardináli Pecorário Gregórii noni legáto proféctus, Archidiáconus Leodiénsis renuntiátus est. Eo in Itáliam redeúnte, theológiæ Parísiis óperam dedit, ac, magístri munus adéptus, verbo et exémplo fidéles ac príncipes ad terræ sanctæ recuperatiónem veheménter accéndit. In Svriam deínde peregrinátus, dum ibi sacram expeditiónem urgéret, a Cardinálibus, Vitérbii Pontíficis electiónem in annum fere tértium protrahéntibus, in Petri sedem evéctus est, anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

ACcépto Ptolemáide electiónis decréto, in Itáliam navigávit, ac Vitérbium se contulit, deínde Romam, ubi anno insequénti solémniter inaugurátus est. Ab ipso pontificátus exórdio ad generális concílii celebratiónem curas et cogitatiónes omnes adjécit. Eo Lugdúnum Galliárum indícto, Michaélem Paleólogum græcórum imperatórem, tum álios christiános príncipes, et græcæ latinæque Ecclésiæ præsules lítteris amantíssimis invitávit, accersítis étiam exímiis doctrína et san-

ctitáte viris, uti sancto Thoma Aquináte, in ipso itínere vita functo, sancto Bonaventúra, sancto Philíppo Benítio, beáto Albérto magno, Petro de Tarantásia órdinis Prædicatórum, qui eídem in pontificátu succéssit. Igitur œcuménicam synodum Patrum número ómnium frequentíssimam, cui præfuit Póntifex ipse, græcis, ejuráto schísmate, ad ecclésiæ unitátem recéptis, decrétis pro sacra expeditióne subsídiis, editísque plúribus sanctíssimis légibus triméstri spátio felíciter celebrávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vj.

DE pace in ecclésia firmánda cum primis sollícitus, prælatórum dissídia, regum inimicítias, provinciárum ódia, populórum factiónes compósuit, dirémit, exstínxit. Ecclésiæ jura étiam advérsus reges et príncipes sevére ac fórtiter vindicávit, nullam esse prædicans solidiórem regnórum basim, quam tutélam ecclesiásticæ libertátis. Páuperum amantíssimus, primus ómnium in apostólico palátio piárum in illo largitiónum præsidem constítuit, iísque própriis mánibus pedes quotídie abluébat. In Itáliam a concílio redux, dum profectiónem in Palæstínam meditátur, plúraque ália christiánæ reipúblicæ bono molirétur, Arétii in Etrúria morte intercéptus est, quarto ab electióne sua anno, mense quarto, die décima. Fuit vir ánimi plane invícti et apostólici, terrenórum contémptu, cultus divíni stúdio, fídei zelo, disciplínæ et morum restauratióne, rerum gerendárum prudéntia, fortitúdine, magnanimitáte, aliísque virtútibus prorsus exímius. Mirãculis post mortem claruísse Ecclésiæ Aretínæ monuménta testántur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii, *de Comm. j. loco.*

In ij. Vesp. Aña. Dum esset.

DIE 17. FEBRUARII.
(*D. ass. ex* 1. *huj.*)

S. Ignatii
Episc. et Mart. Duplex.
Ut in Brev. die 1. *Februarii.*

DIE 18. FEBRUARII.
(*D. ass. ex* 9. *huj.*)

S. Cyrilli Alexandrini
Episc. Conf. et Eccl. Doct.
Duplex. (*m. t. v.*)
Ut in Brev. die 9. *Februarii.*
Commem. et Lectio ix. S. Simeonis Episc. et Mart.

DIE 19. FEBRUARII.

S. Conradi Confalon *Placentini Conf. cujus brachium cum manu in Cathedrali Placentiæ veneratur.*
Duplex majus.

Oratio.

BEáti Conrádi pœniténtia placátus, da nobis, Dómine; ut ejus imitatióne carnem júgiter crucifigéntes, nostrórum peccatórum máculas diluámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones. Beátus vir. *de Comm. extra Quadrag. de Script. occurr.* (*Decret. S. R. C.* 30. *Junii* 1896).

In II. Nocturno.
Lectio iv.

COnrádus, Placéntiæ nóbili génere natus, ac venatióni cum primis déditus, jussit aliquándo vepres, ubi feræ latébant, succéndi. Sed ultra, quam vóluit, vento perlátus ignis, próxima fœdo vastávit incéndio. Quo viso, Conrádus in urbem laténter est ingréssus : sed mox ad prætórem deláta re, emissóque satellítio, homúnculus ínfimæ plebis, tamquam incéndii auctor comprehénsus est, vique tormentórum falsa confessióne expréssa, damnátus ad supplícium rapiebátur. Tum Conrádus, consciéntia excitátus, innocéntem homúnculum e carníficis mánibus erípuit, seque reum conféssus, divénditis bonis, illáta damna compensávit, humanísque rebus, una cum uxóre, núncium remísit. Cum ítaque uxor sacrum velum sumptúra Placéntiæ mansísset, ipse ábiit in regiónem longínquam, et Franciscáni órdinis, qui Tertiariórum dícitur, assúmpto hábitu, Romam pervénit sacras ædes vi-

sitatúrus. Inde in Sicíliam ad Netínos ábiit, ubi aliquándiu in sancti Martíni xenodochío diversátus, in solitúdinem secéssit, in qua se inédia et précibus affflíctans, per annos quadragínta humi cubábat, nunc solo pane, nunc herbis tantum conténtus, et dono prophetíæ miraculísque clarus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

CRebras carnis ac dæmonis tentatiónes, gulæque blandítias córporis afflictatióne, atque assíduo precánti stúdio tam egrégie vicit, ut vel esculénta munúscula, quæ ab amícis mitteréntur, non prius attíngeret, quam pútrida jam, et vérmibus scaténtia, sensus ipse refúgeret. Quin étiam, túnica pósita, támdiu nudos artus in vepréto volutábat, quoad effluénte sánguine edéndi ardor exstinguerétur. Cum autem sexta quaque féria in urbem ad imáginem Crucifíxi, quæ summa religióne celebrátur apud Netínos, adorándam mira pietáte ventitáret, impróbi quidam irrisóres per eam occasiónem religiosíssimum virum ludos fácere voluérunt : ítaque per simulatiónem illo ad prándium píscium invitáto, carnem suíllam appónunt, nec áliud ipsi mandúcant. Inde hóminis improbitátem exagitáre, vel simplicitátem cavillári cœpérunt. Negat ille se quidquam gustásse præter pisces, statímque spinas, et squamas amóta máppula, qua tegebántur, osténdit, et eórum impudéntiam redárguit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad.

Lectio vi.

ITem ab Antístite Syracusáno, fama sanctitátis excíto, visitátus, et ab eódem, ut secum cœnáret, invitátus, prótinus e céllula placéntas quátuor cállidas ex témpore divínitus parátas prótu-

lit; qui póstea vicíssim ad Antístitem Syracúsas proféctus, juxta Episcópium, plúrimis avículis circumvolitántibus, et ipsíus advéntum quodámmodo gratulántibus, mirabíliter excéptus est. His aliísque multis spectátæ sanctimóniæ indíciis, ejúsque précibus cœlésti auxílio laborántibus, non solum indígenis, verum étiam alienígenis, eo præsértim anno quo migrávit in cœlum millésimo trecentésimo quinquagésimo primo, sæpíssime impetráto, commóti Leo décimus Póntifex máximus in Netína urbe primum, deínde Paulus, eo nómine tértius, álibi étiam, beáti Conrádi festívam diem undécimo Kaléndas Mártii quotánnis celebrári permisére. Ejus corpus in argéntea cónditum arca in ecclésia sancti Nicolái apud Netínos in Sicília váriis adhuc miráculis enitéscit. Anno vero millésimo sexcentésimo décimo quinto, permitténte Paulo quinto Pontífice máximo, sancti Conrádi bráchium siníſtrum cum manu, Cathedráli Placentínæ donátum est, quod Cláudius Epíscopus in argéntea árcula compósuit; et anno octingentésimo octogésimo secúndo supra millésimum Joánnes Baptísta Antístes rite recognóvit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Grandis fidúcia. *pro Abbatibus.*

DIE 20. FEBRUARII.

(*D. ass. e 2. Jan.*)

S. Macarii

Romani Conf. cujus Corpus Placentiæ in ecclesia S. Xysti asservantur.

Semiduplex. (*m. t. v.*)

Oratio. Adésto. *de Communi.*

In j. Noct. In Quadrag. Beátus vir. *ij. loco, alias de Script. occurr.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Macárius románus, ex vicária præfectúra, erémi cultor, ad summam usque senectútem solis herbárum radícibus et aqua victitávit. Sátanæ insídias omnes assíduis précibus, castigatióne córporis, ac jejúniis fácile superávit, non sine suávi et crebro cœléstis beati-

túdinis gustu. Appríme Deo carus, admirábilis vitæ cursum sanctíssime confécit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CORpus sancti Macárii quod Placéntiæ in æde sancti Xysti cónditum a sæculis conquiéscit, una cum óssibus sancti Germáni Capuáni Epíscopi, a Joánne Baptísta Antístite rite recógnitum est anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo, et in arca super eórum altáre compósitum. Ejus autem memória, quæ quarto Nonas Januárii recólitur, ex sacrórum rítuum Congregatiónis indúlto die vigésima Februárii quotánnis a Placentínis perágitur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ. *Lib.* 10. *cap. xvj. in cap. xij. Job.*

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciúnt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE 21. FEBRUARII.
(*D. ass. e 14. Januar.*)
S. Felicis
Presb. Mart. cujus ossa in ecclesia S. Xysti Placentiæ requiescunt.
Semiduplex.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus : ut ad meliórem vitam sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadragesima. Fratres, debitóres. *de Communi plur. Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix Nolánus présbyter, cum in idóla veheméntius inveherétur, ab infidélibus várie vexátus, in cárcerem conjícitur. Unde ab ángelo nocte edúctus, quærere jussus est Maximiánum Nolæ Epíscopum : qui cum sénio conféctus desperáret se ferre posse supplícia persequéntium, se abdíderat in sylvam. Quo cum Felix, Deo duce, pervenísset, sanctum Epíscopum, humi jacéntem, pene mórtuum videt : quem, recreátum ac sublátum in húmeros, apud fidélem víduam reficiéndum curávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

SED cum is íterum idolórum cultóres impietátis argúeret, facto in ipsum ímpetu, fúgiens in angústo duórum paríetum intervállo se occultávit. Qui áditus, cum repénte araneárum telis pertéxtus visus esset, némini recéntis látebræ suspiciónem relíquit. Inde ígitur evádens Felix, in ædibus piæ mulíeris tres menses látuit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in

cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

CUM vero Dei Ecclésia requiéscere cœpísset, Nolam rédiens, multísque ibi vitæ exémplis et doctrínæ præcéptis, miraculísque ad Christi fidem convérsis, constánter étiam recusáto ejus urbis episcopátu, obdormívit in Dómino : sepultúsque est prope Nolam, in loco quem in Pincis appellábant. Ejus relíquiæ Placéntiam a sæculis delátæ, in ecclésia sancti Xysti colúntur, quas, anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo, Joánnes Baptísta Antístes recognóvit, et in arca marmórea in fronte ejus aræ decéntius compósuit.

℟. Stola.

In iij. Noct. Homilia. Si considerémus. *de Communi j. loco.*

℟. *8.* Dómine, prævenísti eum.

DIE 25. FEBRUARII.

(*D. a. ex 23. Jan.*)

S. Raymundi de Pennafort

Conf. Semiduplex.

Ut in Breviario die 23. Januarii. (m. t. v.)

DIE 26. FEBRUARII.

(*D. ass. ex 30. Jan.*)

S. Martinæ

Virg. et Mart. Semidupl.

Ut in Breviario die 30. Januarii.

DIE 27. FEBRUARII.

S. Margaritæ de Cortona

Pænitentis. Semiduplex.

Ut inter Festa pro aliquibus locis die 22. hujus.

DIE 1. MARTII.

In Translatione

SS. Gelasii, Peregrini, Victoris, Domnini *et* Eusebii *Confessorum ac* Victoriæ *Virginis, Placentinorum quorum cineres in basilica S. Sabini Placentiæ jacent.*

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

IN UTRISQUE VESPER.

Hymnus.

ALmi piórum spíritus,
Christi fidéles ásseclæ,
Quorum sacrátis ártubus
Claréscit urbs Placéntia.

Vos puritáte cándidi,
Vos caritáte férvidi,
Plausu sonánte, límina
Cœli beáta scánditis.

At nos períclis áspera
Adhuc lacéssunt prælia,
Adhuc dolóris fíndimus
Æquor timéndum syrtibus.
O! nostra si vos cómmovent,
Adéste nunc precántibus,
Boníque tutam pándite
Nobis ad astra sémitam.
Laus et perénnis glória
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Amávit eos Dóminus et ornávit eos. ℟. Stolam glóriæ índuit eos.

Ad Magnificat, Aña. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, sanctórum Gelásii ac reliquórum concívium nostrórum sanctis inhærére vestígiis; ut sicut eos ad imitándum nobis in terra dedísti, ita nos tuæ beatitúdinis in cœlo cum ipsis fácias esse consórtes. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus ut in Vesperis.

In j. Noct. Lectiones. Laudémus viros glorиósos. *de Comm. Conf. Pont. ij. loco, cum* ℟℟. *de Comm. non Pont.*

Lectio iv.

CUM christiánam religiónem, ópera præsértim beáti Apollináris epíscopi ravennátis, a priscis ecclésiæ tempóribus cívitas placentinórum suscepísset, statim non unum egrégium evangélii sectatórem exhíbuit. Postquam autem sancti Antoníni, mílitis thebeæ legiónis, prædicatióne, exémplis ac præcláro martyrio, ineúnte sæculo quarto, et mox sancti Victóris urbis protoepíscopi, pastoráli vigilántia et curis innúmeris, Christi fides magis magísque increméntum accepísset, plúrimi Placéntiæ cives in virtútibus et sanctitáte quam máxime floruérunt, bonum Christi odórem circumferéntes; inter quos enituére quinque sanctíssimi viri: Gelásius, Peregrínus, Victor, Dómninus et Eusébius, ac beáta virgo Victória. Peregrínus ex eórum número fuit, qui in nostra regióne prædicántes evangélium, plúrimum adlaborárunt. Nec ipse prædicatióne tantum, doctrináque pro-

fécit, verum étiam exémplo et vitæ sanctimónia complúres a christiánis institútis aliénos, ad viam salútis ethnicórum pulsis erróribus, perdúxit. Tandem méritis clarus quarto idus Februárii ad cœléstem glóriam vocátus est. Eusébius autem ex primis fuit, qui monásticam vitam Placéntiæ instituérunt sub epíscopi Sabíni disciplína, et virtútibus illústris séptimo kaléndas Octóbris in pace quiévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

VIctor et Dómninus, ambo diáconi hujus ecclésiæ sub sancti Mauri episcopátu, bonórum óperum pleni, et strénui verbi Dei præcónes apud suos cives se exhibuérunt. Divínis offíciis in templo et animárum salúti inténti, seípsos jejúniis, vigíliis, et oratiónibus assíduis dignam Deo et acceptábilem hóstiam offerébant, donec cœlórum beatitúdinem adépti sunt, Victor prídie nonas Mártii, Dómninus ídibus Maii. Gelásius nobílibus et christiánis paréntibus natus, ab ineúnte ætáte singulári divínæ grátiæ múnere insígnis, præclárum sibi paráti regni cœléstis hábuit indícium. Nam, adhuc puer, cum beátum Opílium fratrem aliquándo in cubículo orántem invenísset, dignus est hábitus, qui angelórum multitúdinem cum illo colloquéntem óculis cérneret, simúlque vocem audíret : sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cœlórum. Porro autem, cum idem ætáte simul ac vitæ sanctitáte floréret, et tamquam olíva fructífera in domo Dei úberes bonórum óperum fructus proférret, ad pátriam paradísi emigrávit prídie nonas Februárii. Victória dénique virgo, a beáto Sabíno epíscopo sacrárum vírginum sancti Michaélis Archángeli cœnóbio, quod Placéntiæ erat, præfécta, vigíliis, oratiónibus ac sanctíssimæ vitæ ratióne per multos annos, egrégie sibi conciliáto Christo sponso,

tandem ab eo ad cœléstes núptias evocátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

HOrum ómnium sacra córpora a beáto Mauro epíscopo in æde sanctórum apostolórum, extra urbis mænia, religiosíssime cóndita fuére sæculo quinto. Anno autem nongentésimo tértio ab Everárdo epíscopo in sancti Sabíni novam basílicam transláta fuére, ac póstea Fabrítius Marliánus antístes, anno millésimo quadringentésimo octogésimo primo, in honestiórem prædíctæ basílicæ locum sub ara máxima recóndidit. Dénique Joánnes Baptísta epíscopus, occasiónem nactus pastorális visitatiónis, eorúmdem sanctórum cíneres rite recognóvit anno salútis octingentésimo octuagésimo secúndo supra millésimum, kaléndis Mártii, et sub eámdem aram pie repósuit magna cívium lætítia, ex horum sanctórum translatiónis memóriam, ex apostólico indúlto, hac die celebrándam indíxit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Pusíllum gregem. *de Comm. ij. loco.*

AD LAUDES.

Hymnus.

COhors beáta cœlitum
Olim Placéntiæ íncolæ,
Urbis supérnæ gáudiis
Quos clara virtus íntulit,
Huc cœli ab arce lúmina
Læti frequénter fléctite;
Hic vestra thure et flóribus
Semper triúmphat glória.
Ac vestra quando nómina
Junctis colúntur láudibus,
Urbi benígni ac óppidis,
Precésque opémque júngite.
Laus et perénnis glória
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Benedictus, Aña. Vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et

vitam ætérnam possidébitis.

In ij. Vesperis ad Magnificat, Aña. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

DIE 6. MARTII.

B. Jordani a Pisis

Confessoris.

Duplex (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beátum Jordánum confessórem tuum evangélicæ prædicatiónis dignum minístrum effecísti; ex ejus nobis imitatióne, tríbue operári quæ præcipis, ut ætérnæ mercédis fructum cónsequi valeámus. Per Dóminum.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadr. Beátus vir, *de Comm. ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

UBerem donórum cópiam natúra et grátia mútuo contulérunt in beátum Jordánum, qui Pisis circa dimídium décimi tértii sæculi progénitus est. Animam quippe sortítus bonam, post exáctam laudabíliter adolescéntiam, in cœnóbio sancti Domínici illíus civitátis, prædicatórum institúti hábitum suscépit, brevíque magni nóminis concionátor éxstitit. Multis annis Floréntiæ demorátus est, verbum Dei e suggésto annuntiáre numquam intermíttens.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v.

NEC mirum, si copiósos úberis messis fructus collígere illi datum fúerit, quandóquidem sanctitáte vitæ morúmque suavitáte, magis quam doctrína et eloquéntia, qua præstábat, eum pópulus oratórem sacrum habébat. Quam doctrínæ eminéntiam moderatóres órdinis quum suspexíssent, Lutétiam Parisiórum misérunt, ut ibídem senténtias interpretarétur. Sed morbo intercéptus vix

Placéntiam ad Æmíliæ fines attígerat, quarto décimo kaléndas Septémbris, anno millésimo tercentésimo undécimo placidíssime spíritum Deo réddidit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

PLacéntia Pisas ejus corpus asportátum, juxta aram sancti Petri mártyris in ecclésia sui órdinis cónditum fuit. Cultum ex tunc a fidélibus beáto Jordáno præstitum, atque ad hæc usque témpora propagátum, Gregórius décimus sextus póntifex máximus, ex sacrórum rítuum Congregatiónis consúlto, rite probávit, concessítque ut ejus festum ab univérso prædicatórum órdine, et a clero pisánæ diœcéseos, cum offício et missa in pósterum institui valéret. Demum Leo décimus tértius, ut idem festum a clero placentínæ diœcéseos celebrarétur, indúlsit.

℟. Iste homo

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE II. MARTII.

S. Martiani

Episc. et Mart.

Derthonensis Patroni.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos. *de Comm. Mart. Pont. ij. loco.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. A Miléto. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArtiánus primus derthonénsis ecclésiæ epíscopus, sanctimóniæ laude et martyrii coróna apud omnem posteritátem cláruit. Hic, cum divíni verbi prædicatióne géntiles in Ligúria ad Christum convérteret, derthonénsium, qui jam christiánam religiónem recéperant, factus epíscopus, deláti múneris partes esse intélligens, ut pópulum sibi commíssum partim in Christi fide confirmáret, et partim ab impietáte atque a falsa superstitióne avérteret, id evangélica prædicatióne præ-

stitit, multósque ad Christi fidem perdúxit, atque ex servis peccáti, líberos fecit justítiæ.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus : et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

INtérea, fervénte adhuc sub Adriáno cæsare persecutióne Trajáni, Saprícius præféctus, spirans minárum et cædis in christiános, Medioláno Derthónam tendébat, secum in comitátu beátum Secúndum équitem asténsem, adhuc cathecúmenum, ducens. Huic cum Martiánus occúrreret, eúmque ad perseverándum in Christi fide hortarétur, accusántibus gentílibus, præses, ut áliis timor incuterétur, in arctíssima custódia inclúdi sanctum epíscopum mandat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine; * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

TEntávit præféctus blandítiis ac minis Martiánum abdúcere a christiána religióne, verum, nihil profíciens, eo quod unum se verúmque Deum cólere constantíssime affirmáret, ignítas láminas ejus péctori admovéri jussit, sed ab igne illæsus, imo miram odóris suavitátem spirans, váriis torméntis cruciátus, tandem extra urbem cápite pléctitur. Ejus corpus a beáto Secúndo sepúltum, cum diu latuísset, mirabíliter ab Innocéntio ejúsdem urbis sanctíssimo epíscopo invéntum, in basílica ejus nómini dicáta cónditum est.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor. *de Communi ij. loco.*

Commemoratio
de sanctis Patronis nostris.

Ubique ab omnibus facienda tam in civitate, quam in diœcesi, inter suffragia communia Sanctorum in Vesp. et Laud. præter in locis ubi peculiaris patronus habetur.

In Vesperis, Aña. Inclyti mártyres Christi Antonínus et Justína, exstinguéntes ímpetum ignis, et in occisióne gládii moriéntes immortális glóriæ coróna sunt decoráti.

℣. Dominabúntur sancti pópulis. ℟. Et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Oratio.

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, ut pópulus tuus, qui sub tantis sanctórum mártyrum tuórum Antoníni et Justínæ patrocíniis est constitútus, et a suis offensiónibus liberétur, et ab ómnibus protegátur advérsis.

In Laudibus, Aña. Sanguis sanctórum mártyrum Antoníni et Justínæ pro Christo effúsus est in terra : ídeo adépti sunt múnera sempitérna.

℣. *et Oratio ut in Vesp.*

INDEX.

NOVEMBER

DECEMBER.

JANUARIUS.

FEBRUARIUS.

APPROBATIO.

De mandato Illmi et Rmi Joannis Baptistæ Scalabrini Placentini Episcopi vidi et perlegi hanc editionem Officiorum Ecclesiæ Placentinæ typis DESCLÉE, LEFEBVRE & SOC. Tornaci excusam, et probatis exemplaribus consonam esse recognovi.

Romæ, die 25 Junii 1902.

C. PETRUS PIACENZA Proton. Ap.
Archipr. Cathedr. Placentin.

Imprimatur.
Tornaci, die 22 Julii 1902.
Vict. DUREZ, Vic Gen.



OFFICIA PROPRIA ECCLESIÆ PLACENTINÆ CONCESSA

PARS VERNA.

DIE 9. FEBRUARII.

S. Apolloniæ

Virg. et Mart. Duplex.

In utrisque Vesperis ad Magnificat.

Aña. Replévit me persecútor amaritudínibus, et fregit ad númerum dentes meos : pars mea Dóminus, dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum.

Oratio.

SPíritum nobis, Dómine, dilectiónis et fortitúdinis sancta Apollónia Virgo et Martyr imploret, ut peccatórum máculis tua pietáte delétis, in tua semper benedictióne lætémur. Per Dóminum.

In I. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. De virgínibus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

APollónia virgo Alexandrína, sub Décio imperatóre, cum ingravescénte jam ætáte, ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse prædicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt et evúlsi dentes : ac nisi, Christum detestáta, deos cóleret, accénso rogo, combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices.

Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram respóndit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

ITaque comprehénsa ut combureretúr, cum paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum, majóri Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam martyrii corónam evolávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

De sermóne sancti Gregórii Papæ

Lectio vj.

REcte per Salomónem dícitur : fortis est, ut mors, diléctio; quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occíditur. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, præmia calcávit. ℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Hom. Sæpe vos, fratres. *de Communi j. loco.*

Ad Benedictus, Aña. Noli timére, fília, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo, cum ambuláveris in igne, non combuséris, et flamma non ardébit in te, quia ego Dóminus Deus tuus, salvátor tuus.

In ij. Vesperis. Aña ad Magnificat ut in j. Vesp.

DIE 12. FEBRUARII.
(*assign. e* 18. *Jan.*)

SS. Liberatæ et Faustinæ

Sororum Placent. Virg.
Duplex.

In utrisque Vesp. ad Magnificat et ad Benedictus.

Aña. Prudéntes Vírgines *cum* ℣. Adducéntur.

Oratio.

BEatárum Liberatæ et Faustínæ vírginum natalítia veneránda, Dómine, quæsumus Ecclésiæ tuæ suscípiat : ut fiat magnæ glorificatiónis amóre devótior et tantæ fídei profíciat exémplo. Per Dóminum nostrum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. De virgínibus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

LIberáta et Faustína Placentínæ vírgines, Joannátis nobilíssimi viri fíliæ, pie ab eo educátæ, cum interfuíssent plánctibus et querélis cujúsdam mulíeris, tunc viro orbátæ, his permótæ, a carnáli matrimónio abstinére, et ad spirituále cum Dei grátia aspiráre, decrevérunt. Qua re cuídam pio sacerdóti communicáta, ejus quoque suasiónibus accénsæ, ínscio patre, secum allátis armíllis, ánnulis, ceteríśque eárum pretiósis ornátibus, ab arce Genesína discedéntes, superáto Pado, Comum trídui itínere pervenérunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

ÆDificárunt ibi, apud portam civitátis, oratórium sanctæ Dei Matris, quod nunc beáto Ambrósio est dicátum, ubi contemplatióni divinárum rerum insisténtes, assíduis oratiónibus, jejúniis et vigíliis córpora macerábant. Egréssæ póstmodum urbem, apud Cóxiam torréntem, ecclésiam sancti Joánnis Baptístæ construxérunt, domo ibi ab eis páriter ædificáta, ubi olim nóbile et élegans monastérium sanctæ Margarítæ dicátum conspiciebátur. Hæc postquam rescívit pater, eárum discéssum ægre ferens, missis núnciis, eas ad se redúcere tentat. Sed cum frustra ab illis laborarétur, patri renunciavérunt, fílias Deo sacrátas divínis opéribus insístere, nec ab incœpto ópere dimovéri posse.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

QUibus permótus ille, ad eas lítteras religiónis plenas dedit, in quibus eas hortabátur, ut in sancto propósito permanérent, eidémque monastério prædia multa donávit. At sanctæ vírgines, cum divínis oratiónibus, vigíliis ac jejúniis diu vacássent, víribus affléctæ, Faustína, natu minor, décimo octávo Kaléndas Februárii, Liberáta tríduo post e vivis in cœlum sunt, sublátæ. Sepúltæ fuérunt ibi in æde sancti Joánnis Baptístæ, deínde eárum córpora in ecclésia cathedráli in urbe Coménsi, anno millésimo tercentésimo décimo séptimo repósita fuérunt, ubi summa veneratióne colúntur. ℟. Afferéntur.

In iij. Noct. Homilia. Cœlórum regnum. *ut in Communi non Virginum j. loco cum* ℣℟. *ut in Communi Virginum.*

DIE 13. FEBRUARII.

(*d. ass. ex 15 Jan.*)

S. Pauli

primi Eremitæ et Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui nos beáti Pauli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno. Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PAulus, Eremitárum auctor et magíster, apud inferiórem Thebáidem natus, cum quíndecim esset annórum, orbátus paréntibus est. Qui póstea declinándæ causa persecutiónis Décii et Valeriáni, et Deo libérius inserviéndi, in erémi spelúncam se cóntulit : ubi, palma ei victum et vestítum præbénte, vixit ad centésimum et décimum tértium annum, quo témpore ab António nonagenário Dei admónitu invísitur. Quibus inter se, cum ántea non nossent, próprio nómine consalutántibus, et multa de regno Dei colloquéntibus, corvus, qui ántea semper Paulo dimidiátum panem attúlerat, íntegrum détulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

POst corvi discéssum, Eia, inquit Paulus, Dóminus nobis prándium misit, vere pius, vere miséricors. Sexagínta jam anni sunt, cum accípio quotídie dimídii panis fragméntum, nunc ad advéntum tuum milítibus suis Christus duplicávit annónam. Quare cum gratiárum actióne ad fontem capiéntes cibum, ubi tantísper recreáti sunt, íterum grátiis de more Deo actis, noctem in divínis láudibus consumpsérunt. Dilúculo Paulus de morte, quæ sibi instáret, ádmonens Antónium, hortátur, ut pállium, quod ab Athanásio accéperat, ad involvéndum suum corpus afférret. Quo ex itínere rédiens ille, vidit inter Angelórum choros, inter Prophetárum, et Apostolórum cœtus Pauli ánimam in cœlum ascéndere.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

CUmque ad ejus cellam pervenísset, invénit génibus complicátis, erécta cervíce, extensísque in altum mánibus corpus exánime : quod pállio obvólvens, hymnósque et Psalmos ex christiána traditióne decántans, cum sárculum, quo terram fóderet, non habéret; duo leónes ex interióre erémo rápido cursu ad beáti senis corpus ferúntur : ut fácile intelligerétur, eos, quo modo póterant, plorátum édere : qui certátim terram pédibus effodiéntes, fóveam, quæ hóminem cómmode cáperet, effecérunt. Qui cum abiíssent, Antónius sanctum corpus in eum locum íntulit : et injécta humo, túmulum ex christiáno more compósuit : túnicam vero Pauli, quam in sportæ modum ex palmæ fóliis ille sibi contexúerat, secum áuferens, eo vestítu

diébus solémnibus Paschæ et Pentecóstes, quoad vixit, usus est.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Veníte ad me omnes. *ut in Communi Abbatum secundo loco.*

DIE 14. FEBRUARII.

(*d. ass. ex 17 Jan.*)

S. Antonii

Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Antónii Abbátis commméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ANtónius Ægyptius, nobílibus et christiánis paréntibus natus, quibus adoléscens orbátus est, cum ingréssus ecclésiam ex Evangélio audivísset : Si vis perféctus esse, vade, et vende ómnia quæ habes, et da paupéribus : tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Dómino obtemperándum existimávit. Itaque, véndita re familiári, pecúniam omnem paupéribus distríbuit. Quibus solútus impediméntis, cœléstis vitæ genus in terris cólere instítuit. Sed cum in periculósum illud certámen descénderet, ad fídei præsídium, quo erat armátus, adhibéndum sibi putávit subsídium reliquárum virtútum : quarum tanto stúdio incénsus fuit, ut quemcúmque vidéret áliqua virtútis laude excelléntem, illum imitári studéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

NIhil ígitur eo continéntius, nihil vigilántius erat. Patiéntia, mansuetúdine, misericórdia, humilitáte, labóre, ac stúdio divinárum Scripturárum superábat omnes. Ab hæreticórum et schismaticórum hóminum, máxime Arianórum, congréssu, et colló-

quio sic abhorrébat, ut ne prope quidem ad eos accedéndum díceret. Humi jacébat, cum eum necessárius somnus occupásset. Jejúnium autem ádeo cóluit, ut salem tantúmmodo ad panem adhibéret; sitim aqua exstíngueret : neque se ante solis occásum cibo aut potu recreábat, sæpe étiam bíduum cibo abstinébat : sæpíssime in oratióne pernoctábat. Cum talis tantúsque Dei miles evasísset Antónius, sanctíssimum júvenem hostis humáni géneris váriis tentatiónibus aggréditur, quas ille jejúnio et oratióne vincébat. Nec vero frequens de sátana triúmphus secúrum reddébat Antónium, qui diáboli innumerábiles artes nocéndi nóverat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Itaque cóntulit se in vastíssimam Ægypti solitúdinem : ubi quotídie ad christiánam perfectiónem profíciens, dæmones (quorum tanto erant acrióres ímpetus, quanto Antónius ad resisténdum fórtior evadébat) ita contémpsit, ut illis exprobráret imbecillitátem : ac sæpe discípulos suos éxcitans ad pugnándum contra diábolum, docénsque quibus armis vincerétur : Mihi crédite, dicébat, fratres, pertiméscit sátanas piórum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam, et humilitátem, máxime vero ardéntem amórem in Christum Dóminum, cujus único sanctíssimæ crucis signo debilitátus áufugit. Sic autem dæmónibus erat formidolósus, ut multi per Ægyptum ab illi agitáti, invocáto nómine Antónii liberaréntur : tántaque erat ejus fama sanctitátis, ut per lítteras se ejus oratiónibus Constantínus Magnus et fílii commendárent. Qui aliquándo quintum et centésimum annum agens, cum innumerábiles sui institúti imitatóres habéret, convocátis mónachis, et ad perféctam christiánæ vitæ régulam instrúctis, sanctitáte et mirácu-

lis clarus migrávit in cœlum, décimo sexto Kaléndas Februárii.

℟. Iste homo.

In iij. Noct., Homilia. Sancti Evangélii *de Communi.*

DIE 15. FEBRUARII.
(*d. ass. e 24. Jan.*)

S. Timothei

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Timóthei Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

TImótheus, Lystris in Lycaónia natus ex patre Gentíli, et matre Judæa, christiánam colébat religiónem, cum in ea loca venit Paulus Apóstolus. Qui fama commótus, quæ de Timóthei sanctitáte percrebúerat, ipsum adhíbuit sócium suæ peregrinatiónis : sed propter Judæos, qui se ad Christum convérterant, sciéntes Timóthei patrem esse Gentílem, eum circumcídit. Cum ígitur ambo Ephesum veníssent, ibi ordinátus est Epíscopus ab Apóstolo, ut eam Ecclésiam gubernáret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

AD quem Apóstolus duas Epístolas scripsit, álteram Laodicéa, álteram Roma : quibus in pastorális offícii cura confirmátus, cum sacrifícium, quod uni Deo debétur, fíeri dæmonum simulácris; ferre non posset; pópulum Ephesínum, Diánæ in ejus celebritáte immolántem, ab illa impietáte removére conátus, lapídibus óbrutus est : ac pene mórtuus, a Christiánis eréptus, et in montem óppido vicínum delátus, nono Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino.

℟. Desidérium ánimæ

ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio vj.

Serm. 44. de Sanctis.

TRiumphális beáti Mártyris Timóthei dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit: cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur. et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus : quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem : Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes. ℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de eodem Communi.*

DIE 16. FEBRUARII.

B. Gregorii X.

Placentini Papæ et Conf. Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii confessóris atque pontíficis religiónis zelo et apostólicis curis amplificásti : ejus méritis et intercessióne concéde : ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadragesima. Laudémus viros gloriósos. *de Comm. ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GRegórius décimus, Thedáldus ántea nuncupátus, Placéntiæ ad Æmíliæ fines, nóbili Vicecómitum génere natus est. Adoléscens, ecclesiásticæ milítiæ adscríptus, singulári nítuit honestáte morum vitæque mundítia, nulla unquam, ut créditur, críminis conta-

gióne pollúta. In Gálliam cum Jacóbo cardináli pecorário Gregórii noni legáto proféctus, archidiáconus leodiénsis renunciátus est. Eo in Itáliam redeúnte, theológiæ Parísiis óperam dedit, ac, magístri munus adéptus, verbo et exémplo fidéles ac príncipes ad terræ sanctæ recuperatiónem veheménter accéndit. In Syriam deínde peregrinátus, dum ibi sacram expeditiónem urgéret, a cardinálibus, Vitérbii pontíficis electiónem in annum fere tértium protrahéntibus, in Petri sedem evéctus est, anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Accépto Ptolemáide electiónis decréto, in Itáliam navigávit, ac Vitérbium se cóntulit, deínde Romam, ubi anno insequénti solémniter inaugurátus est. Ab ipso pontificátus exórdio ad generális concílii celebratiónem curas et cogitatiónes omnes adjécit. Eo Lugdúnum Galliárum indícto, Michaélem Paleólogum Græcórum imperatórem, tum álios christiános príncipes, et grecæ latinæque ecclésiæ præsules lítteris amantíssimis invitávit, accersítis étiam exímiis doctrína et sanctitáte viris, uti sancto Thoma Aquináte, in ipso itínere vita functo, sancto Bonaventúra, sancto Philíppo Benítio, beáto Albérto magno, Petro de Tarantásia órdinis Prædicatórum, qui eídem in pontificátu succéssit. Igitur œcuménicam synodum patrum número ómnium frequentíssimam, cui præfuit póntifex ipse, græcis, ejuráto schísmate, ad Ecclésiæ unitátem recéptis, decrétis pro sacra expeditióne subsídiis, editísque plúribus sanctíssimis légibus triméstri spátio felíciter celebrávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vj.

DE pace in ecclésia firmánda cum primis sollícitus, prælatórum dissídia, regum inimicítias, provinciárum ódia, populórum factiónes compósuit, dirémit, exstínxit. Ecclésiæ jura étiam advérsus reges et príncipes sevére ac fórtiter vindicávit, nullam esse prædicans solidiórem regnórum basim, quam tutélam ecclesiásticæ libertátis. Páuperum amantíssimus, primus ómnium in apostólico palátio piárum in illo largitiónum præsidem constítuit, iísque própriis mánibus pedes quotídie abluébat. In Itáliam a concílio redux, dum profectiónem in Palæstínam meditátur, plúraque ália christiánæ reipúblicæ bono molirétur, Arétii in Etrúria morte intercéptus est, quarto ab electióne sua anno, mense quarto, die décima. Fuit vir ánimi plane invícti et apostólici, terrenórum contémptu, cultus divíni stúdio, fídei zelo, disciplínæ et morum restauratióne, rerum gerendárum prudéntia, fortitúdine, magnanimitáte, aliísque virtútibus prorsus exímius. Miráculis post mortem claruísse ecclésiæ aretínæ monuménta testántur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. *de Comm. j. loco.*

In ij. Vesp. Aña. Dum esset.

DIE 17. FEBRUARII.

(*d. ass. e* 1. *huj.*)

S. Ignatii

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Ignátii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

℣. Justum dedúxit.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus ecclesiásticis.

Lectio iv.

IGnátius Antiochénæ Ecclésiæ tértius post Petrum Apóstolum Epíscopus,

commovénte persecutiónem Trajáno, damnátus ad béstias, Romam vinctus míttitur. Cumque návigans Smyrnam venísset, ubi Polycárpus audítor Joánnis, Epíscopus erat, scripsit unam epístolam ad Ephésios, álteram ad Magnesiános, tértiam ad Trallénses, quartam ad Romános : et inde egrédiens scripsit ad Philadélphios, et ad Smyrnæos, et própriam ad Polycárpum, comméndans illi Antiochénsem Ecclésiam : in qua et de Evangélio, quod nuper a me translátum est, super persóna Christi ponit testimónium.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v.

Dignum autem vidétur, quia tanti viri fécimus mentiónem, et de epístola ejus, quam ad Romános scribit, pauca pónere. De Syria usque ad Romam pugno ad béstias in mari et in terra, nocte diéque ligátus cum decem leopárdis, hoc est milítibus, qui me custódiunt; quibus et cum benéféceris, pejóres fiunt. Iníquitas autem eórum mea doctrína est : sed non idcírco justificátus sum. Utinam fruar béstiis, quæ mihi sunt præparátæ : quas et oro mihi velóces esse ad intéritum, et ad supplícia, et állici ad comedéndum me, ne, sicut et aliórum Mártyrum, non áudeant corpus attíngere. Quod si veníre nolúerint, ego vim fáciam, ego me urgébo, ut dévorer. Ignóscite mihi filíoli : quid mihi prosit, ego scio.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

Nunc incípio Christi esse discípulus. nihil de his, quæ vidéntur, desíderans, ut Jesum Christum invéniam. Ignis, crux, béstiæ, confráctio óssium, membrórum divísio, et totíus

córporis contrítio, et tota torménta diáboli in me véniant : tantum ut Christo fruar. Cumque jam damnátus esset ad béstias, et ardóre patiéndi rugiéntes audíret leónes, ait : Fruméntum Christi sum, déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est anno undécimo Trajáni. Relíquiæ córporis ejus Antiochíæ jacent extra portam Daphníticam, in cœmetério.

℟. Stola.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 12. *d*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Tractatu* 40. *in Joannem, sub medium*

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum : mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet : id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam : noli amáre, ne perdas : noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

HOc autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat, subintellígitur in hoc mundo, ipse útique perdet : qui autem odit, útique in hoc mun-

do, in vitam ætérnam ipse custódit ea. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti : si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória. Qui.

Lectio ix.

SED vide ne tibi subrépat, ut teípsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni atque pervérsi hómines, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicídæ flammis se donant, aquis se præfócant, præcipítio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit : imo étiam diábolo præcipítium suggerénti respóndit, Redi retro sátanas : scriptum est, Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas : cum autem senúeris, alter te cinget, et feret, quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seípso, sed ab álio debére occídi, qui vestígia séquitur Christi. Te Deum.

DIE 18. FEBRUARII.
(d. ass. ex 9. huj.)

S. Cyrilli

Alexandrini Episc. Conf. et Eccles. Doct. Dupl.

Ut in Brev. die 9. Febr. Commem. et Lectio ix. S. Simeonis Ep. et Mart.

DIE 19. FEBRUARII.

S. Conradi Confalon *Placentini Conf.*

cujus brachium cum manu in Cathedrali Placentiæ veneratur.

Duplex majus.

Oratio.

BEáti Conrádi pœniténtia placátus, da nobis, Dómine; ut ejus imitatióne carnem júgiter crucifigéntes, nostrórum peccatórum máculas diluámus. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones.

Beátus vir. *de Comm. extra Quadrag. de Script. occurr. (Decret. S. R. C. 30. Junii 1896).*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Conrádus, Placéntiæ nóbili génere natus, ac venatióni cum primis déditus, jussit aliquándo vepres, ubi feræ latébant, succéndi. Sed ultra, quam vóluit, vento perlátus ignis, próxima fœdo vastávit incéndio. Quo viso, Conrádus in urbem laténter est ingréssus : sed mox ad prætórem deláta re, emissóque satellítio, homúnculus ínfimæ plebis, tamquam incéndii auctor comprehénsus est, vique tormentórum falsa confessióne expréssa, damnátus ad supplícium rapiebátur. Tum Conrádus, consciéntia excitátus, innocéntem homúnculum e carníficis mánibus erípuit, seque reum conféssus, divénditis bonis, illáta damna compensávit, humanísque rebus, una cum uxóre, núncium remísit. Cum ítaque uxor sacrum velum sumptúra Placéntiæ mansísset, ipse ábiit in regiónem longínquam, et franciscáni órdinis, qui Tertiariórum dícitur, assúmpto hábitu, Romam pervénit sacras ædes visitatúrus. Inde inUcíliam ad Netínos ábiit, ubi aliquámdiu in sancti Martíni xenodochío diversátus, in solitúdinem secéssit, in qua se inédia et précibus afflíctans, per annos quadragínta humi cubábat, nunc solo pane, nunc herbis tantum conténtus, et dono prophetíæ miraculísque clarus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Crebras carnis ac dæmonis tentatiónes, gulæque blandítias córporis afflictatióne, atque assíduo precándi stúdio tam egrégie vicit, ut vel esculénta munúscula, quæ ab amícis mitteréntur, non prius attíngeret, quam pútrida jam, et vérmibus scaténtia, sensus ipse refúgeret. Quin étiam, túnica pósita, támdiu nudos artus in ve-

préto volutábat, quoad effluénte sánguine edéndi ardor exstinguerétur. Cum autem sexta quaque féria in urbem ad imáginem Crucifíxi, quæ summa religióne celebrátur apud Netínos, adorándam mira pietáte ventitáret, ímprobi quidam irrisóres per eam occasiónem religiosíssimum virum ludos fácere voluérunt : ítaque per simulatiónem illo ad prándium píscium invitáto, carnem suíllam appónunt, nec áliud ipsi mandúcant. Inde hóminis improbitátem exagitáre, vel simplicitátem cavillári cœpérunt. Negat ille se quidquam gustásse præter pisces, statímque spinas, et squamas amóta máppula,qua tegebántur, osténdit, et eórum impudéntiam redárguit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

ITem ab antístite syracusáno, fama sanctitátis excíto, visitátus, et ab eódem, ut secum cœnáret, invitátus, prótinus e céllula placéntas quátuor cálidas ex témpore divínitus parátas prótulit; qui póstea vicíssim ad antístitem Syracúsas proféctus, juxta episcópium, plúrimis avículis circumvolitántibus, et ipsíus advéntum quodámmodo gratulántibus, mirabíliter excéptus est. His aliísque multis spectátæ sanctimóniæ indíciis, ejúsque précibus cœlésti auxílio laborántibus, non solum indígenis, verum étiam alienígenis, eo præsértim anno quo migrávit in cœlum millésimo trecentésimo quinquagésimo primo, sæpíssime impetráto, commóti Leo décimus póntifex máximus in Netína urbe primum, deínde Paulus, eo nómine tértius, álibi étiam, beáti Conrádi festívam diem undécimo kaléndas Mártii quotánnis celebrári permisére. Ejus corpus in argéntea cónditum arca in ecclésia sancti Nicolái apud Netínos in Sicília váriis adhuc miráculis enitéscit. Anno vero millésimo sexcentésimo décimo quinto, permitténte Paulo quinto

pontífice máximo, sancti Conrádi bráchium siníst rum cum manu, Cathedráli Placentínæ donátum est, quod Cláudius epíscopus in argéntea árcula compósuit; et anno octingentésimo octogésimo secúndo supra millésimum Joánnes Baptísta antístes rite recognóvit. ℟. Iste homo. *In iij. Noct., Homilia.* Grandis fidúcia. *pro Abbatibus.*

DIE 20. FEBRUARII.
(*assign. e 2. Jan.*)

S. Macarii

Romani Conf. Semidupl.
(*m. t. v.*)

Cujus Corpus Placentiæ in Ecclesia S. Xysti asservatur.

Oratio. Adésto. *de Communi.*

In j. Nocturno. In Quadrag. Beátus vir. *ij. loco, alias de Script. occurr.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Macárius Románus, ex vicária præfectúra, erémi cultor, ad summam usque senectútem solis herbárum radícibus et aqua victitávit. Sátanæ insídias omnes assíduis précibus, castigatióne córporis, ac jejúniis fácile superávit, non sine suávi et crebro cœléstis beatitúdinis gustu. Apprime Deo charus, admirábilis vitæ cursum sanctíssime confécit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Corpus sancti Macárii quod Placéntiæ in æde sancti Xysti cónditum a sæculis conquiéscit, una cum óssibus sancti Germáni capuáni epíscopi, a Joánne Baptísta antístite rite recógnitum est anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo, et in arca super eórum altáre compósitum. Ejus autem memória, quæ quarto nonas Januárii recólitur, ex sacrórum rítuum Congregatiónis indúlto die vigésima Februárii quotánnis a placentínis perágitur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi

coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ. *Lib.* 10. *cap. xvj. in cap. xij. Job.*

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt: hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur: quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere: cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere: cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre. ℟. Iste homo. *In iij. Nocturno, Homilia.* Pusíllum gregem. *de Comm. ij. loco.*

DIE 21. FEBRUARII.

(*assign. e 14. Jan.*)

S. Felicis

Presbyt. Mart.

Cujus ossa in Ecclesia S. Xysti Placentiæ requiescunt.

Semiduplex.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lect. de Scriptura occurrente. In Quadrag. Fratres, debitóres. *de Comm. plur. Mart.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FElix Nolánus presbyter, cum in idóla veheméntius inveherétur, ab infidélibus várie vexátus, in cárcerem conjícitur. Unde ab ángelo nocte edúctus, quærere jussus est Maximiánum Nolæ epísco-

pum : qui cum sénio conféctus desperáret se ferre posse supplícia persequéntium, se abdíderat in sylvam. Quo cum Felix, Deo duce, pervenísset, sanctum epíscopum, humi jacéntem, pene mórtuum videt: quem, recreátum ac sublátum in húmeros, apud fidélem víduam reficiéndum curávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit illi.

Lectio v.

SED cum is íterum idolórum cultóres impietátis argúeret, facto in ipsum ímpetu, fúgiens in angústo duórum paríetum intervállo se occultávit. Qui áditus, cum repénte araneárum telis pertéxtus visus esset, némini recéntis látebræ suspiciónem relíquit. Inde ígitur evádens Felix, in ædibus piæ mulíeris tres menses látuit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Domine: * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápite pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

CUM vero Dei ecclésia requiéscere cœpísset, Nolam rédiens, multísque ibi vitæ exémplis et doctrínæ præcéptis, miraculísque ad Christi fidem convérsis, constánter étiam recusáto ejus urbis episcopátu, obdormívit in Dómino : sepultúsque est prope Nolam, in loco quem in Pincis appellábant. Ejus relíquiæ Placéntiam a sæculis delátæ in ecclésia sancti Xysti colúntur, quas, anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo, Joánnes Baptísta antístes recognóvit, et in arca marmórea in fronte ejus aræ decéntius compósuit.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. *de Comm. j. loco.*

℟. 8. Dómine, prævenísti eum.

DIE 25. FEBRUARII.

(*d. ass. e 23. Jan.*)

S. Raymundi de Pennafort

Conf. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde, ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEátus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem, et cultum semper pro víribus auxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :* Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

ANnum círciter quintum supra quadragésimum agens, in órdine fratrum Prædicatórum solémni emíssa professióne, ut novus miles, in omni virtútum género, sed præcípue in caritáte

erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo Aragóniæ regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem institueréctur ordo religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt; cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas : quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem órdinis magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

AB eódem Gregório Romam accersítus, et capelláni, ac pœnitentiárii, et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu Romanórum Pontíficum decréta in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generále magistérium, quod per biénnum sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Aragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis conféc erit, et suum cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et

méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto. Quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

In iij. Noct., Homilia. Sancti Evangélii. *de eodem Communi.*

DIE 26. FEBRUARII.
(*d. ass. e 30. Jan.*)

S. Martinæ

Virg. et Mart. Semidupl.

Omnia de Comm. Virginum præter sequentia.

Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius, ut qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In j. vel ij. Vesp., quando dicendæ sunt, dicitur Hymn. Martínæ célebri. *usque ad* Quærit præmia. *et in fine* A nobis ábigas; *ad Matutinum autem incipitur Hymn. a* Non illam. *usque in finem.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Vírginum Dóminum,* Veníte adorémus. *Ps.* Veníte.

Hymnus.

MArtínæ célebri pláudite nómini
Cives Romúlei, pláudite glóriæ;
Insígnem méritis dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Hæc dum conspícuis orta paréntibus
Inter delícias, inter amábiles
Luxus illécebras dítibus áffluit
Faustæ munéribus domus.

Vitæ despíciens cómmoda, dédicat
Se rerum Dómino, et munífica manu
Christi paupéribus distríbuens opes,
Quærit præmia Cœlitum.

NON illam crúcians úngula, non feræ,
Non virgæ horríbili vúlnere cómmovent;
Hinc lapsi e Súperum sédibus Angeli
Cœlésti dape récreant.

Quin et depósita sævítie leo
Se rictu plácido prójicit ad pedes:

Te Martína tamen dans gládius neci
Cœli cœtibus ínserit.
Te, thuris rédolens ara vapóribus
Quæ fumat, précibus júgiter ínvocat,
Et falsum périmens auspícium, tui
Delet nóminis ómine.
A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine: tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas. Amen.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Martína virgo Romána, patre consulári, illústri génere nata, téneris adhuc annis orbáta paréntibus, christiánæ pietátis ardóre succénsa, divítias, quibus affluébat, mira in páuperes liberalitáte distríbuit. Sub Alexándro príncipe, cum deos inánes cólere juberétur, immáne fácinus summa libertáte detestátur. Quaprópter íterum atque íterum affécta verbéribus, uncis, úngulis férreis, testárum fragméntis laceráta, acutíssimis gládiis membrátim concísa, ádipe fervénti perúncta, demum in amphitheátro damnátur ad béstias: a quibus illæsa divínitus evádens, in ardéntem rogum injécta, incólumis pari benefício servátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

Ex ejus tortóribus nonnúlli, miráculi novitáte corrépti, Dei aspiránte grátia, Christi fidem ampléxi, post cruciátus gloriósam martyrii palmam cápitis abscissióne promeruére. Ad ejúsdem preces nunc terræ mótibus exórtis, nunc ígnibus e cœlo tonánte delápsis, deórum templa prostráta sunt, et simulácra consúmpta. Intérdum ex vulnéribus lac cum sánguine erúpit, splendórque nitidíssimus, ac suavíssimus odor e córpore emanávit: intérdum sublímis régia in sede divínis láudibus una cum Cœlítibus interésse visa est.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.— Proptérea.

Lectio vi.

HIsce prodígiis,ejúsque in primis constántia, ácriter permótus judex, caput vírgini amputári præcépit; qua perémpta, auditáque de cœlo voce, qua ad Súperos evocabátur, urbs tota contrémuit ac multi idolórum cultóres ad Christi fidem convérsi sunt. Sacrum Martínæ corpus, sedénte sancto Urbáno primo, martyrio afféctum, Urbáno octávo Pontífice máximo, in pervetústa ejúsdem ecclésia, ad Mamertínum cárcerem, in Capitolíni clivi radícibus, cum sanctórum Mártyrum Concórdii, Epiphánii et sociórum corpóribus repértum, eódem loco in meliórem formam redácto, atque decéntius ornáto, magno pópuli concúrsu, totíus Urbis lætítia, solémni ritu ac pompa repósitum est.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos, fratres. *de eodem Communi.*

AD LAUDES.

Hymnus.

TU natále solum prótege, tu bonæ
Da pacis réquiem Christíadum plagis;
Armórum strépitus, et fera prœlia
In fines age Thrácios.

Et regum sócians ágmina sub crucis
Vexíllo, Sólymas néxibus éxime,
Vindéxque innócui sánguinis hósticum
Robur fúnditus érue.

Tu nostrum cólumen, tu decus ínclytum,
Nostrárum obséquium réspice méntium;
Romæ vota libens éxcipe, quæ pio
Te ritu canit, et colit.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Unde et Trine: tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas. Amen.

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Aña. Símile est regnum cœlórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, de-

dit ómnia sua et comparávit eam.

DIE I. MARTII.

In Translatione

SS. Gelasii, Peregrini, Victoris, Domnini *et* **Eusebii** *Confessorum, ac* **Victoriæ** *Virginis Placentinorum quorum cineres in basilica S. Sabini Placentiæ jacent. Duplex.*

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

In utrisque Vesperis et ad Matutinum.

Hymnus.

Almi piórum spíritus,
Christi fidéles ásseclæ,
Quorum sacrátis ártubus
Claréscit urbs Placéntia.

Vos puritáte cándidi,
Vos caritáte férvidi,
Plausu sonánte, límina
Cœli beáta scánditis.

At nos períclis áspera
Adhuc lacéssunt prælia,
Adhuc dolóris fíndimus
Æquor timéndum syrtibus.

O! nostra si vos cómmovent,
Adéste nunc precántibus,
Boníque tutam pándite
Nobis ad astra sémitam.

Laus et perénnis glória
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Amávit eos Dóminus et ornávit eos. ℟. Stolam glóriæ índuit eos.

In utrisque Vesperis, ad Magnificat, Aña. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, sanctórum Gelásii ac reliquórum concívium nostrórum sanctis inhærére vestígiis; ut sicut eos ad imitándum nobis in terra dedísti, ita nos tuæ beatitúdinis in cœlo cum ipsis fácias esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Hymnus ut in Vesperis.

In j. Nocturno, Lectiones. Laudémus viros gloriósos, *de Comm. Conf. Pont. ij. loco, cum* ℟℟. *de Communi non Pontificis.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cum christiánam religiónem, ópera præsértim beáti Apollináris Epíscopi ra-

vennátis, a priscis ecclésiæ tempóribus cívitas placentinórum suscepísset, statim non unum egrégium evangélii sectatórem exhíbuit. Postquam autem sancti Antoníni, mílitis thebeæ legiónis, prædicatióne, exémplis ac præcláro martyrio, ineúnte sæculo quarto, et mox sancti Victóris urbis epíscopi, pastoráli vigilántia et curis innúmeris, Christi fides magis magísque increméntum accepísset, plúrimi Placéntiæ cives in virtútibus et sanctitáte quam máxime floruérunt, bonum Christi odórem circumferéntes; inter quos enituére quinque sanctíssimi viri : Gelásius, Peregrínus, Victor, Dómninus et Eusébius, ac beáta virgo Victória. Peregrínus ex eórum número fuit, qui in nostra regióne prædicántes evangélium, plúrimum adlaborárunt. Nec ipse prædicatióne tantum, doctrináque profécit, verum étiam exémplo et vitæ sanctimónia complúres a christiánis institútis aliénos, ad viam salútis ethnicórum pulsis erróribus, perdúxit. Tandem méritis clarus quarto idus Febrruárii ad cœléstem glóriam vocátus est. Eusébius autem ex primis fuit, qui monásticam vitam Placéntiæ instituérunt sub Epíscopi Sábini disciplína, et virtútibus illústris octávo kaléndas Octóbris in pace quiévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Victor et Dómninus, ambo diáconi hujus ecclésiæ sub sancti Mauri episcopátu, bonórum óperum pleni, et strénui verbi Dei præcónes apud suos cives se exhibuérunt. Divínis offíciis in templo et animárum salúti inténti, seípsos jejúniis, vigíliis et oratiónibus assíduis dignam Deo et acceptábilem hóstiam offerébant, donec cœlórum beatitúdinem adépti sunt, Victor prídie nonas Mártii, Dómninus ídibus Maii. Gelásius nobílibus et christiánis paréntibus natus, ab ineúnte ætáte singulári divínæ grátiæ múne-

re insígnis, præclárum sibi paráti regni cœléstis hábuit indícium. Nam, adhuc puer, cum beátum Opílium fratrem aliquándo in cubículo orántem invenísset, dignus est hábitus, qui Angelórum multitúdinem cum illo colloquéntem óculis cérneret, simúlque vocem audíret : sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cœlórum. Porro autem, cum idem ætáte simul ac vitæ sanctitáte floréret, et tamquam olíva fructífera in domo Dei úberes bonórum óperum fructus proférret, ad pátriam paradísi emigrávit prídie nonas Februárii. Victória dénique virgo, a beáto Sabíno epíscopo sacrárum vírginum sancti Michaélis Archángeli cœnóbio, quod Placéntiæ erat, præfécta, vigíliis, oratiónibus ac sanctíssimæ vitæ ratióne per multos annos, egrégie sibi conciliáto Christo sponso, tandem ab eo ad cœléstes núptias evocátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

HOrum ómnium sacra córpora a beáto Mauro epíscopo in æde sanctórum Apostolórum, extra urbis mænia, religiosíssime cóndita fuére sæculo quinto. Anno autem nongentésimo tértio ab Everárdo epíscopo in sancti Sabíni novam basílicam transláta fuére, ac póstea Fabrítius Marliánus antístes, anno millésimo quadringentésimo octogésimo primo, in honestiórem prædíctæ basílicæ locum sub ara máxima recóndidit. Dénique Joánnes Baptísta epíscopus, occasiónem nactus pastorális visitatiónis, eorúmdem sanctórum cíneres rite recognóvit anno salútis octingentésimo octuagésimo secúndo supra millésimum, kaléndis Mártii, et sub eámdem aram pie repósuit magna cívium lætítia, ac horum sanctórum translatiónis memóriam, ex apostólico indúlto, hac die celebrándam indíxit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Pusíllum gregem. *de Comm. ij. loco.*

AD LAUDES.

Hymnus.

COhors beáta cœlitum
Olim Placéntiæ íncolæ,
Urbis supérnæ gáudiis
Quos clara virtus íntulit,
Huc cœli ab arce lúmina
Læti frequénter fléctite;
Hic vestra thure et flóribus
Semper triúmphat glória.
Ac vestra quando nómina
Junctis colúntur láudibus,
Urbi benígni ac óppidis,
Precésque opémque júngite.
Laus et perénnis glória
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Benedictus, Aña. Vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

DIE 6. MARTII.

B. Jordani a Pisis

Confessoris.

Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui beátum Jordánum confessórem tuum evangélicæ prædicatiónis dignum minístrum effecísti; ex ejus nobis imitatióne, tríbue operári quæ præcipis, ut ætérnæ mercédis fructum cónsequi valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. Beátus vir, *de Communi ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

UBerem donórum cópiam natúra et grátia mútuo contulérunt in beátum Jordánum, qui Pisis circa dimídium décimi tértii sæculi progénitus est. Animam quippe sortítus bonam, post exáctam laudabíliter adolescéntiam. in cœnóbio sancti Domínici illíus civitátis,

predicatórum institúti hábitum suscépit, brevíque magni nóminis concionátor éxstitit. Multis annis Floréntiæ demorátus est, verbum Dei e suggésto annuntiáre numquam intermíttens.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et.

Lectio v.

NEC mirum, si copiósos úberis messis fructus collígere illi datum fúerit, quandóquidem sanctitáte vitæ morúmque suavitáte, magis quam doctrína et eloquéntia, qua præstábat, eum pópulus oratórem sacrum habébat. Quam doctrínæ eminéntiam moderatóres órdinis quum suspexíssent, Lutétiam Parisiórum misérunt, ut ibídem senténtias interpretarétur. Sed morbo intercéptus vix Placéntiam ad Æmíliæ fines attígerat, quarto décimo kaléndas Septémbris, anno millésimo tercentésimo undécimo placidíssime spíritum Deo réddidit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et ad.

Lectio vj.

PLacéntia Pisas ejus corpus asportátum, juxta aram sancti Petri mártyris in ecclésia sui órdinis cónditum fuit. Cultum ex tunc a fidélibus beáto Jordáno præstitum, atque ad hæc usque témpora propagátum, Gregórius décimus sextus póntifex máximus, ex sacrórum rítuum Congregatiónis consúlto, rite probávit, concessítque ut ejus festum ab univérso prædicatórum órdine, et a clero pisánæ diœcéseos, cum officio et missa in pósterum institui valéret. Demum Leo décimus tértius, ut idem festum a clero placentínæ diœcéseos celebrarétur, indúlsit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. Sancti Evangélii, fratres, *de Comm. j. loco.*

———

DIE II. MARTII.

S. Martiani

Episcopi et Martyris Derthonensis Patroni.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos. *de Communi Mart. Pont. ij. loco.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In Quadrag. A Miléto, *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArtiánus primus derthonénsis ecclésiæ epíscopus, sanctimóniæ laude et martyrii coróna apud omnem posteritátem cláruit. Hic, cum divíni verbi prædicatióne géntiles in Ligúria ad Christum convérteret, derthonénsium, qui jam christiánam religiónem recéperant, factus epíscopus, deláti múneris partes esse intélligens, ut pópulum sibi commíssum partim in Christi fide confirmáret, et partim ab impietáte atque a falsa superstitióne avérteret, id evangélica prædicatióne præstitit, multósque ad Christi fidem perdúxit, atque ex servis peccáti, líberos fecit justítiæ.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

INtérea, fervénte adhuc sub Hadriáno cæsare persecutióne Trajáni, Saprícius præféctus, spirans minárum et cædis in christiános, Medioláno Derthónam tendébat, secum in comitátu beátum Secúndum équitem astensem, adhuc cathecúmenum, ducens. Huic cum Martiánus occúrreret, eúmque ad perseverándum in Christi fide hortarétur, accusántibus gentílibus, præses, ut áliis timor incuterétur, in arctíssima custódia inclúdi sanctum epíscopum mandat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

TEntávit præféctus blandítiis ac minis Martiánum abdúcere a christiána religióne, verum, nihil profíciens, eo quod unum se verúmque Deum cólere constantíssime affirmáret, ignítas láminas ejus pectóri admovéri jussit, sed ab igne illæsus, imo miram odóris suavitátem spirans, váriis torméntis cruciátus, tandem extra urbem cápite pléctitur. Ejus corpus a beáto Secúndo sepúltum, cum diu latuísset, mirabíliter ab Innocéntio ejúsdem urbis sanctíssimo epíscopo invéntum, in basílica ejus nómini dicáta cónditum est.

℟. Stola

In iij. Noct. Homilia. Quia Dóminus ac Redémptor, *de Communi ij. loco.*

DIE 24. MARTII.

S. Gabrielis *Archang.*

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis die 18. *Mart.*

DIE 27. MARTII.

B. Marci Fantutii

A Bononia

Confessoris. Duplex.

Oratio.

DEus, qui beáto Marco in prædicatióne fídei tuæ cursum consummáre et corónam glóriæ promeréri tribuísti : concéde propítius, ut ejúsdem fídei amóre certántes usque ad mortem, præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lect. In Quadragesima : Justus. *extra Quadragesimam de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MArcus Fantútius, Bonóniæ nóbili génere natus, quum bonárum ártium philosophíæ ac jurisprudéntiæ currículum egrégie absolvísset, vigésimum sextum ætátis annum agens inter fratres minóres sancti Francísci cooptátus est. Theológiæ, præceptóre sancto Bernardíno, morum vero institutóre Jacóbo a Primardíciis utens : doctrína prudentiáque sic inter omnes enítuit, ut cænóbio regéndo, tértio ab ingréssu in órdinem anno, præpósitus sit. Provínciam deínde bononiénsem, famíliam totam

de observántia vicárii múnere administrans, vigilántiam, firmitátem, constántiam in tuéndis disciplínæ légibus ápprime servávit, ac singulári præstitit mansuetúdine et christiána humilitáte.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

DIlatándæ divínæ glóriæ cupidíssimus, Apúliam, Dalmátiam, Istriam peragrávit : mox Itáliam ferme totam percúrsans et erróribus vitiísque acre bellum indícens, caritátis ubíque sapientiæque suæ præclára monuménta relíquit. Doctrína, ut erat et eloquéntiæ facultáte máxime præditus, ac amóre Dei flagrans, plures Jesu Christo lucrifécit. Auctoritáte Callísti tértii pontíficis máximi ad ciéndas contra Turcas catholicórum ácies, una cum gravióribus frátribus adléctus, quum in comítiis, veheménti oratióne hábita, exquisiísset, ut qui martyrii desidério flagrárent, manus attóllerent, ad unum omnes sublátis íllico mánibus, certum voluntátis votum palam ostendérunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

MOrbis licet et labóribus fractus, devéxa étiam ætáte, suscéptum sacri oratóris munus numquam intermísit, se súaque ómnia proximórum salúti devóvit, sibi gratum fore díctitans, si in ipsa ácie advérsus humáni géneris hostes fórtiter dímicans, mortem oppéteret. Quod quidem ex voto ei cóntigit. Quum enim Placéntiæ in ecclésia sancti Francísci, ad pópulum esuriáli témpore conciónes habéret, morbo corréptus, et ad cœnóbium extra mœnia a Názareth nuncupátum delátus, instáre sibi diem suprémum sensit. Quare sacraméntis ecclésiæ ri-

te munítus, placidíssime efflávit ánimam anno millésimo quadringentésimo septuagésimo nono, ætátis suæ septuagésimo quarto. Ejus cultum ab ipso óbitu cœptum, et ad nos usque post quátuor ferme sæcula propagátum, Pius nonus póntifex máximus, ex sacræ rítuum Congregatiónis consúlto, tértio nonas mártias anno millésimo octingentésimo sexagésimo octávo ratum hábuit et confirmávit. Corpus ejus Placéntiæ in ecclésia sanctæ Maríæ de campánea, sub ara sanctis Magis dicáta, asservátur et cólitur; quod anno octingentésimo octuagésimo quartosupra millésimum, Joánnes Baptísta antístes rite recognóvit et in suo lóculo dénuo compósuit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangélii, fratres. *de Communi j. loco.*

DIE 29. MARTII.

(d. ass. ex 27. hujus.)

S. Joannis Damasceni

Conf. et Eccles. Doct.

Duplex.

Ut in Breviario (m.t.v.) die 27. Martii.

DIE 5. APRILIS.

S. Vincentii Ferrerii *Confessoris*

Plac. Patr. minus Princ.

Duplex majus.

Omnia ut in Brev. hac die.

In j. Noct., Lect. Beátus vir. *de Communi.*

DIE 6. APRILIS.

B. Julianæ Cornelionensis *Sanctæ nuncupatæ.*

Virg. Semiduplex.

Ut inter Festa pro aliq. locis.

DIE 16. APRILIS.

S. Contardi *Confess.*

cujus corpus, multis miraculis illustre habetur in ecclesia Bronæ, olim Placentini, nunc Derthonensis Episcopatus.

Semiduplex.

Oratio. Adésto. *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. In Quadrag. Justus. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Contárdus ex illústri Esténsium família, licet ad summos honóris atque

amplitúdinis gradus se natum agnósceret, humána tamen ómnia, quamvis speciósa, ut Christum lucrifáceret abjécit. Quare paupertátem ampléxus, emissóque voto, cum duóbus sóciis Compostéllam versus peregrinatiónem instítuit. Sed eo in itínere factum est, ut in óppido Brona placentíni episcopátus, aliquantísper vires reficiéndi grátia commorátus, vicínum collem ascénderet, cui nomen a sancto Contárdo in hunc usque diem mansit. Ejus amœnitáte captus, tácite a Deo conténdit, ut, si forte in ea laboriósa peregrinatióne moritúrus esset extra pátriam, in eo ipso loco morerétur. Sensit audítas esse preces e sensu dolóris quo repénte corréptus, et a sóciis in próximum hospítium delátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

Ingravescénte póstea morbo, nec jam ulla prope spe relícta evadéndi, cómites illi duo cœptum iter, ipso auctóre et hortatóre, prosecúti sunt. Contárdus ígitur, áliquot dies vi fébrium conflictátus, admirábilem patiéntiam osténdit, cumque dolórum acérbitas in dies augerétur, vix ullam quiétis partem cápere póterat, et quérulas voces continére. Hinc hospes, incógnitum ægrum exósus, non enim suum genus prodi volúerat, et ægre ferens ádvenas hospítio absterréri, domo sua exégit in quoddam vicíni tugúrium, ubi módica in pálea mísere cubábat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Incredíbile est, quanta in eo loco pertúlerit, omni ope destitútus; sed nimírum cum dolóre cruciatúque córporis, crescébat ánimi fortitúdo et

patiéntia. Etenim piis precatiónibus, ac divínæ contemplatióni júgiter inténtus, máxime vero acerbíssimam Christi necem récolens, egrégium sibi remédium ad morbi vim, et ad acres dolóris morsus comparábat. Dénique satis probátus, et spectátus tanquam aurum in fornáce, óbiit decimoséxto kaléndas majas, anno post Christum natum millésimo ducentésimo quadragésimo nono. Ejus corpus ibi sepúltum est in Æde sancti Petri, quod multis deínde miráculisillustrátum,post áliquot annos in honestiórem Ædis ejúsdem locum translátum est,ubi quotánnis, extrémo sábbati die mensis Augústi, máximo populórum concúrsu, singularíque pietáte, invísitur atque celebrátur. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, *Homilia.* Grandis fidúcia. *de Comm. Abbatum.*

DIE 23. APRILIS.

S. Georgii

Mart. Semiduplex.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Geórgii mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius; ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex officio ecclesiæ ferrariensis.

Lectio iv.

GEórgius nobílibus paréntibusin Cappadócia natus, sancte ab illis et religióse educátus est. Illis vita functis adhuc adoléscens tribúnus mílitum factus et áliis insignítus honóribus, sub Diocletiáno cæsare militávit. Verum cum edíctis imperiálibus persecutiónem in christiános cérneret ácrius desævíre, et indígne ferens, opportúnum quoque fore illud tempus exístimans ad salútem et ad martyrii glóriam, facultátibus suis in páuperes erogátis, servísque libertáte donátis, zelo fídei ac religiónis accénsus, imperatórem adit, Christúmque verum Deum líbere conféssus, ipsum de tam ímpia in christiános crudelitáte constánter accúsat.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine,* Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et.

Lectio v.

Admirátus veheménter imperátor, quod Geórgius, præter omnem opiniónem, christiánus esset, primo blandis illum verbis ac magnis pollicitatiónibus deínde minis pœnarúmque terróribus, a fídei senténtia conátur avértere. Sed cum nihil profíceret, nec ullo modo viri constántiam posset de pio et sancto propósito dimovére, jubet ipsum primo in cárcerem trudi, ibíque dire afflígi : tum verbéribus cæsum, rota mucrónibus præfíxa ad ejus corpus admóta laniári, deínde torréri sartágine, variéque torquéri. Quam ille tormentórum vim ubi álacri ac forti ánimo tulísset, indéque incólumis mirabíliter evasísset, plúrimos suo exémplo ad fídei constántiam excitávit.

℟. In servis suis, allelúia,* Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

Impius autem persecútor, cum exímiam hujúsmodi mártyris fortitúdinem non divínæ virtúti, ut par erat, sed mágicis ártibus adscríberet, ipsum várie tortum, atque in senténtia nihilóminus persisténtem, secúri pércuti jubet. Geórgius ígitur, fórtiter data cérvice, martyrii coróna dignátus est. Córporis ejus relíquiæ divérsas in regiónes delátæ, máximo ab íncolis habéntur honóre. Caput Romæ in diaconía sancti Geórgii ad Velábrum honorífice asservátur, et ipsíus mártyris nomen non solum in oriénte, ubi passus est, sed et in occíduis oris ubíque claríssimum est. Quam et implorántibus ejus auxílium propítius adésse consuéverit, reges præsértim et príncipes sæpius in militári conflíctu expérti sunt, ut frequénter étiam ejúsdem mártyris memóriæ ubíque testántur.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Com-*

muni Martyrum tempore Paschali.

DIE 26. APRILIS.

B. M. V.

a Bono Consilio.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 27. APRILIS.

S. Franchæ *Placent.*

Virg. cujus corpus Placentiæ in ecclesia S. Petri quiescit.

Duplex.

Oratio. Exáudi. *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FRanca virgo Placéntiæ nóbili génere nata, pieque educáta, ut Deo vocánti libérius inservíret, paréntes, séptimum cum nondum attíngeret annum rogáre cœpit, ut se inter sacras Christi vírgines vitam dedúcere sinérent. Ergo eórum voluntáte sancti Syri monastérium ingréssa, sub institúto sancti Benedícti miríficos in via Dómini progréssus hábuit. Fuit enim ea oratiónibus dédita, in vigíliis et jejúniis frequens, admirábili in injúriis tolerándis patiéntia; cujus étiam sanctitátem Deus miráculis testátam fecit. Cum sacrum velámen ab Epíscopo susceptúra esset, ínterim Dei Angelus visus est álio ejus caput cooperíre.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v.

IN abbatíssæ mórtuæ locum suffécta, múneris sui partes diligentíssime explévit. Caréntiam nóbilem vírginem placentínam, Christum sponsum habére cupiéntem, ut novum sacrárum vírginum monastérium extrúeret indúxit, cui illa post, superiórum jussu, órdinis cisterciénsis hábitu suscépto, religiosíssime præfuit. In hoc vitæ género, cum annos complúres comsumpsísset, rerum sancte actárum méritis cumuláta, sumpto Eucharístiæ sacraménto, quiévit in Dómino séptimo kaléndas Maii, anno mil-

lésimo ducentésimo décimo octávo.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, allelúia. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

CORpus ejus in monastério tértii passus apud Plectúlas humátum mansit per annos duodequinquagínta, inde Placéntiam translátum in ecclésia eídem sanctæ dicáta cónditum est. Anno autem millésimo octingentésimo décimo profanáta eádem Ecclésia sacrum corpus in templam sancti Michaëlis Archángeli delátum fuit. Postrémo anno millésimo octingentésimo nonagésimo tértio, cum Joánnes Baptísta epíscopus templum sancti Petri apóstoli divíno cúltui restitútum nóviter dedicásset, eo solémniter sanctæ Franchæ corpus rite recógnitum tránstulit, atque sub ara máxima decentíssime compósuit.

℟. Afferéntur regi.

In iij. Nocturno, Lect. de Homilia in Evangelium Cœlórum regnum. *de Comm. Virg. j. loco.*

DOMIN. II. POST PASCHA.
VEL EA IMPEDITA, DOM. IV.

SS. Sepulcri D. N. J. C.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Aña. 1. Exaltáte Dóminum * Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est, allelúia.

Psalmi ut in j. Vesp. de Comm. Apost.

2. Introíbimus * in tabernáculum ejus, adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus, allelúia.

3. Quis ascéndet * in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus? allelúia.

4. O quam metuéndus * est locus iste! Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli, allelúia.

5. Ne apprópies huc, * solve calceaménta de pédibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est, allelúia.

Capitulum. *Act.* 13.

CUM consummássent ómnia, quæ de Jesu scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto.

Hymnus.

SAcri sepúlcri glóriam,
Christi triúmphis ínclytam,
Dulci repléti gáudio
Lætis canámus vócibus.
Hujus, vetústis sæculis,
Dedit cistérna symbolum,
Quo missus olim, cárcerem
Joseph habébat ínnocens.
Hoc quem fidélis fórtium
Ambit catérva mílitum,
A rege docto cónditus
Expréssit olim léctulus.
Hoc et tuus, Dániel, lacus;
Et quæ sopóre lánguidum
Jonam ratis portáverat,
Hoc in figúra núntiat.
O petra gemmis cárior!
Thesáure cunctis dítior!
Qualem nec aula príncipum,
Nec gaza claudit dívitum!
Nam tu nec auri múnera,
Nec príncipum fluxas opes,
Sed illud imménsum sacri
Prétium tulísti Córporis.
At, Christe, ditas qui tuum
Caro sepúlcrum sánguine,
Tuos, rogámus, sérvulos
Donis tuis fac dívites.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In Sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Tuum sépúlcrum adorámus, Dómine, allelúia.
℟. Et recólimus tuam gloriósam resurrectiónem, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Deponéntes Dóminum de cruce, posuérunt eum in monuménto, quod erat excísum in petra, in quo nondum quisquam pósitus fúerat, allelúia.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in sepúlcro depósitus tértia die resúrgere voluísti: concéde fámulis tuis; ut qui sepúlcri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit Commemor. Domin.

AD MATUTINUM.

Invit. Surréxit Dóminus de sepúlcro, * allelúia.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. Sacri Sepúlcri glóriam. *ut in j. Vesp.*

In I. Nocturno.

Aña. En léctulum Salomónis, sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israël, omnes tenéntes

gládios, et ad bella doctíssimi, allelúia.

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

℣. Ipsum gentes deprecabúntur, allelúia. ℟. Et erit sepúlcrum ejus gloriósum, allelúia.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. *Cap.* 13. *d*

VIri fratres, fílii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem, et príncipes ejus hunc ignorántes, et voces Prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, judicántes implevérunt : et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die : qui visus est per dies multos his, qui simul ascénderant cum eo de Galilæa in Jerúsalem; qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

℟. Deponéntes Dóminum de Cruce, posuérunt eum in monuménto, quod erat excísum de petra, allelúia : * Signántes illud cum custódibus, allelúia. ℣. Abeúntes Judæi muniérunt sepúlcrum, advolvéntes lápidem ad óstium monuménti.—Signántes.

Lectio ij.

ET nos vobis annuntiámus eam, quæ ad patres nostros repromíssio facta est; quóniam hanc Deus adimplévit fíliis nostris, resúscitans Jesum, sicut et in Psalmo secúndo scriptum est : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quod autem suscitávit eum a mórtuis, ámplius jam non reversúrum in corruptiónem, ita dixit : Quia dabo vobis sancta David fidélia. Ideóque et álias dicit : Non dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. David enim in sua generatióne cum administrásset voluntáti Dei, dormívit : et appósitus est ad patres suos, et vidit corruptiónem. Quem vero Deus suscitávit a mórtuis, non vidit corruptiónem.

℟. Sepúlto Dómino, signátum est monuméntum, volvéntes lápidem ad óstium monuménti, allelúia : * Ponéntes mí-

lites, qui custodírent illud, allelúia. ℣. Accedéntes príncipes sacerdótum ad Pilátum, petiérunt illum. — Ponéntes.

Lectio iij.

NOtum ígitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remíssio peccatórum annuntiátur, et ab ómnibus, quibus non potuístis in lege Móysi justificári, in hoc omnis, qui credit, justificátur. Vidéte ergo ne supervéniat vobis quod dictum est in Prophétis : Vidéte contemptóres, et admirámini, et dispergímini : quia opus óperor ego in diébus vestris, opus quod non credétis, si quis enarráverit vobis. Exeúntibus autem illis rogábant, ut sequénti sábbato loqueréntur sibi verba hæc. Cumque dimíssa esset Synagóga, secúti sunt multi Judæórum et coléntium advenárum Paulum et Bárnabam : qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti vero sábbato pene univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei.

℟. Accepérunt corpus Jesu, et ligavérunt illud línteis cum aromátibus, et sepeliérunt in monuménto novo, * In quo nondum quisquam pósitus fúerat, allelúia. ℣. Venit Joseph cum Nicodémo, et tulérunt corpus Jesu, et sepeliérunt illud in monuménto novo. — In. Glória Patri. In.

In II. Nocturno.

Aña. Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes, tota die, et tota nocte in perpétuum non tacébunt, laudáre nomen Dómini, allelúia.

℣. Factus est in pace locus ejus, allelúia. ℟. Et habitátio ejus in Sion, allelúia.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ad milit. custod. templi, c. 11. *de S. Sepulcro.*

Lectio iv.

INter sancta ac desiderabília loca sepúlcrum Christi tenet quodámmodo principátum : et devotiónis plus néscio quid sentítur, ubi mórtuus requiévit, quam ubi vivens conversátus est : atque ámplius movet ad pietátem mortis quam vitæ recordátio : puto quod illa austérior, hæc dúlcior videátur, magísque infirmitáti blandiátur humánæ quies

dormitiónis, quam labor conversatiónis : mortis secúritas quam vitæ rectitúdo. Vita Christi vivéndi mihi régula éxtitit mors a morte redémptio. Illa vitam instrúxit, mortem ista destrúxit : vita quidem laboriósa, sed mors pretiósa; útraque ádmodum necessária. Quid enim Christi prodésse póterat sive mors néquiter vivénti, sive vita damnabíliter moriénti? Numquid deínde aut mors Christi étiam nunc male usque ad mortem vivéntes a morte ætérna líberat, aut mórtuos ante Christum sanctos Patres vitæ sánctitas liberávit? Sicut scriptum est : Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem, éruet ánimam suam de mann ínferi? Hunc ergo, quia utrúmque nobis páriter necessárium erat, et pie vívere, et secúre mori, et vivéndo vívere dócuit, et mortem moriéndo secúram réddidit : quóniam quidem resurrectúrus occúbuit, et spem fecit moriéntibus resurgéndi.

℟. Mulíeres venérunt ad monuméntum, portántes quæ paráverant, arómata, * Et invenérunt lápidem revolútum a monuménto, allelúia. ℣. Et factum est, dum mente consternátæ essent, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. — Et invenérunt.

Lectio v.

Ibidem finem versus.

SIve ítaque hæc, sive ália quæcúmque in hunc modum (prout in tálibus suo quisque abúndat sensu) ex occasióne sepúlcri christiánis sénsibus suggerántur, puto quod non medíocris dulcédo devotiónis infundátur cóminus intuénti, nec parum profícitur cernéndo étiam corporálibus óculis corporálem locum Domínicæ quiétis. Etsi quippe jam vácuum sacris membris, plenum tamen nostris, et jucúndis ádmodum sacraméntis. Nostris, inquam, si tamen tam ardénter ampléctimur, quam indubitánter tenémus, quod Apóstolus ait : Consepúlti enim sumus per baptísmum in mortem, ut quómodo surréxit Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus,

simul et resurrectiónis érimus.

℟. Angelus Dómini locútus est muliéribus dicens : Quem quæritis? An Jesum quæritis? Jam surréxit : * Veníte et vidéte locum, allelúia. ℣. Jesum quæritis Nazarénum crucifíxum ? Surréxit, non est hic. — Veníte et vidéte.

Lectio vj.

INter céteros, qui cum ad sanctum Dómini sepúlcrum péregre profécti sunt, itíneris sui memórias reliquérunt, unus fuit e Placentínis cívibus Antonínus nómine; cujus narrátio magno est in prétio apud erudítos. Is sæculo sexto totam peragrávit Syriam; cumque Canam pervenísset, pietátis causa eo ipso accúbuit in loco, ubi invitátus ad núptias, accubúerat Dóminus, ibíque paréntum suórum nómina stylo notávit. Hæc ille narrábat : narratiónis porro véritas mire comprobáta est sæculo decimonóno. Nam Elateæ in Græcia inter effóssa rúdera, lapídeus accúbitus repértus est, in quo græce inscúlptum legebátur : Hic Dóminus Jesus mutávit aquam in vinum; mox vero et alia inscríptio, etsi non íntegra, occúrrit ínquiens : Meménto Dómine patris et matris mei Antoníni. Hujus exémplum in inviséndis Palestínæ locis álii e Placentínis sequúti sunt. Quorum áliqui sæculo nono, sub Podóne epíscopo, basílicam ad Placéntiæ muros excitárunt, in eáque sepúlcrum in similitúdinem Hierosolimitáni construxérunt. Fatiscénte autem sacra æde, áliam médio sæculo undécimo peregríni álii erexérunt quam sancti sepúlcri ecclésiam vocárunt. Eídem mónachi Benedictíni primum præfécti sunt ; quátuor autem post sæcula data est religiósis Olivetánis, qui eándem novo ópere ædificárunt perámplam cultúque magnífico. Cum vero toto sæculo decimonóno divíno cúltui erépta esset, Joánnes Baptísta Epíscopus multis curis et expénsis eam vindicávit, sacris restítuit, parochiáli jure auxit, et uti monuméntum Christo Redemptóri, ineúnte sæculo vicésimo solémni ritu consecrávit. Leo vero Papa décimus tértius ad

augéndam religiónem fidélium erga sanctum Dómini sepúlcrum ejúsdem sepúlcri festum quotánnis celebrári concéssit.

℟. Cum transíret sábbatum, María Magdaléne, María Jacóbi, et Sálome emérunt arómata, * Ut veniéntes úngerent Jesum, allelúia. ℣. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto jam sole. — Ut. Glória Patri. Ut.

In III. Nocturno.

Aña. Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis, allelúia.

℣. Erit mihi Dóminus in Deum, allelúia. ℟. Et lapis iste vocábitur domus Dei, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 24.

IN illo témpore : Una sábbati valde dilúculo, venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes, quæ paráverant, arómata. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Sabb. in Vig. Paschæ de Joseph, etc. de temp. serm. 132. *a quibusdam ponitur in appendice de div. Serm. serm.* 50.

CUM María Magdaléna venísset ad monuméntum, quam mémorem Salvatóris admíssa fides ac devótio in lácrymas compellébat, videns revolútum a flóribus lápidem, cum non invenísset in sepúlcro Dóminum, cœpit ácrius dolére, quod perdíderit defúnctum. Mox autem ad Petrum ejus discípulum pérvolat, quem pro mériti qualitáte vel fídei, major de ejus óbitu cura tangébat, núntiat ináne sepúlcrum, quæritur de Córpore abláto. Petrus vero resurrectiónis Fílii Dei et ante Crucem cónscius, quam prædíxerat ipse passúrus, sub tali núntio non flevit, aut dóluit : sed morem suum in divínis virtútibus servans, próperat experíri quod crédidit.

℟. Tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum. Dicunt ei Angeli : Múlier quid ploras? Surréxit, sicut dixit : * Præcédet vos in Galilæam : ibi eum vidébitis, allelúia. ℣. Cum ergo fleret, inclinávit se, et pros-

péxit in monuméntum, et vidit duos Angelos in albis sedéntes, qui dicunt ei. — Præcedet.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viij.

AD sepúlcrum ítaque Dómini céleri cursu festínat, lætior reditúrus, si non inveníret quod quærébat. Beátus autem Evangelísta et ex consequéntibus probat poténtiam resurgéntis. Venit, inquit, Simon Petrus, et introívit in monuméntum : et cum non invenísset Dóminum, vidit linteámina pósita, et sudárium quod fúerat super caput ejus. Nam manuféstius Deus perlatúrus, quem vivificáverat in cœlum, et mortem evácuat et sepúlcrum. Nam linteámine, quo funus tegebátur, expósito, relíquit terræ exúvias, vitáli jam córpore indúta majéstas.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum, quia quem quærébam, appáruit mihi : * Et dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum, allelúia. ℣. Recedéntibus discípulis, non recedébam, et amóris ejus igne succénsa ardébam desidério. — Et. Glória Patri. Et.

Lect. ix. de Homil. Domin.

Si contingat transferri ex Domin., legitur sequens :

Lectio ix.

PEtrus ígitur videns resurrectiónem, quam Dei Fílius prænuntiáverat, implétam, qui sollícitus vénerat, secúrus abscéssit. María tamen resurrectiónis ignára, non cessávit lácrimas fúndere, nésciens hanc esse Domínici córporis grátiam, quam putábat injúriam. Cujus inánes mœróres Angelus magis próhibet, quam consolátur, ut Evangelísta testátur : María, inquit, quid ploras? Si spirituáli prudéntia intentiónem divíni sermónis intélligas, lacrimárum causam non tamquam ignárus intérrogat, sed importúnos fletus doléntis objúrgat. María, inquit, quid ploras? Cum, vácuo monuménto, non damno fúneris sed mérito resurgéntis, Jesu Christi corpus virtus sibi, non fácinus vindicásset? Culpat, eódem témpore a María lácrymas fundi, quo débuit gloriári.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Vota mea * Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem, allelúia.

Psalmi de Dominica.

2. Ingrediéris * in abundántia sepúlcrum, sicut infértur acérvus trítici in témpore suo, allelúia.

3. Qui exspéctant mortem, * et non venit, quasi effodiéntes thesáurum, gaudéntque veheménter, cum invénerint sepúlcrum, allelúia.

4. Tóllite hóstias, * et introíte in átria ejus, adoráte Dóminum in átrio sancto ejus, allelúia.

5. In sole pósuit * tabernáculum suum, et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo, allelúia.

Capitulum. *Act.* 13.

CUM consummássent ómnia, quæ de Jesu scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto.

Hymnus.

AUdíte tristes ínferi,
Turbæ freméntes hóstium,
Vestrum ruínæ núntium,
Sacri sepúlcri glóriam,
En jam futúri cónscius
Illam Prophéta præcinit,
Et gloriósum pósteris
Narrat sepúlcrum sæculis.

Hic ille Rex fortíssimus,
Fractis avérni víribus,
Et mortis excússo jugo,
Primum trophæa súscitat.

Candóre tectus véstium,
Novóque lucis fúlgure,
Delápsus astris núntius,
Hic excubávit Angelus.

Jam temperándum lácrimis,
Satis datum suspíriis,
Gravi dolóre sáuciæ
Hic audiérunt féminæ.

Et vos, Magístri fúnere
Plane simul commórtui,
Vestro dolóri gáudium,
Tulístis hic, Apóstoli.

Tu vero, Christe, máxima
Tui sepúlcri glória,
Mortem resúrgens víceras,
Nos morte culpæ líbera.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Dum esset Rex in accúbitu suo, allelúia.
℟. Nardus mea dedit odórem suavitátis, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Abeúntes Judæi muniérunt sepúlcrum advolvéntes lápidem ad óstium

monuménti, et signántes eum cum custódibus, allelúia.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in sepúlcro depósitus tértia die resúrgere voluísti : concéde fámulis tuis ; ut qui sepúlcri tui memóriam recólimus, resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur. Qui vivis.

Deinde fit Comm. Domin.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui surrexísti a mórtuis, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Capit. Cum consummássent.

℟. *br.* Tuum sepúlcrum adorámus Dómine. * Allelúia, allelúia. Tuum. ℣. Et recólimus tuam gloriósam resurrectiónem. Allelúia, allelúia. Glória. Tuum.

℣. Vere locus iste sanctus est, allelúia. ℟. Et ego nesciébam, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Matth.* 27.

ET accépto córpore, Joseph invólvit illud in síndone munda, et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra.

℟. *br.* Vere locus iste sanctus est. * Allelúia, allelúia. Vere. ℣. Et ego nesciébam. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Vere.

℣. Te decet hymnus Deus in Sion, allelúia. ℟. Et tibi reddétur votum in Jerúsalem, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. *Lucæ* 24.

UNA sábbati valde dilúculo, venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes, quæ paráverant arómata, et invenérunt lápidem revolútum de monuménto.

℟. *br.* Te decet hymnus Deus in Sion. * Allelúia, allelúia. Te decet. ℣. Et tibi reddétur votum in Jerúsalem. Allelúia, allelúia. Glória. Te decet.

℣. Lápidem quem reprobáverunt, allelúia. ℟. Hic factus est in caput ánguli, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Añæ. ut supra in j. Vesp. Ps. de Dom. et loco ultimi.

Psalmus 126.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus : * cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.

Qui illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui :

Si non proposúero Jerúsalem; * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto Dómine filiórum Edom, * in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera :* beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus, qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Capit. et Hymnus ut in j. Vesp.

℣. Ipsum gentes deprecabúntur, allelúia. ℟. Et erit sepúlcrum ejus gloriósum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Introeúntes in monuméntum vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt, allelúia.

Et fit Commem. Dom.

DIE 11. MAII.

SS. Cleti *et* Marcellini

Pontificum Martyrum.
Semiduplex.

Ut in Breviario die 26 Aprilis.

DIE 16. MAII.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris. Duplex.

Ut inter Festa pro aliquibus locis j. loco.

DIE 22. MAII.

(d. a. e 16 hujus).

S. Ubaldi

Episcopi et Confessoris.
Semiduplex.

Ut in Breviario die 16. Maii. (m. t. v.)

DIE 24. MAII.

B. M. V. *titulo* Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE I. JUNII.

Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Duplex majus.

AD VESPERAS,

Añæ. et Capit. de Laud. Psalmi de B. M. V.

Hymn. Ave, maris stella.

℣. Exúlta in omni corde, fília Jerúsalem, allelúia. ℟. Rex Israel Dóminus in médio tui, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Exultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo, allelúia.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui in corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti; concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave, María, grátia plena, * Dóminus tecum, allelúia.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus. Quem terra.

In I. Nocturno.

Aña. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui, allelúia.

Psalmi ut in Off. B. M. V.

℣. Anima mea liquefácta est, allelúia. ℟. Ut locútus est diléctus, allelúia.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j.

QUam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! óculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea lábia tua; et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : lætétur

cor meum * Ut tímeat nomen tuum, allelúia. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. — Ut tímeat.

Lectio ij.

VEni in hortum meum, soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis, comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis : áperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea, quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi ut aperírem dilécto meo, manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo, at ille declináverat atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus fortitúdo mea, * Super excélsa dedúcet me, allelúia. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. — Super.

Lectio iij.

QUalis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum : qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? Quo declinávit diléctus tuus? et quærémus eum tecum. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea perfécta mea; una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, * Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancíllæ tuæ, allelúia. ℣. In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis. — Qui consolátus. Glória. Qui consolátus.

In II. Nocturno.

Aña. Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

℣. Fortis est ut mors diléctio, allelúia. ℟. Dura

sicut inférnus æmulátio, allelúia.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Ex Serm. 9 de Visit.

Lectio iv.

QUis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis genitríce quidquam módicum, sive grande, præsumat pollútis lábiis nomináre : quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in vírginem digníssimam : Fílius elégit in matrem : Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virgínei cordis, sanctíssimo ore prolátos, éfferam : quibus non súfficit lingua ómnium hóminum et étiam angelórum? Dóminus enim ait : bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quæ méruit éffici mater Dei, quæ in corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo cor vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ et glória : * Opes supérbæ et justítia, allelúia. ℣. Ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam. — Opes.

Lectio v.

DE hoc ígitur corde, quasi fornáce divíni ardóris, Virgo beáta prótulit verba bona, idest verba ardentíssimæ caritátis. Sicut enim a vase, óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum : aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens : sic de corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi summéque divíni amóris atque ardóris. Septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth, bis étiam. Cum Fílio, étiam bis. Cum minístris in núptiis, semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine proláta, quasi sunt septem flammæ cordis ejus.

℟. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis. * In me omnis spes vitæ et virtútis, allelúia. ℣. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus mei implémini. — In me omnis

Lectio vj.

QUÆ verba consíderans mens devóta, cum ipso prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, idest ómnibus affectiónibus, elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has septem flammas amóris verbórum Vírginis benedíctæ. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris soporántis. Sexta amóris compatiéntis. Séptima amóris consummántis.

℟. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino, allelúia. ℣. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam : omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. — Qui. Glória. Qui.

In III. Nocturno.

Aña. Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? allelúia.

℣. Ego dilécto meo, allelúia. ℟. Et ad me convérsio ejus, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore, dixit mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ presbyteri.

In Homilia de Dom. I. post Epiph.

MAter ejus, inquit Evangelísta, conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Omnia, quæ de Dómino vel a Dómino dicta, sive acta, cognóverat Mater virgo, diligéntius in corde retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus

prædicándæ sive scribéndæ incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem : * Neque flúmina óbruent illam, allelúia. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.—Neque flúmina.

Lectio viij.

Horum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos, inánium, nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus : horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis, et male dulcorátis detractiónum collóquiis, castigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus.

℟. Spíritus meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Qui audit me non confundétur. * Et qui operántur in me non peccábunt, allelúia. ℣. Qui elúcidant me vitam ætérnam habébunt.— Et qui. Glória Patri. Et qui.

Lectio ix.

Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, sollícite præmonstrémus : frequentándo vidélicet ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quæ ad laudem gloriámque conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Trahe me * post te, currémus in odórem unguentórum tuórum, allelúia.

2. Diléctus meus * lóquitur mihi : surge, própera, amíca mea, allelúia.

3. Fúlcite me flóribus, * stipáte me malis : quia amóre lángueo, allelúia.

4. Adjuro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis diléctam, quoadúsque ipsa velit, allelúia.

5. Ego dórmio, * et cor meum vígilat, allelúia.

Capitulum. *Cant.* 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum.

Hymnus. O gloriósa vírginum.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, allelúia. ℟. Et háuriet salútem a Dómino, allelúia.

Ad Bened. Aña. Extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: beátus venter, qui te portávit, et úbera quæ suxísti, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui in corde beátæ Maríæ vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti, concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum, vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

AD PRIMAM.

℣. Qui natus es de María vírgine.

AD TERTIAM.

Cap. Pone me. *ut supra.*

℟. *br.* Anima mea liquefácta est. * Allelúia, allelúia. Anima. ℣. Ut locútus est diléctus. Allelúia, allelúia. Glória. Anima.

℣. Fortis est ut mors diléctio, allelúia. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Eccli.* 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram, ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est. Ut mors diléctio. * Allelúia, allelúia. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Fortis.

℣. Ego diléсto meo, allelúia. ℟. Et ad me convérsio ejus, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. *Eccli.* 24.

In omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dñi morábor.

℟. *br.* Ego diléсto meo. Allelúia, allelúia. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus. Allelúia, allelúia. Glória. Ego diléсto meo.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, allelúia.
℟. Et háuriet salútem a Dómino, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri, allelúia.
℟. Cum dilatásti cor meum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Exultávit cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna, qui potens est, allelúia.

DIE 6. JUNII.

SS. Artemii, Candidæ et Paulinæ

Martyrum, quorum Corpora in basilica Cathedrali quiescunt. Duplex.

Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Artémii, Cándidæ et Paulínæ natalítia colére : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ARtémius, et Cándida uxor ejus, ac Paulína virgo ipsórum fília, Romæ, Diocletiáno imperánte, ad Christi fidem a sancto Petro exorcísta convérsi sunt. Hic enim, cum apud eúmdem Artémium in cárcere detinerétur, fíliam ejus Paulínam a dæmone vexátam liberávit : quo miráculo, ac Petri prædicatióne, illi permóti in Christum credidérunt, et una cum tota família sua a sancto Marcellíno presbytero baptizáti sunt.
℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia.
℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum, gáudium et exsultatiónem obtinébunt. — Et.

Lectio v.

PRoptérea, Seréni júdicis jussu in víncula conjécti, variísque minis ac supplíciis, ut diis sacrificárent, exagitáti cum in confessióne Christi constántes persísterent, martyrii corónam adépti sunt. Artémius quidem plumbátis cæsus, gládio perémptus est : Cándida vero et Paulína in crypta rudéribus ac lapídibus óbrutæ. Quorum córpora via Aurélia, ubi una cum sanctis Marcellíno et Petro martyrium pertulérunt, a christiánis reli-

gióse cóndita, póstea Placéntiam deláta, in æde Cathedráli pie conservántur; quæ anno millésimo octingentésimo septuagésimo sexto recógnita ab epíscopo Joánne Baptísta, in antíquo sepúlchro dénuo compósita sunt.

℟. In servis suis, allelúia, *Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. — Consolábitur.

Lectio vj.

Quibus ego vos, *de Comm. ij. loco.*

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Ne quisquam putáret. *de Communi ij. loco.*

DIE 7. JUNII.

(d. a. ex heri).

S. Norberti

Episc. et Conf. Duplex.

Ut in Brev. die 6 huj.

DIE 17. JUNII.

B. Pauli Burali de Aretio

Placentiæ

Episc. et Conf. Duplex.

Oratio.

DEus, qui admirábiles vocatiónis tuæ trámites in beáto Paulo multifórmiter ostendísti: ejus nobis intercessióne concéde, ut te vocántem et intellígere et fidéliter sequi valeámus. Per Dóminum.

Commemoratio
de sanctis Patronis nostris.

Ubique ab omnibus facienda tam in civitate, quam in diœcesi, inter suffragia communia Sanctorum in Vesp. et Laud. præter in locis ubi peculiaris patronus habetur.

In Vesperis, Aña. Inclyti mártyres Christi Antonínus et Justína, exstinguéntes ímpetum ignis, et in occisióne gládii moriéntes immortális glóriæ coróna sunt decoráti.

℣. Dominabúntur sancti pópulis. ℟. Et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Oratio.

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, ut pópulus tuus, qui sub tantis sanctórum mártyrum tuórum Antoníni et Justínæ patrocíniis est constitútus, et a suis offensiónibus liberétur, et ab ómnibus protegátur advérsis.

In Laudibus, Aña. Sanguis sanctórum mártyrum Antoníni et Justínæ pro Christo effúsus est in terra : ídeo adépti sunt múnera sempitérna.

℣. *et Oratio ut in Vesp.*

INDEX.

JUNIUS.

APPROBATIO.

De mandato Illmi et Rmi Joannis Baptistæ Scalabrini Placentini Episcopi vidi et perlegi hanc editionem Officiorum Ecclesiæ Placentinæ typis DESCLÉE, LEFEBVRE & SOC. Tornaci excusam, et probatis exemplaribus consonam esse recognovi.

Romæ, die 25 Junii 1902.

C. PETRUS PIACENZA Proton. Ap.

Archipr. Cathedr. Placentin.

Imprimatur.

Tornaci, die 22 Julii 1902.

Vict. DUREZ, Vic. Gen.



OFFICIA PROPRIA
ECCLESIÆ PLACENTINÆ
CONCESSA.

PARS ÆSTIVA.

DIE 16. MAII.

S. Joannis Nepomuceni

Martyris. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliqu. locis j. loco.

DIE 22. MAII.

(d. ass. ex 16. huj.)

S. Ubaldi

Episc. Conf. Semiduplex.

Ut in Breviario die 16. hujus.

DIE 24. MAII.

B. M. V. *titulo* **Auxilium Christianorum.**

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 1. JUNII.

Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis, Dominica post Octavam Assumptionis.

DIE 6. JUNII.

SS. Artemii, Candidæ et Paulinæ

Martyr. quorum Corpora in basilica Cathedrali quiescunt. Dupl.

Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Artémii, Cándidæ et Paulínæ natalítia colére : da nobis

in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ARtémius, et Cándida uxor ejus, ac Paulína virgo ipsórum fília, Romæ, Diocletiáno imperánte, ad Christi fidem a sancto Petro exorcísta convérsi sunt. Hic enim, cum apud eúmdem Artémium in cárcere detinerétur, fíliam ejus Paulínam a dæmone vexátam liberávit : quo miráculo, ac Petri prædicatióne, illi permóti in Christum credidérunt, et una cum tota família sua a sancto Marcellíno presbytero baptizáti sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

PRoptérea, Seréni júdicis jussu in víncula conjécti, variísque minis ac supplíciis, ut diis sacrificárent, exagitáti, cum in confessióne Christi constántes persísterent, martyrii corónam adépti sunt. Artémius quidem plumbátis cæsus, gládio perémptus est : Cándida vero et Paulína in crypta rudéribus ac lapídibus óbrutæ. Quorum córpora via Aurélia, ubi una cum sanctis Marcellíno et Petro martyrium pertulérunt, a christiánis religióse cóndita, póstea Placéntiam deláta, in æde Cathedráli pie conservántur; quæ anno millésimo octingentésimo septuagésimo sexto recógnita ab epíscopo Joánne Baptísta, in antíquo sepúlchro dénuo compósita sunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lect. vj. Quotiescúmque. *de Comm. j. loco.*

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno, Homilia. Advérte ómnia. *de Communi ij. loco.*

DIE 7. JUNII.

(d. ass. ex heri.)

S. Norberti

Episc. Conf. Duplex.

Ut heri in Breviario.

DIE 17. JUNII.

B. Pauli Burali de Aretio

Placentiæ Episc. et Conf.
Duplex.

Oratio.

DEus, qui admirábiles vocatiónis tuæ trámites in beáto Paulo multifórmiter ostendísti: ejus nobis intercessióne concéde, ut te vocántem et intellígere et fidéliter sequi valeámus Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

PAulus de Arétio, ex prisca Burálium stirpe, Itrii in Campánia ortus, ab ineúnte ætáte omnígenæ virtútis non unum spécimen dedit. Sæculi illécebras, et neapolitáni fori jam sibi arridéntem celebritátem in ipso juventútis flore contémnens, Itrium secéssit; refugiénsque régium sanctæ Claræ consílium, in quo a Cárolo quinto se comparátum intelléxerat, rusticáno hábitu se ábdidit in sylvis. Sed ab immíssa équitum manu quæsitus deprehensúsque Neápolim régredi, impositúmque munus capéssere cógitur. Verum vir Dei áulicos ac forénses strépitus fastídiens, regulárem pótius vitæ statum ac recéssum ardébat. Quem tandem, plúribus humilitátis et perseverántiæ præstitis arguméntis, inter Cléricos Reguláres obtínuit.

℟. Invéni David servum meum óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

DIutúrni atque exoptatíssimi voti compos effféctus, in ipso statim tyrocínio, mirum quantum in regulári disciplína, atque in omni virtútum génere profécerit. Cum sóciis, Andrea Avellíno præsértim, de majóri alacritáte, et de durióri quólibet ac fœdióri ópere perfungéndo contendébat sæpius, et præ víribus pugnábat. A quo humilitátis stúdio ad vilíssima quæque dedúcto, post repetítas sui órdinis præfectúras, post amplíssimam ad Philíppum Hispaniárum regem fun-

ctam legatiónem, post hábitas étiam de morum controvérsiis lectíssimas consultatiónes, numquam vel mínimum discéssit, ut strénue proínde non una episcopáli sede recusáta, ad placentínam, tum ad neapolitánam, non potúerit, nisi suprémis ádigi obediéntiæ légibus, et inter ipsos purpurátos patres nonnísi ánxio ac reluctánti ánimo adscísci.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

VErum in his ómnibus nihil immutátus, caritátis atque religiónis stúdio veheméntius exársit. Tridentíni decréta morúmque reformatiónem, éditis synodis zelávit, induxítque. Christiánæ disciplínæ scholas apéruit: religiosórum cœnóbia, fœminárum collégia, clericórum seminária excitávit non solum, sed victu étiam fovit et stipe frequénti. Hæréticis, hebræis, turcis, sodalitátibus concionibúsque ad eórum conversiónem institútis, consúluit; ac úndique, ópera ejus et exémplo, instauráti mores, excísæ corruptélæ, usúræ, blasphemíæ, impudicítiæ procul amandátæ. Quibus aliísque plúribus labóribus, ærúmnis, pœniténtiísque conféctus, et præ vírium imbecillitáte córpore pene fatíscens, in terram, acérbo casu femóre fracto, prostrátus est. Quo ex vúlnere, anno ætátis sexagésimo séptimo, diris dolóribus ad extrémum usque fórtiter tolerátis, evolávit in cœlum.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres. *de Comm. j. loco.*

DIE 22. JUNII.

SS. Decem Millium Mart. Crucifixor.

Duplex majus.

Ex voto edito a populo Placentino, ab episcopo Alexandro Scappio approbato, et imperato 14 Julii 1630, in civitate tantum jejunatur pridie hujus festi ac hodie sacrum auditur.

Insignis reliquia brachii S. Acacii, unius ex dictis

SS. Martyribus, in Cathedrali basilica pie asservatur.

Oratio.

DEus, qui ad imitándum passiónis tuæ exémplum decem míllia mártyrum crucis patíbulum subíre fecísti : concéde propítius; ut qui passiónem eórum venerámur in terris, passiónis tuæ remédia cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres debitóres. *de Comm. j. loco.*

In II. Nocturno.

Ex Martyrológio románo, et græco menológio, ex sermóne sancti Ephrem in laudem mártyrum.

Lectio iv.

DEcem míllium mártyrum nóbile certámen, quo in monte Arméniæ Ararath pro christiánæ fídei confessióne crúcibus affíxi, claríssimum trophæum sánguinis cœlo victóres intulérunt, ecclésia latína et græca pari consénsu públicis insculptum monuméntis, anniversário ritu, ac viréntí in sempitérnum memória, dignis præcóniis célebrat.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

IN eórum sane laudes egrégias sancti patris Ephrem verba miríﬁce cóncinunt, cum ita mártyres prædicat : Quibus vos encómiis célebrem, o perfécti púgiles Christi? aut quo vos nómine appéllem, viri ínclyti, ac ter quatérque beáti? Obstúpuit namque summórum oratórum eloquéntia, et philosophórum sapiéntia; dum ádeo mirabília in Christi servis fieri cérnerent.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut hæredes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut hæredes.

Lectio vj.

TYránnis atque judícibus verba defécerunt, sanctórum Christi már-

tyrum fidem atque constántiam, alacritatémque cum incredíbili toleránta atque perseverántia intuéntibus. Quam ergo nos, quæso, dilectíssimi fratres, in die extrémi judícii excusatiónem apud Deum habébimus, qui absque ulla persecutiónis atrocitáte, tormentorúmque vi, caritátem Dei, vitámque nostram usque ádeo negléximus, atque tam profúndo torpóris atque desídiæ somno demérsi sumus?

℟. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. *de Communi.*

Lectio ix. de S. Paulino.

DIE 23. JUNII.

B. Philippi Suzani

Placentini Confessoris

Cujus Corpus in Ecclesia S. Laurentii Placentiæ asservabatur, nunc in Cathedrali basilica quiescit.

Duplex.

Oratio. Deus qui nos. *de Comm.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Philíppus placentínus, Suzanórum sánguine clarus, jam inde a púero illústria dedit futúræ sanctitátis indícia. Nam a genitóribus suis pie educátus, statim ac per ætátem Deum cognóscere ei lícuit, ómnium cogitatiónum suárum primítias, seséque totum eídem consecrávit. Adoléscens ad conservándam innocéntiam ánimi, negléсto patérnæ domus splendóre, cunctísque spretis vanitátibus sæculi, monásticæ vitæ disciplínam in órdine Eremitárum sancti Augustíni suscépit. Ibi quo áltius religiósæ perfectiónis fastígium attólleret, egrégiæ humilitátis fundaménta jecit; atque ídeo ita de se demísse sentiébat, ut quamvis géneris claritáte et probitáte morum præstáret, tamen ómnium se mínimum ingénue censéret, atque ex ánimo nomináret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi clari-

tátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

ORándi stúdium in eo assíduum fuit et ardentíssimum. In rerum vero cœléstium contemplatióne ita defíxus erat, ut ab ómnibus terrénæ hujus habitatiónis delíciis semper abhórrens, totus in æternórum desidérium et amórem rapi perpétuo viderétur. Indeque factum est, ut quidquid ex ejus ore prodíret, non leve unquam et ináne esset, sed supérna semper et cœléstia tantúmmodo redoléret. Quamóbrem sermo illíus omnis eo tantum spectábat, ut vel ad cadúcas res aspernéndas, vel ad cœléstem beatitúdinem consequéndam,vel ad diligéndum Deum et próximum attinéret. A sacrosáncto missæ sacrifício numquam abstínuit, quod, magnam vim lacrymárum profúndens ex caritátis impúlsu, in defunctórum præcípue subsídium offérre consuévit. Tantam hanc servi sui religiónem quam gratam et accéptam habúerit Deus, miráculis ipsis aliquándo patefáctum est. Sed et cáritas, quam máxime in ægrotórum valetúdine curánda exércuit, insígnis fuit et prodigiósa. Paupertátem, castitátem, et obediéntiam summo stúdio servávit, et cæterárum virtútum offícia diligentíssime cóluit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei. et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

DEnique cum vitam omnem per hujúsmodi pias exercitatiónes religiosíssime transegísset, méritis plenus Placéntiæ Creatóri suo spíritum placidíssime réddidit, anno post Christum natum millésimo tercentésimo sexto. Nec defuére mirácula, quæ sanctitátem illíus illustrárent. Servi Dei corpus, quod diu latúerat, invéntum, suáve oléntia, quæ opiniónem sanctitátis augéret, ad ipsíus veneratiónem magis magísque pópulum invitávit. Ibi Philíppus, novo extrúcto

sacéllo, públicum ac perénnem cultum sibi ab óbitu præstitum illustriórem obtínuit. Quo quidem Clemens decimustértius prius exploráto et compérto, indúlsit illum beatórum número ádscribi. Novíssime autem sacrum prædícti beáti corpus ab ecclésia sancti Lauréntii, ubi jámdiu quiéverat, ad basílicam cathedrálem anno millésimo octingentésimo octávo solémni pompa translátum, ac anno millésimo octingentésimo octuagésimo quarto ab epíscopo Joánne Baptísta recógnitum, sub ara ómnium sanctórum placentínæ ecclésiæ antístitum religióse asservátur et cólitur. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii, fratres, *de Comm. j. loco.*

DIE 4. JULII.

S. Antonini Martyris.

PRIMARII PLACENTIÆ PATRONI
CUJUS CORPUS CUM AMPULLA SANGUINIS PLACENTIÆ
IN PROPRIA BASIL. SUMMA VENERATIONE
ASSERVATUR ET COLITUR.

DUPLEX I. CLASS. CUM OCTAVA.

AD VESPERAS.

Añæ de Laudibus, Psalmi de Dominica et loco ultimi Psalm. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Ephes.* vj. 10.

FRatres, confortámini in Dómino et in poténtia virtútis ejus, et indúite vos armatúram Dei ut póssitis stare advérsus insídias diáboli.

Hymnus.

NON timent mortis rábiem, nec ævi,
Quidquid et terris vel edácis extat,
Mártyrum Christi, rubicúnda multo
Sánguine, membra.
Ecce tercéntum licet ossa lustris
Et cubent udo tumuláta saxo,
Dénuo Antoníni hiláres revísunt
Lúminis oras.
O dies felix celebránda plausu!
Rite qua nobis patris ac patróni
Inclyti rursus cíneres, Joánne
Præsule, clarent!
Nunc piis lectæ mánibus quiéscunt
Cóndita ex auro rutilánte in urna,

Et vitris clara et pretiosióri
Arte fábrili.
O spei nostræ moniménta, avéte!
Urna ter nobis níteas beáta!
Tu decus semper columénque adésto
Rebus in arctis.
Tu Placentínis dabis usque pacem;
Ingruant nimbi, fera bella, pestes,
Oppidis ac urbi eris in salútem
Iris et arca.
Sit salus summæ Triádi perénnis,
Sæpe quæ tanti précibus vocáta
Mártyris, nobis tríbuat supérna
Scándere ad astra.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Magnificat, Aña. Hic est Antonínus Christi martyr gloriósus, qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte nostra.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc pópulum beáti Antoníni mártyris tui glorióso patrocínio circúmdas et prótegis; concéde propítius; ut tanto præsídio muníti certántes in terris, cum ipso quoque coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beáti Antoníni mártyris.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus ut supra in Vesperis.

Añæ, Psalmi et ℣. de Comm. unius Mart.

In I. Nocturno.

De libro primo Machabæórum. *II. 31.*

Lectio j.

Et renuntiátum est viris regis, et exercítui, qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessíssent viri quidam, qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occúlta in desérto, et abiíssent post illos multi. Et statim perrexérunt ad eos, et constituérunt advérsus eos prælium in die sabbatórum, et dixérunt ad eos: resístitis et nunc adhuc? exíte, et fácite secúndum verbum regis Antíochi, et vivétis. Et dixérunt: non exíbimus, neque fa-

ciémus verbum regis, ut polluámus diem sabbatórum. Et concitavérunt advérsus eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occúlta, dicéntes : Moriámur omnes in simplicitáte nostra : et testes erunt super nos cœlum, et terra, quod injúste pérditis nos.

℟. Mílites Thebæi dixérunt Maximiáno : nos simulácra tua despícimus; * Nos unum Deum cólimus, qui fecit cœlum et terram. ℣. Simulácra géntium argéntum et aurum, símiles illis fiant, qui fáciunt ea, et omnes qui confídunt in eis. — Nos unum Deum.

Lectio ij.

ET appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, et dixit fíliis suis : Nunc confortáta est supérbia, et castigátio, et tempus eversiónis, et ira indignatiónis. Nunc ergo, o fílii! æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, et mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; et accipiétis glóriam magnam et nomen ætérnum. Abraham, nonne in tentatióne invéntus est fidélis, et reputátum est ei ad justítiam? Joseph, in témpore angústiæ suæ, custodívit mandátum, et factus est dóminus Ægypti. Phínees, pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. Jesus, dum implévit verbum, factus est dux in Israel. Caleb, dum testificátur in ecclésia, accépit hæreditátem. David, in sua misericórdia, consecútus est sedem regni in sæcula. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Ananías et Azarías et Misáel credéntes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum.

℟. Maximiánus ira pércitus misit exércitum in Thebæos, * Et eos trucidári imperávit. ℣. Posuérunt carnes sanctórum tuórum béstiis terræ, effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem. — Et eos.

Lectio iij.

ET ita cogitáte per generatiónem, et generatiónem; quia omnes,

Jesu Christi. ℣. Cum vidísset tribúnus eum a fide avértere non posse gládio necári jussit. — Et conféssus. Glória. Et conféssus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum persequéntur vos in civitáte ista, fugíte in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii epíscopi.

Ex Apologia de fuga sua.

IN lege præcéptum erat ut constitueréntur civitátes refugiórum; ut, qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud ipsum Verbum Patris, quod Móysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fugíte in áliam. Paulóque post súbjicit : cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem prophétam, consisténtem in loco sancto, qui legit intélligat, tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam.

℟. Sanguis tunc effúsus manet; * Testis nobis ejus passiónis. ℣. Adhuc rubet, ac post sæcula vívidus repértus est. — Testis nobis.

Lectio viij.

HÆC cum scirent sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in sanctis : et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam, quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum, propter nos homo factum, non indígnum putávit, cum quærerétur, quemádmodum et nos, abscóndere se; et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre : cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati

volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus.

℟. Dedit Dóminus mártyri invícto gládium áureum dicens : * Accipe sanctum gládium, munus a Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei. ℣. Hic est fratrum amátor et pópuli hujus; hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa societáte. — *Accipe. Glória Patri. Accipe.

Lectio ix.

AT vero sancti hómines, cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent, (ab ipso enim et ántea et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres ut legítime certárent, fugiébant, et ab illis quæsiti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere : sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre, et vivificáre, pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis et péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus, cum eis loquerétur, in insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ.

1. Antonínus miles * índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias diáboli.

2. Stetit succínctus * lumbos suos in veritáte, et indútus lorícam justítiæ.

3. Assúmpsit scutum * fídei, gáleam salútis, gládium spíritus, et calceátos hábuit pedes in præparatiónem Evangélii pacis.

4. Certávit bonum certámen, et extínxit ómnia tela iniquíssimi tyránni.

5. Trádidit invíctus * corpus suum propter Deum ad supplícia, et méruit habére corónam perpétuam.

Capitulum. *Eph.* vj. 10.

FRatres, confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus, et indúite vos armatúram Dei,

ut póssitis stare advérsus insídias diáboli.

Hymnus.

O Fortis inter mílites,
Terræ cadúcam glóriam
Viríliter qui réspuens,
Alto triúmphas æthere.

Hanc, quam rigásti sánguine,
Quam reddidísti dívitem,
Nunc tam beáto pígnore,
Urbem benígnus áspice.

Nos sanguis iste præmonet,
Quæ sis datúrus múnera;
Sic nuper hic de córpore
Manans spopóndit grátias.

Undas salúbres ímbrium
Nobis dedísti, et ímpetus
Longe fugátos hóstium
Per te repénte sénsimus.

Audi preces, quas fúndimus
In hoc vagántes æquore,
Syrtes tot inter déviis
Præbe salútis sémitam.

Ut æmulántes cárpere
Tecum labóris láuream,
Queámus olim pérfrui
Tecum quiétis præmio.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

Ad Bened. Aña. O Antoníne beatíssime, quos tui córporis præsídio deféndis, nos comménda indesinénter Deo, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc pópulum beáti Antoníni mártyris tui glorióso patrocínio circúmdas et prótegis : concéde propítius; ut tanto præsídio muníti certántes in terris, cum ipso quoque coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitul. Fratres, confortámini, *ut supra.*

℟. *br.* Glória et honóre * Coronásti eum Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Ephes.* 6.

NON est nobis colluctátio advérsus carnem, et sánguinem : sed advérsus príncipes, et po-

testátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ in cœléstibus.

℟. *br.* Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. *Ephes.* 6.

INdúti loricam justítiæ, et calceáti pedes in preparatióne Evangélii pacis, in ómnibus suméntes scutum fídei, gáleam salútis assúmite, et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

℟. *br.* Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória Patri. Magna.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II. VESPERIS.

Añæ de Laud. Ps. de Dom. et loco ult. Ps. Crédidi. *Capitul. Hymn. de j. Vesp.*

℣. Certámen forte dedit illi ut vínceret. ℟. Et accípere méruit corónam glóriæ.

Ad Magnif. Aña. Hódie beátus Antonínus conféssus est coram homínibus nomen Dómini Jesu Christi, allelúia. Hódie, amputáto cápite, miles invíctus glória et honóre coronátus, candidáto mártyrum exercítui in cœlis ádscribi méruit, allelúia.

DIE 9. JULII.

S. Veronicæ

De Julianis, Virg.

Duplex.

Ut inter festa pro aliquibus locis.

DIE 11. JULII.

Oct. S. Antonini

Mart. Duplex.

Omnia ut in festo, præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De sermóne S. Victrícii Epíscopi.

Lectio iv.

Lib. de laude sanct. §. *6.*

QUid est áliud, caríssimi, martyr, nisi Christi imitátor, dómitor rábidæ voluptátis, calcátor ambitiónis, et mortis ambítor, contémptor divitiárum, comprés-

sor lascíviæ, intemperántiæ persecútor? Cui numquamsceptrumprudéntiæ avarítia prærípuit, aut cupíditas vindicávit? Per hos virtútum gradus, unde descénderat, Salvátor ascéndit, docénte apóstolo: Qui descéndit, ipse est qui ascéndit super omnes cœlos. Per hos dénique secum, quos prædestinávit, evéxit, dicens: Pater, quos mihi dedísti, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum. Prudéntia, justítia, fortitúdo, temperántia via cœléstis est. Isti sunt venerándi, isti sunt sancti, qui morti mortem intulérunt, sicut légimus: Qui credit in me, licet moriátur vivit. O quam pretiósa est in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

℟. Invíctus Christi miles Antonínus in hanc véniens civitátem, * Ibi Christum crucifíxum prædicávit. ℣. Multus númerus credéntium convérsus est ad Dóminum, et factum est gáudium magnum in hac civitáte. — Ibi Christum.

Lectio v.

Ibid. §. 10 *et* 11.

CErnimus parvas relíquias (sanctórum) non nihil sánguinis. Sed has minútias clarióres esse quam sol est, véritas intuétur, Dómino in evangélio dicénte: sancti mei fulgébunt sicut sol, in regno Patris; et tunc sol ámplius quam nunc clariúsque lucébit. Huc accédit, quod non minus in pártibus, quam in soliditáte curátio est. An áliter in oriénte Constantinópoli, Antiochíæ, Thessaloníæ, Naíso, Romæ in Itália, míseris pórrigunt medicínam? An áliter laborántia córpora defæcántur? Curat Ephesi Joánnes Evangelísta, prætérea et in locis plúrimis, et apud nos, ipsa ejus est medicína. Curat Bonóniæ Próculus, Agrícola, et heic quoque horum cérnimus majestátem. Curat Placéntiæ Antonínus. Curat Saturnínus, Trajánus in Macedónia. Curat Nazárius Mediólani, Mútius, Alexánder, Dátysus, Chyndéus larga virtúte grátiam salútis infúndunt. Quod si quidquid ubíque sanctórum est, párili pietáte cultóres suos deféndunt, purgant, tuéntur; adjicéndus cultus est, non discutiénda majéstas. Adsunt advocáti, delictórum nostrórum gesta oratióne

pandámus. Favent júdices, possunt mitigáre senténtiam, quibus dictum est: sedébitis super duódecim tribunália, judicábitis duódecim tribus filiórum Isräel.

℟. Qui incréduli fuérunt, suscitavérunt, et ad iracúndiam concitavérunt ánimas géntium advérsus Antonínum; * Et perduxérunt eum in forum ad tribúnum. ℣. Clamábant dicéntes : hic homo contúrbat civitátem nostram. — Et perduxérunt.

Lectio vj. *Ibid.* §. 11.

LIbénter nobíscum nostri mártyres versabúntur, si ad eórum famulátum puram consciéntiam deferámus. Certa victória est cum tálibus commilitónibus et cum Christo imperatóre pugnáre: tunc profécto in me splendébit gálea sacerdótis, si me in ácie cáritas vestra perspéxerit: incéndium glóriæ est, vobis spectántibus, vobis sequéntibus, dimicáre. Tuta státio, et salútis munitíssimus portus est, fides inconcússa et constántia spiritális. Bona vita nihil prodest, si néscias cui vivas. In altum rápiet turbo ventórum, levem et incrédulam mentem. Fides est, quæ sanctos vexit ad cœlum. Fides est, quæ flammas vertit in rorem, et in incéndii globos salutáre frigus immísit. Fides est, quæ fluctuántium undárum liquóres sub ambulántium vestígiis solidávit. Fides est, quæ mártyres in exémplum mortis éxhibet consecrátos. Fides est, quæ confessórum ánimas munívit in certámine passiónis.

℟. Stetit ante tribúnum Antonínus, * Et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi. ℣. Cum vidísset tribúnus eum a fide avértere non posse, gládio necári jussit. — Et conféssus. Glória. Et conféssus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore, dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fugíte in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Epist. 228. *n.* 2. *ad Honoratum.*

CUM autem persequéntur vos in civitáte ista, fugíte in áliam. Quis autem cre-

dat ita hæc Dóminum fíeri voluísse, ut necessário ministério, sine quo vívere néqueunt, deserántur greges, quos suo sánguine comparávit? Numquid hoc fecit ipse, quando portántibus paréntibus in Ægyptum, párvulus fugit, qui nondum ecclésias congregáverat, quas ab eo desértas fuísse dicámus? Numquid quando apóstolus Paulus, ne illum comprehénderet inimícus, per fenéstram in sporta submíssus est, et effúgit manus ejus, desérta est, quæ ibi erat ecclésia necessário ministério, et non ab áliis frátribus ibídem constitútis quod oportébat, implétum est? Eis quippe voléntibus, hoc Apóstolus fécerat, ut seípsum serváret ecclésiæ, quem próprie persecútor ille quærébat. Fáciant ergo servi Christi, minístri verbi et sacraménti ejus, quod præcépit, sive permísit. Fúgiant omníno de civitáte in civitátem, quando eórum quisquam speciáliter a persecutóribus quæritur. Unde illud quod epíscopum quemdam dixísse audívimus : si Dóminus nobis imperávit fugam in eis persecutiónibus, ubi potest fructus esse martyrii, quanto magis debémus fúgere stériles passiónes, quando est barbáricus et hóstilis incúrsus?

℟. Sanguis tunc effúsus manet; * Testis nobis ejus passiónis. ℣. Adhuc rubet, ac post sæcula vívidus repértus est. — Testis.

Lectio viij.

Ex eod. August. In Joan. tr. 43. n. 12.

Quid ergo agit homo fúgiens, occúltat se, ne inveniátur ab inimíco? Numquid agit, ut non moriátur? Sed ut paulo sérius moriátur. Non áccipit débiti securitátem, sed póstulat dilatiónem. Quámlibet diu differátur, véniet, quod differtur. Nolíte timére, eos qui occídunt corpus, et póstea non habent, quid fáciant. Quid si cum occíderint, corpus béstiis lacerándum et diripiéndum alítibus projícient? Vidétur adhuc sævítia habére, quod fáciat. Sed cui fáciat? Qui migrávit. Inest corpus, sed nullus est sensus: habitátio jacet, habitátor abscéssit. Ergo póstea non habent, quid fáciant: non sentiénti enim nihil fáciunt. Sed eum timéte,

qui habet potestátem, et corpus et ánimam occídere in gehénna ignis. Ecce de qua morte loquebátur, cum díceret: qui sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in ætérnum. Servémus ergo, fratres, sermónem ipsíus in fide, perventúri ad spéciem, cum accepérimus pleníssimam libertátem.

℟. Dedit Dóminus mártyri invícto gládium áureum dicens: * Accipe sanctum gládium munus a Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei. ℣. Hic est fratrum amátor et pópuli hujus; hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa societáte. — Accipe. Glória. Accipe.

Lectio ix. S. Pii I. Papæ et Mart. et Commem. ejusdem ad Laud. ut in Brev.

DIE 23. JULII.

S. Apollinaris

Æmiliæ Patr. min. princ. Duplex ij. classis.

Officium ut in Breviario præter Lectiones j. Noct. de Comm. j. loco.

DIE 24. JULII.

S. Gualterii

Confessoris.

Discipuli S. Raymundi. Duplex (m.t.v.)

Oratio. Adésto. *de Comm.*

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occur.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Gualtérius, civis laudénsis, ex Garbaneórum família ortum duxit. In eo vel ipsa natívitas admirábilis fuit: nam paréntes Aliprándus et Aléxia quum diu prole caruíssent, précibus, et voto inviséndi Príncipis apostolórum límina emísso, eum a Deo impetrárunt. Pie sanctéque institútus quíndecim annórum adoléscens, patre e vivis erépto, et matre jam senescénte sacram et religiósam domum ejus consílio ingréssa, próprias véndidit ædes, quarum prétium una cum cæteris famíliæ ópibus paupéribus distríbuit. Osténso pátriæ tam insígni caritátis exémplo, Placéntiam se cóntulit, ubi in sancti Raymúndi nosocomío tunc témporis célebri, ad biénnium morátus, eo, quo infirmórum curatóres utebántur, hábitu indútus, ómnium virtútum, et præsértim erga páuperes et ægrótos misericórdiæ: præclára óbtulit specímina. Deínde in pátriam re-

vérsus, in suburbáno sancti Bartholomæi xenodochío éadem caritátis ópera exércens, ad amplióra incœpta ánimum parávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum. * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum de dúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit illi.

Lectio v.

FRatrum utilitátibus alácriter studens, agrum, qui mille ab urbe pássuum viam mediolanénsem adjacébat bellis vastátum, Abduæ alluvióne inhóspitem a laudénsi município dono assecútus est: ibíque ad latrocínia et facínora præpediénda, quæ frequénter patrabántur, xenodochíum Misericórdiæ prius, dein ab ejus nómine nuncupátum, éxtrui curávit, eáque ratióne factum, ut illud latrónum latíbulum in egéntium et viatórum refúgium converterétur. Huic óperi Dei grátia favit, et magnum áttulit increméntum. Nam Hénricus de Séttala mediolanénsis archiepíscopus, Gualtério jam amicítia devínctus, sumptus suggéssit, ut prope hospítium Ecclésia sanctis apóstolis Philíppo et Jácobo dicáta erigerétur: et plúrimi utriúsque sexus fidéles in peregrínis excipiéndis et in ægrotántium ministério ei sócii se se adjunxérunt. Hisce concívium subsídiis, quum ejus institútum jam floréret, Gualtérius extra pátriam suæ caritátis ardórem diffúndere cœpit. Longobárdiæ províncias pene omnes péragrans, humanitátis vere apóstolus, multa instítuit páuperum hospítia, et históríca documénta adhuc recénsent illa, quæ ejus hortátu et consíliis Cremæ, Vercéllis et in via Januénsi non procul a Derthóna extrúcta fuérunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum.— Et.

Lectio vj.

PRæter graves labóres suscéptos in perlustrándis hospítiis, quorum auctor fúerat, mira in eo vitæ austéritas enítuit: nudis enim

pédibus incédens, módico cibo, vilibúsque induméntis conténtus, assíduis jejúniis, cilício, et voluntáriis cruciátibus corpus suum in servitútem redígere satagébat. Oratiónis stúdio, in quo Deus lacrymárum dono eum solabátur, óperam impénsius datúrus, sæpe in céllulam se se recipiébat, apud prædíctam ecclésiam, ad instar spelúncæ constrúctam, quam illíus parœciæ íncolæ Paradísuli nómine olim venerabántur. Prætérea grata afféctus pietáte erga beátum Petrum apóstolum, a quo vitam sibi a paréntibus exorátam nóverat, ejus límina pétiit, et álias sæpe, ut mos témporum ferébat, peregrinatiónes inívit. Tandem virtútibus et méritis cumulátus, morbo corréptus, undécimo kaléndas Augústi anno millésimo ducentésimo vigésimo quarto sub Honório tértio Pontífice quadragenárius obdormívit in Dómino, miráculis in vita et post óbitum a Deo exornátus. Sacrum ejus corpus, post várias vicissitúdines, ab Ecclésia supra memoráta, in qua diu servátum fúerat, in Cathedrálem translátum est, ubi in arca argéntea inclúsum, et sub ara majóri subterránea cónditum, pia veneratióne cólitur.

℞. Iste homo.

In iij. Nocturno, de Homilia. Pusíllum gregem. *de Comm. ij. loco.*

DIE 28. JULII.

S. Raymundi Palmerii

Conf. Plac. cujus corpus in ecclesia ejus nomini dicata Placentiæ adservatur.

Duplex majus.

Oratio. Adésto. *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. (S. R. C. 30 Junii 1896.)

In II. Nocturno.

Lectio iv.

RAymúndus ex húmili família de Zanfógnis Placéntiæ natus est médio sæculo duodécimo. Pie a paréntibus educátus, futúram sanctitátem a pueritia porténdit. Adoléscens sutóris artem exércuit et patre orbátus, ut suæ pietáti libérius vacáret loca terræ sanctæ, una cum matre, peregrínus invísit, ibíque desidério

desiderávit vitæ finem implére ubi Salvátor pro nobis passus et sepúltus est. In Itáliam rédiens ægrotávit in navi, ejúsque mater lácrimis et précibus ægre impetrávit ne illum in mare projícerent nautæ, qui ex superstitióne arbitrabántur mortem uníus in navi, cæteris fore funéstam. Cum autem líttora attigísset, conváluit, et ipsi matri, morte sanctíssima e vita decedénti, extréma pietátis offícia persólvit. Ut erat in more peregrinórum redeúntium a Palestína, Raymúndus in pátriam venit palmam præ mánibus gerens, unde ipsi Palmério cognómen fuit. Arte resúmpta, qua victitábat, in ecclésia sanctæ Brígidæ in cujus vicínia degébat assíduus erat, devotíssime orans coram imágine Christi Crucifíxi, quam pópulus placentínus usque in præsens venerátur. Consílio familiárium obsecútus, uxórem duxit, e qua sex fílios suscépit quos pie educátos cœlo præmísit, uno supérstite Gerárdo. Defúncta uxóre, sacras peregrinatiónes Románam scílicet et Compostellánam dénuo suscépit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum. * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Raymúndo Placéntiam revérso, Tedáldus epíscopus domum illam concéssit apud ecclésiam duódecim Apostolórum, quam olim pius Albértus Morónus ægrótis curándis eréxerat. Ibi ardentíssimæ caritátis spécimen præbuit, totum enim se dedit ut infírmis omnímode subveníret, quorum número succrescénte collatícia cívium pecúnia, quam ostiátim urbem lustrans obtinúerat, hospítio suo de ánnuis reddítibus cavit usque in hodiérnum diem. Ejus erga infírmos caritátis fama apud éxteros étiam percrebrescénte sanctus Gualtérius laudénsis, júvenis honestíssimus, illi adjutórem se et discípulum adjúnxit, qui dein Laude Pompéia idem hospítium excitávit

et rexit. Nullum fuit calamitátis genus cui patérne Raymúndus non occúrrerit; derelíctos, egénos, órphanos, afflíctos, oppréssos pie fovit, protéxit, deféndit. Mulíeres lapsas ad meliórem frugem revocátas in asylym recipiéndas curávit. Urbem péragrans cærúlea clamyde contéctus, crucémque in húmeris gerens pœniténtiam prædicábat, atque singulária certámina et lúdricas circórum pugnas fratérna cæde cruéntas acérrime insectabátur. In cívium discórdiis componéndis mirábilis evásit, non tantum in pátria sed étiam placentínos inter et cremonénses, qui aliquándo eum custódiæ tradidérunt; sed cógnita viri sanctimónia honóribus máximis prosecúti sunt. Hinc sicut æqualis ejus Homóbonus Cremónæ et Raymúndus Placéntiæ páuperum pater, et oppressórum advocátus ab ómnibus hábitus fuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

PLenus ítaque meritórum evolávit in cœlum die vigésima octáva Júlii anno millésimo ducentésimo, et ad ejus funus triumphále tota cívitas convénit præeúnte epíscopo Grimério. Corpus ejus apud ecclésiam duódecim Apostolórum cónditum est; Gerárdus vero ejus fílius, pietáte et ipse insígnis, sacérdos augustiniánus factus, patérnum hospítium gubernándum et sepúlchrum custodiéndum suscépit. Ad quod statim ob celebritátem et multitúdinem miraculórum, íncolæ et ádvenæ assídue conflúere cœpérunt, e quibus sanctus Raymúndus e Pénnafort, tunc audítor in bononiénsi archigymnásio. Inde ecclésia ipsa beáti Raymúndi Palmérii nómine nuncupáta est, cui sanctum Fulcum placentínum antístitem a románo pontífice cœléstium honóres, ferunt, impetrásse. Sæculo vero décimo quinto quum ómnia hospitália quæ Placéntiæ plúrima erant, in unum ab epíscopo

plaudéntibus cívibus conjúncta sunt, apud ecclésiam sancti Raymúndi monastérium vírginum órdinis cisterciénsis institútum est; quo, ineúnte sæculo décimo nono, evérso atque ecclésia profanáta, sacrum Palmérii corpus in Cathedráli basílica recéptum est; sed caput ad suam ecclésiam, dénuo cúltui restitútam, paucis post annis a Ludovíco antístite relátum fuit. Tandem anno millésimo nongentésimo, occurrénte séptimo anno sæculári a beáta morte ipsíus Raymúndi, sanctimoniáles cassinénses quæ antíquum monastérium apud ejus sepúlchrum restituérunt, idem sacrum corpus a Capítulo Cathedrális impetrárunt, atque rite a Joánne Baptísta epíscopo recógnitum, in nova arca deauráta sub ara máxima suæ ecclésiæ componéndum curárunt.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusíllum gregem. *de Communi ij. loco.*

DIE 29. JULII.

B. Urbani II

Papæ et Conf. Duplex.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beáto pontífici Urbáno pro ecclésiæ tuæ libertáte et decóre felíciter decertáre tribuísti, eúmque ad rediménda ab infidélium potestáte tuæ vitæ mortális et passiónis monuménta per virtútem Crucis roborásti, concéde; ut ipsíus intercessióne, contra hostes ánimæ nostræ dimicántes in terris, ætérnæ glóriæ bravíum accípere mereámur. Qui vivis et regnas.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sæculo undécimo, fervénte luctuosíssimo dissídio ecclésiam inter et impérium, non minóri fortitúdine quam céteri pontífices, qui per ea témpora románam obtinuérunt sedem, enítuit Urbánus secúndus, Odo ántea vocátus, e nóbili família apud Castelliónem supra Matrónam non procul a Rheménsi urbe ortus. Is Brunóne magístro, celebérrimo póstea Carthusianórum institutóre, philosóphicis ac theológicis stúdiis óperam dedit, et

ob egrégias virtútes in ecclésia rheménsi canonicátu potítus est. At sæculi curas pertæsus, ac régulam sancti Benedícti proféssus, primum in cluniacénsi, dein in bainsonénsi et cavénsi cænóbiis religiosíssime conversátus est. Vestígia sequútus sancti Gregórii séptimi, viri ópere et sermóne poténtis, a quo in majóribus ecclésiæ negótiis adhíbitus fúerat, atque epíscopus ostiénsis et sanctæ románæ ecclésiæ cardinális creátus, pari ánimi constántia ac fortitúdine jura ecclésiæ contra láicam potestátem vindicávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

SUmmus póntifex renuntiátus, Cassíni montem invísit, sacras ibi beatíssimi patris Benedícti exúvias veneratúrus, ejúsque a lápidis morbo, quo diu laboráverat, insígni prodígio sanátus fuit. Cavénsis monastérii ecclésiam, et sancti Nicolái barénsis basílicam consecrávit, ibíque corpus ejúsdem thaumatúrgi magna cum solemnitáte repósuit. In eádem barénsi basílica insígne concílium hábuit, ut Græcórum erróres confutáret doctíssimis præsértim usus arguméntis, quibus sanctus Ansélmus archiepíscopus cantuariénsis fidem cathólicam asséruit. Placéntiæ prope ecclésiam sanctæ Maríæ de campánea, ubi primum præfatiónem beátæ Maríæ vírginis, in missa solémni decantásse perhibétur, et áliis prætérea divérsis in locis convocátis concíliis, ecclesiásticæ disciplínæ observántiam strénue curávit. Sed ómnium celebérrimum fuit claromontánum concílium, in quo illárum sacrárum expeditiónum felicíssimo succéssu auctor éxstitit, quæ ex salutíferæ Crucis Christi signo, quo decorabántur, Cruciatárum nómine fuérunt appellátæ. Ac sane mirum est póntificem páuperem, uti erat tunc Urbánus, absque regum ope, sine ulla exactióne aut tribúto, tam ingén-

tem príncipum virorúmque nobílium, ac ceterórum ex omni órdine, statu et regno multitúdinem congregásse, qui ad diffícilem ádeo expeditiónem sponte et álacri ánimo properárent; quibus pro stipéndio sola proponebátur peccatórum indulgéntia, et sola spes vitæ ætérnæ pro præmio.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

BEátam Dei Genitrícem singulári obséquio prósequens, speciálium precum in ejus honórem recitatiónem cléricis æque ac láicis ea occasióne indíxit, ut qui fidéles suscipiéndæ expeditióni ímpares essent, mílites pro religiónis causa dimicántes saltem oratiónibus adjuvárent. Hinc et cultus beátæ Maríæ, qui hodiéque in Sábbato celebrári solet, ab eo institútus fuísse perhibétur. Post plúrimos autem labóres pro ecclésia superátos, Romæ, quæ jam cum tota Itália ab Henríci imperatóris oppressióne eváserat, universáli quoque ecclésia in tranquilliórem statum revocáta, tandem meritórum magis quam diérum plenus, anno millésimo nonagésimo nono, die vigésima nona Júlii gloriósa justórum morte quiévit, cum Petri cathédram tenuísset annos úndecim, menses quátuor, dies decem et octo. Corpus ex ædibus Petri Leónis, apud sanctum Nicoláum in Cárcere, ad basílicam Vaticánam delátum est, ibíque inter totíus Urbis luctum et tristítiam honorífice cónditum. Cultum, usque ab immemorábili témpore beáto Urbáno secúndo exhíbitum, Leo décimus tértius póntifex máximus, ex sacrórum rítuum congregatiónis consúlto, ratum hábuit, et confirmávit; atque offícium cum missa in ejus honórem quotánnis celebrándum clero románo, rheménsi, tolosáno ac placentino benígne indúlsit.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Hom. Ut ignorántiam *.de Communi ij. loco.*

DIE 30. JULII.
(*D. ass. ex heri.*)

S. Marthæ

Virg. Semiduplex.

Ut in Breviario ex heri.

DOMIN. I. NON IMPEDITA POST OCTAV.

Ss. Apost. Petri et Pauli

Comm. omnium SS. Rom. Eccl. Summ. Pontificum.

Ut inter Festa pro aliq. locis.

DOMIN. ULTIMA JULII.

B. Mariæ Virg. *Titulo* Gratiarum.

Duplex majus.

¶ *In casu impedimenti non omittitur.*

Ut inter Festa pro aliquibus locis die 9. Junii. Lectio ix. et Commem. Dominicæ in utrisque Vesp. et Laud.

DIE 9. AUGUSTI.

S. Xysti II.

Papæ Mart. Duplex.

Cujus perinsignes reliquiæ Placentiæ in ejus templo honorifice coluntur.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

XYstus secúndus, Atheniénsis, ex philósopho Christi discípulus, in persecutióne Valeriáni accusátus, quod públice Christum predicáret, comprehénsus, tráhitur in templum Martis, propósita ei capitáli pœna, nisi illi simulácro sacrificáret. Qua impietáte constantíssime recusáta, cum ad martyrium ducerétur, occurrénti sancto Lauréntio, et dolénter in hunc modum interrogánti: quo progréderis sine fílio, pater, quo, sacérdos sancte, sine minístro próperas? Respóndit : non ego te désero, fili, majóra te manent pro Christi fide certámina; post tríduum me sequéris sacerdótem levíta. Intérea, si quid in thesáuris habes, paupéribus distríbue.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

EOdem ígitur die interféctus est una cum Felicíssimo et Agápito diáconis, Januário, Magno, Vincéntio et Stéphano subdiáconis, et in cœmetério Callísti sepúltus octávo idus Augústi : céteri vero in cœmetério Prætextáti. Sedit menses úndecim, dies duódecim. Quo témpore hábuit ordinatiónem mense Decémbri, creátis presbyteris quátuor, diáconis septem, epíscopis duóbus. Sacri córporis ejúsdem beáti Xysti relíquiæ Placéntiæ, in pervetústo templo ejus nómini dicáto, honorificentíssime asservántur; quas, anno salútis millésimo octingentésimo octuagésimo, Joánnes Baptísta epíscopus placentínus solémniter recognóvit, ac magno cívium concúrsu et gáudio in arca marmórea sub ara máxima decéntius compósuit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. -- Et voluntáte.

Lectio vj. Príncipes. *de Communi ij. loco.*

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 37. in Evangel.

UT autem Dóminus demonstráret hoc erga próximum ódium, non de affectióne procédere, sed de caritáte, addit prótinus, dicens: Adhuc autem et ánimam suam. Odísse ítaque præcípimur próximos, odisse et ánimam nostram. Constat ergo, quia amándo debet odísse próximum, qui sic eum odit sicut semetípsum. Tunc enim bene nostram ánimam odímus, dum ejus carnálibus desidériis non acquiésci-

mus, cum ejus appetítum frángimus, ejus voluptátibus reluctámur. Quæ ergo contémpta ad mélius dúcitur, quasi per ódium amátur.

℟. Coróna áurea super caput ejus : * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii.

SIC nimírum exhibére uxóri et próximis nostris ódii discretiónem debémus, ut in eis et diligámus, quod sunt, et habeámus ódio, quod in Dei nobis itínere obsístunt. Certe dum Paulus Jerosólymam pérgeret, prophéta Agabus zonam illíus apprehéndit, suísque pédibus alligávit dicens : virum, cujus hæc zona est, sic alligábunt Judæi in Jerúsalem. Sed is, qui ánimam suam perfécte óderat, quid dicébat? Ego non solum alligári, sed et mori in Jerúsalem parátus sum, pro nómine Dómini Jesu, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas judícum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix. Vigiliæ, sed in propria ecclesia dicitur :

ECce quómodo amándo ánimam suam óderat, imo ódiens amábat, quam cupiébat pro Jesu nómine morti trádere, ut hanc ad vitam de peccáti morte suscitáret. Ab hac ergo discretióne ódii nostri trahámus formam ad ódium próximi. Amétur quílibet in hoc mundo adversárius, sed in via Dei contrárius non amétur, étiam propínquus. Quisquis enim jam ætérna concupíscit, in ea, quam aggréditur, causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra uxórem, extra fílios, extra cognátos, extra semetípsum fíeri debet, ut eo vérius cognóscat Deum, quo in ejus causa néminem recognóscit.

Te Deum laudámus.

DIE 11. AUGUSTI.
(*Assign. e 7. hujus.*)

S. Victricii

Episc. Conf. Duplex.
(*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui erráta córrigis, et dispérsa cóngregas, et congregáta consérvas : quæsumus; super pópulum christiánum tuæ uniónis grátiam, intercedénte beáto Victrício confessóre tuo atque pontífice, cleménter infúnde; ut, divisióne rejécta, vero pastóri ecclésiæ tuæ se úniens, tibi digne váleat famulári. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

VIctrícius ad Morinórum fines in Gállia natus, ineúnte sæculo quarto, ordinánte Dómino, miles effícitur, et in milítia ad fidem ingréssum hábuit. Cum primo Christi amóre succénsus est, de respuénda milítia cogitávit; et quadam die in concílio militári arma sponte éxuit, atque ad tribúni sui pedes objécit. Quo in fúrias concitátus tribúnus, Victrícium in vínculis distríngi, fustibúsque frangi, et sic afflíctum in cárcere acúto testárum frágmine aspérrimo detrúdi jubet. In his invícta fuit Victrícii virtus, quam nolens Deus sub módio latére, eum non multo post super candelábrum sedis Rothomagénsis evéxit. Creátus epíscopus in fide et veritáte mystérium Cristi annuntiávit, nihil se júdicans scire inter hómines, nisi Christum crucifíxum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

HUic sancto epíscopo concéssit Deus factis adæquáre sermónes, ita ut vita páriter ac verbis pópulum sibi commíssum instrúeret. Ea ratióne multórum beatórum beátus parens éxtitit. Itaque ejus stúdiis et curis Rothómagi nomen in longínquis étiam provínciis venerári cœpit. Tanta erat sancti Martíni opínio de Victrícii sanctitáte, ut ad illum remíserit

quamdam puéllam sanándam, sibi a patre Cornútibus oblátam, dicens, se virtúte illi esse multo inferiórem, illúmque ómnia posse. Cum improbórum linguis Victrícius accusátus fuísset, ac si de fide non recte sentíret, Romam se cóntulit, ut apud sanctum Innocéntium primum se defénderet. Deus enim hac eum áffici permísit injúria, ut gaudéret de victória, et donarétur coróna, ita ut nova hæc fídei et virtútis probátio multis in proféctum evangélii césserit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

NON multo post ejus réditum Rothómagum, misit in Itáliam Candidiánum cum lítteris ad eúmdem Innocéntium; vóluit enim ab eo pontífice cognóscere, quænam esset románæ ecclésiæ morum directiónis régula et disciplína. Cujus petitióni conséntiens beátus Innocéntius, misit ad Victrícium librum, quem vocant regulárem, ex quo nóscitur, quæ ecclésiæ románæ esset praxis et disciplína, ac illum epíscopis suffragáneis et vicínis notum fácere jussit. Extat sancti Victrícii libéllus de Laude sanctórum, ubi præclaríssimum testimónium habétur de cultu beáto mártyri Antoníno jam illo tunc témpore a Placentínis exhibíto; in eo enim légitur : curat Ephesi Joánnes Evangelísta, curat Bonóniæ Próculus, curat Placéntiæ Antonínus. Ipse tandem virtútibus et miráculis illústris migrávit ad Dóminum séptima Augústi die, anni quadringentésimi quarti. Ejus corpus Brennam translátum, ab iconómachis calviniánis combústum est sæculo décimo sexto.

In iij. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam. *de Comm. ij. loco. Lectio ix. Ss. Mart.*

DIE 13. AUGUSTI.

(*D. a. ex* 28. *Julii.*)

Ss. Nazarii, Celsi

ac sociorum Martyrum.

Semiduplex.

Ut in Brev. die 28. *Julii.*

DIE 16. AUGUSTI.

S. Rochi

Conf. Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis, præter seq. In j. Nocturno, Lectiones Beátus vir. *de Comm. In iij. Noct. Homilia ut in Festo S. Ludovici die* 25. *Aug.*

DIE 17. AUGUSTI.

Transl. S. Justinæ

Virginis et Martyris.
Duplex ij. classis.

Omnia de Comm. præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Cap. de Laud. Psalmi de Communi.

Hymnus.

VIrginum cœtus mérita fidélis
Laude Justínam resonáre certet,
Et frequens late pópulus veréndis
Affluat aris.

More quæ casto speciósa blandas
Lúbrici fraudes superávit anguis,
Et novum victrix dómito triúmphum
Réttulit hoste.

Quem sibi effúso mélius beátæ
Mortis adscívit sócium cruóre.
Dives et palma dúplici supérnas
Intulit arces.

Unde secrétis favet illa votis,
Et suos cives méminit túeri,
Edocens sancto decoráre puram
Lúmine vitam.

Mártyris sertis cíneres púdicos
Et prece et votis cumulémus aras;
Ac sacros summæ Tríadi canámus,
Júgiter hymnos.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Justína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Aña. O Justína, sponsa Dómini felicíssima, cœléstibus delíciis áffluens, votis súpplicum tuórum aures benígnas ádmove.

Oratio.

DEus qui in sacra beátæ Justínæ vírginis et mártyris tuæ translatióne nova mirácula suscitásti: concéde propítius, ut ejus, quo gloriámur, patrocínio suffúlti, in cœléstem glóriam transférri mereámur. Per Dóminum.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

BEatórum mártyrum Cypriáni, Justínæ et Theógniti córpora Nicomedíæ, ubi passi sunt, sexto kaléndas Octóbris, projécta fuére : sed cum ibi sex dies inhumáta jacuíssent, noctu quidam nautæ clam ea in navim impósita, Romam portavérunt, ac primum in prædio Rufínæ nóbilis fœminæ sepúlta sunt, póstea transláta in Urbem, in basílica Constantiniána cóndita sunt prope baptistérium. Demum inde perínsignis horum córporum pars, Othóne tértio imperatóre, Placentínis donáta, Placéntiam ad piórum erga sanctos mártyres, et præsértim beátam Justínam urbis patrónam, pietátem augéndam, felíciter transmíssa est, ubi magna cívium lætítia et solémni apparátu sacra pígnora excépta, in ecclésia sancti Joánnis Evangelístæ aliquándiu asserváta, póstmodum in cathedráli recóndita sunt anno Dómini millésimo primo, décimo sexto Kaléndas Septémbris.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prόspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

POrro in hac translatióne mirácula non defuérunt, quorum illud in primis quod cum ad eum locum, qui Vársium dícitur, in agro placentíno, perveníssent qui sacra pígnora deferébant, surda quædam múlier, beátæ Justínæ ope imploráta, recépit audítum. Alteri fœminæ, cum ad ejúsdem vírginis ossa própius accessísset, et ingemíscens férvidas preces adhibuísset, repénte stetit sánguinis proflúvium. Item paralyticus ad urbis portas, beátæ vírginis admótus arcæ, contínuo pristínæ valetúdini rédditus est. Interim étiam dum frequens pópulus accúrreret, rústica múlier a dæmone vexáta, et ad terram allísa, liberátur, cum ille quæribúndus vociferarétur: non satis Justínæ fuísse Antiochíam olim, accísis dæmonum víribus, ad Christum perduxísse, nisi eósdem Pla-

céntiæ male pérditum iret.

℟. Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem. * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vj.

POstrídie alter paralyticus, ac vi morbi quemdam in globum coáctus, cum pie se vírgini commendásset, íllico sanátus est. Cæcus ibídem amíssum lumen oculórum reparávit. Tantárum ígitur fama rerum hómines úndique éxciti, Placéntiam ad divínum thesáurum viséndum colendúmque affluébant. Quo témpore, mulíeres quædam, cum in ripa Tari flúminis hærérent, quod eas immódica vis aquæ tránsitum prohibéret précibus ad sanctam Justínam effúsis, navígium ex advérsa ripa prótinus ad eas divínitus advéctum est, quod quidem ingréssæ, Deo tantum gubernánte, celériter trajecérunt, ac felíciter ad sacrosánctum sepúlchrum pervenérunt. Alius quidam ex iis qui Pado advehebántur, in flumen prolápsus, cum beátam Justínam invocásset, mirabíliter evásit; hodiéque idem sepúlchrum pie cólitur et invísitur.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno Homilia Sæpe vos fratres. *de Communi j. loco.*

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Justína virgo * patrício génere nata, honestísque móribus prædita, erat síncera Christi sponsa, soli Deo serváta.

2. Cum tentarétur * virgo in sua pudicítia ad Deum confúgit, et sponsum suum, patrónum et defensórem assúmpsit.

3. Vírginem Maríam * supplex Justína obsecrábat ut periclitánti vírgin suppétias ferret.

4. Jejúnii phármaco se communívit, ut formæ venustátem obscuráret, et propítium sibi Deum et exorábilem rédderet.

5. Bono ánimo * estóte, vicit enim cáritas Dei, fides et pudicítia; virgo superávit, dæmon superátus est.

Capitulum. Eccli. 51.

COnfitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Con-

fitébor nómini tuo, quóniam ádjutor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus.

JUstínæ ad aram súpplices,
Ut lex avíta póstulat,
Cohors dicáta Númini,
Hymnos precésque sólvimus.
Nam quæ niténti flóruit
Integritátis lílio,
Certámen acre pértulit,
Victrix ut esset clárior.
Frustra reténtat lædere
Pectus pudícum vírginis,
Audax avérni fráudibus
Artis magíster ímpiæ.
Cœléstium aucta víribus
Hostem repéllit fórtior,
Novo triúmpho sédulum
Deo lucrátur ásseclam.
Qui rite, vultum flétibus,
Rigándo, crimen díluit;
Virtúte, frangi néscia,
Christi beávit ágmina.
Lætáre nunc, Placéntia,
Dum, quos coróna néxuit,
Horum sacrátos único
Recóndis artus mármore.
Sit Trinitáti glória,
Per quam triúmphant mártyres,
Nobísque post victóriam
Optáta donet præmia.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Justína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Aña. Visitávit Dóminus ex alto sponsam suam Justínam, in sanctitáte et justítia incedéntem coram ipso, ómnibus diébus vitæ suæ.

Ad Tertiam Cap. de Laud.

In ij. Vesperis, omnia ut in primis.

Ad Magnificat, Aña. Justínæ vírginis devótius implorémus opem; ut, ejus méritis et patrocínio, Angelórum custódiam, et ætérnam adipiscámur réquiem, allelúia.

DIE 18. AUGUSTI.
(*D. a. ex* 16. *huj.*)

S. Hyacinthi

Conf. Duplex.

Ut in Brev. die 16. *hujus.* (*m. t. v.*)

DIE 26. AUGUSTI.
(*assig. e* 22.)

Ss. Timothei, Hippolyti, *et* Symphoriani *Mm.*

Ossa sanctorum Timothei et Symphoriani in templo sancti Xysti venerantur.

Semiduplex.

Oratio.

AUxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde; et in-

tercedéntibus beátis martyribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Timótheus antiochénus, Romam véniens Melchíade summo pontífice, cum per annum ibi Christi fidem prædicásset, a Tarquínio urbis præfécto conjícitur in víncula; et post diutúrnas cárceris ærúmnas ad idóla perdúcitur ut eis sacríficet. Quam impietátem summa libertáte detestátus, acerbíssime cæditur, et excarnificátum corpus viva calce perfúnditur. In quibus aliísque supplíciis constans martyr cápite pléctitur. Corpus via ostiénsi prope sepúlchrum beáti Pauli apóstoli sepelítur.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

Quo die étiam, Alexándro imperatóre, apud Ostia Tiberína Hippólytus epíscopus portuénsis, ob præcláram fídei confessiónem, mánibus pedibúsque ligátis, in altam fóveam aquis plenam præcipitátus, martyrio coronátus est, et ibídem a christiánis sepúltus. Quo item die, Aureliáno imperatóre, propter eámdem fidem Augustodúni Symphoriánus adoléscens várie tortus est. Qui dum ad últimum supplícium ducerétur, matrem ita clamántem áudiens : Nate, nate, meménto ætérnæ vitæ, cœlum súspice, et ibi regnántem intúere, tibi enim vita non erípitur, sed mutátur in mélius; fórtiter, Jesu Christi causa, carnífici collum præbuit. Nonnúlla ossa beáti Timóthei et caput beáti Symphoriáni, Placéntiæ in æde sancti Xysti pie a sæculis jacent humáta, quæ ab epíscopo Joánne Baptísta anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo rite recógnita sunt,

et in fronte eórum aræ, in arca marmórea dénuo compósita.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 47. de Sanctis.

Lectio vj.

QUotiescúmque, fratres caríssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, exspectémus a Dómino cónsequi temporália benefícia : ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur ætérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátis enim Mártyrum, exhortatiónes sunt martyriórum : ut imitári non pígeat, quod celebráre deléctat.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. *j. loco.*

Lectio ix. de S. Zephyrino, ut in Brev.

DOM. ULT. AUGUSTI.

Dedicatio Basilicæ Cathedr. *et omnium Ecclesiarum consecratarum Placentinæ diœcesis.*

Duplex j. class. cum Oct.

Omnia de Comm. præter sequentia.

Lectio iv.

Ex decreto S. R. C. 16 Dec. 1902.

CUM Constantínus imperátor pública lege concessísset, ut Christiáni ecclésias suas ædificáre possent, Placéntiæ quoque, in qua civitáte jam multi Christifidéles habebántur, sanctus Victor Epíscopus, vero Deo primum extrúxit templum, quod ob beáti Antoníni corpus inîbi póstea sepúltum, hujus mártyris nómine nuncupátum fuit. Hoc in templo sanctus Sabínus succéssor, presbytérium instítuit clericórum Dómino quotídie psallentium, inter quos enituérunt sancti concíves nostri Opílius, Victor, Domnínus ac Gelásius, nec non insígne nostræ ecclésiæ decus Præsídius diáconus, quem sancti doctóres Hieronymus et

Augustínus in epístolis suis concélebrant. Cum vero ecclésia hæc, útpote extra muros, hostílibus incursiónibus patéret, Seufrédus Epíscopus médio sæculo nono, novam intra mœnia molítus est, quam Paulus succéssor absólvit, et Deo in honórem sanctæ Justínæ antiochénæ dicávit. Hæc tamen basílica, anno círciter millésimo centésimo decimoséptimo, uti fertur, terræ mótibus concússa ruínam fecit. Tunc Aldus placentínus antístes álterum templum amplióri forma eódem in loco excitávit; quod licet nondum absolútum, anno millésimo centésimo tricésimo secúndo, Innocéntius Papa secúndus qui ad tres menses Placéntiæ morátus est, et concílium coégit, die décima quarta Octóbris sub título sanctæ vírginis Maríæ et beátæ Justínæ, ut perhibétur, solémniter dedicávit. Cujus dedicatiónis memóriam recoléntes, mérito gratulámur, cum tantæ molitiónis opus pietátem patrum nostrórum perpétuo témpore comméndet.

℟. Orántibus.

Lectio v.

Hanc Placentínam ecclésiam, quæ ad Basílicæ dignitátem evécta est, quod insígnia in fronte testántur, multis privilégiis cumulárunt Románi Pontífices, quos inter éminet Innocéntius tértius, qui eam a jure Antístitis Ravennátis exémptam in pontifíciam tutélam suscépit, adóptans illam in fíliam speciálem, sicut adhuc est. Sed et non parum Cathedrális ædes nostra honóris hábuit, quod ex ejus canónicis ad episcopátum quamplúrimi, nonnúlli ad románam púrpuram evécti sunt. Nec défuit alter, nempe Octobónus Fliscus qui ad suprémi pontificátus ápicem elevátus, Hadriánus quintus dictus est; et alter ántea canónicus archiprésbyter, inde Epíscopus, quem inter cœlites a dscríptum, sanctum Fulcum venerámur. Nonnúlli quoque Románi Pontífices hanc basílicam sua præséntia cohonestárunt, inter quos, beátus Gregórius décimus civis noster, cum ad concílium Lugdunénse secúndum properáret at-

que iterum cum inde redíret; Paulus tértius, qui anno millésimo quingentésimo tricésimo octávo in Paschátis die sacrum in ea solémniter fecit: ac tandem Pius séptimus, cum e Gálliis invíctus triumphátor Romam repéteret. Laudémus ergo viros gloriósos et paréntes nostros in generatióne sua, qui duodécimo ineúnte sæculo, nec magnis súmptibus, nec labóribus impróbis, nec molis amplitúdine, detérriti, in politiórum ártium infántia hoc sacrum monuméntum, excélsa turre decorátum, ære próprio, ausu christiáno, e fundaméntis excitárunt. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus.

℟. O quam metuéndus.

Lectio vj.

CUM vero hoc sacrum et mirábile ædifícium, ineúnte sæculo decimoséptimo, novis molitiónibus et accessiónibus, ac pictúris alióquin insígnibus, prudénti parum consílio immutátum fuísset, simplicitátem antíquam, majestatémque primævam desiderávit. Sed, quod bonárum ártium cultóribus erat in votis, præter ómnium expectatiónem adventánte sæculo vicésimo, brevi annórum círculo, generáli plausu et ómnium circa regiónem admiratióne, fauste et felíciter conféctum est. Joánnes enim Baptísta antístes, vetústæ molis conditiónem dolens murórum scílicet et fórnicum incœptam disjectiónem, accítis in consílium canónicis, virísque architectúræ artis péritis, templi restauratiónem et in primævam formam restitutiónem státuit, promóvit, confécit. Concurréntibus ad ingéntes sumptus Fábrica et Capítulo, pública privátaque stipe, anno millésimo nongentésimo primo árduum opus absolútum fuit, et insígne monuméntum ad véterem formam tandem aliquándo rédiit. Tunc ingemináta lætítia Placentíni fidéles jubíleum episcopále Antístitis restauratóris celebrárunt; optandúmque, ut hujúsmodi evéntuum séries ab hóminum memória numquam abscédat.

Hinc postréma Augústi Domínica die hujus templi Dedicatiónis anniversárium ex Leónis decimitértii indúlto celebrámus, qua étiam memóriam ágimus Dedicatiónis ómnium ecclesiárum placentínæ diœcésis, ex quibus centum et octogínta idem ipse Epíscopus consecrávit. Grátias proínde omnipoténti Deo referámus, qui templa manufácta elégit et sanctificávit, ut nomen ejus esset ibi, eúmque rogémus, ut omnes qui huc deprecatúri convénerint, consolatiónis grátiam consequántur.

℟. Mane surgens.

Commemoratio de sanctis Patronis nostris.

Ubique ab omnibus facienda tam in civitate, quam in diœcesi, inter suffragia communia Sanctorum in Vesp. et Laud. præter in locis ubi peculiaris patronus habetur.

In Vesperis, Aña. Inclyti mártyres Christi Antonínus et Justína, exstinguéntes ímpetum ignis, et in occisióne gládii moriéntes immortális glóriæ coróna sunt decoráti.

℣. Dominabúntur sancti pópulis. ℟. Et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Oratio.

EXáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, ut pópulus tuus, qui sub tantis sanctórum mártyrum tuórum Antoníni et Justínæ patrocíniis est constitútus, et a suis offensiónibus liberétur, et ab ómnibus protegátur advérsis.

In Laudibus, Aña. Sanguis sanctórum mártyrum Antoníni et Justínæ pro Christo effúsus est in terra : ídeo adépti sunt múnera sempitérna.

℣. *et Oratio ut in Vesp.*

APPROBATIO.

De mandato Illmi et Rmi Joannis Baptistæ Scalabrin Placentini Episcopi vidi et perlegi hanc editionem Officiorum Ecclesiæ Placentinæ typis DESCLÉE, LEFEBVRE & SOC. Tornaci excusam, et probatis exemplaribus consonam esse recognovi.

Romæ, die 25 Junii 1902.

C. PETRUS PIACENZA Proton. Ap.

Archipr. Cathedr. Placentin.

Imprimatur.

Tornaci, die 22 Julii 1902.

Vict. DUREZ, Vic. Gen.

INDEX.



OFFICIA PROPRIA
ECCLESIÆ PLACENTINÆ
CONCESSA.

PARS AUTUMNALIS.

DOMIN. I. SEPTEMBRIS.

Oct. Dedicationis Basilicæ Cathed.

et omnium Ecclesiar. consecr. diœc. Placent. Duplex.

Omnia de Communi Dedicationis.

Lectio ix. Homiliæ et Commem. Dominicæ in utrisque Vesp. et Laud.

DIE 13. SEPTEMBRIS.

S. Mauri

Placentiæ Ep. et Conf. cujus corpus in basilica beati Sabini quiescit. Duplex majus.

Oratio. Exáudi. *de Communi.*

In j. Nocturno Lect. de Script. occurr. S. R. C. 30 Jun. 1896.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAurus Placéntiæ epíscopus, vir fuit mirábilis continéntiæ et humilitátis. Hic quanto vixit ab omni caducárum rerum amóre remótior, tanto factus est fama sanctitátis illústrior, et miraculórum glória excelléntior. In oratióne frequens fuit, jejúnio et vigíliis déditus, in divinárum laudum offíciis assíduus. Corpus sancti Sabíni epíscopi, qui ante ipsum eídem ecclésiæ

præfúerat, itémque córpora sanctórum Gelásii, Peregríni, Victóris, Dómnini et Eusébii confessórum ac Victóriæ vírginis, placentinórum, in æde, quam ad honórem duódecim Apostolórum Sabínus ipse extra urbis mœnia construxerat, sepeliénda curávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Ecclésiam máxima semper sollicitúdine diligentiáque rexit felicíssime. Labóribus demum multis pro Dei glória, pro pópulo atque ecclésia sibi commíssa perfúnctus, sanctis virtútibus clarus, in cœléstem pátriam migrávit ídibus Septémbris, sæculo quinto; et in prædícta ecclésia, quæ póstea a sancto Sabíno nomen obtínuit, cónditus est. Cujus porro sanctitátem Deus étiam post óbitum multis miráculis illustrávit, et præsértim in ejus sacri córporis translatióne, quæ, in ipsíus basílicæ digniórem locum, a Fabrítio præsule placentíno facta fuit anno salútis millésimo quadringentésimo nonagésimo octávo. Joánnes Baptísta autem ejúsdem civitátis epíscopus, anno octingentésimo octuagésimo secúndo supra millésimum, idem sacrum corpus solémniter recognóvit, et nobilióri túmulo decorávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi. *Homil.* 59. *quæ est* 2. *de S. Eusebio Vercell.*

Lectio vj.

Ad sancti ac beatíssimi patris nostri Mauri cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens : quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum

filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno Homil.

DIE 16. SEPTEMBRIS.

S. Euphemiæ *Virg.* Victoris et Sosthenis *Martyrum*

Quorum ossa nonnulla in ecclesia S. Euphemiæ Placentiæ coluntur.

Duplex.

Oratio.

DA plebi tuæ, quæsumus Dómine, sanctis martyribus tuis Euphémia vírgine Victóre et Sósthene intercedéntibus supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere; ut prava despíciens, quæcúmque recta sunt líbera exérceat caritáte.

Comm. SS. Luciæ et Geminiani, Mm.

Ant. Vestri cápilli cápitis.

℣. Exsultábunt.

Oratio.

PRæsta, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne provéntum: ut sanctórum mártyrum Lúciæ et Geminiáni, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus, étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In quat. Temp. Fratres, Debitóres. *de Communi.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

EUphémia Philophrónis præclaríssimi senatóris et Theodósiæ piíssimæ matrónæ fília Chalcedóne nata, fidem, quam ab ineúnte ætáte suscépit, constantíssime semper cóluit, nec ullis váluit aut blandítiis, aut minis a sancto propósito revocári. Nam, jubénte Prisco Asiæ procónsule, ut stata die ad tubæ clangórem omnes convenírent in Martis templum ad immolándum, ipsa, effécta christianórum dux, fórtiter réstitit. Quamóbrem una cum ipsis sístitur ad tribúnal, quibus cum vultus loris duríssime cæderéntur, ipsa rotis alligári jubétur, quæ ossa confríngerent, et carnem dilaniárent, sed crudéli máchina mirífico salutíferæ crucis signo dissolúta, omni curáto vúlne-

re, vegétior et sólito formósior evásit.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida; et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

IGnibus deínde adjudicáta, a milítibus, quorum nómina Victor et Sósthenes, néquaquam váluit colligári, asseréntibus se viros terrífico aspéctu intúeri, qui nedum minácibus óculis in ipsos inténderent, sed étiam parátum ignem huc illúcque dispérgerent; quamóbrem Christo nómina dedérunt. Sufféctis autem eórum loco Cæsare et Vário, in vehemémenter incénsam fornácem immíttitur : sed renováto babylónicæ fornácis miráculo, pérditi satéllites igne absumúntur. Virgo autem in médio fornácis Deum laudábat, nullo in ea apparénte ignis vestígio. Victor ínterim et Sósthenes objécti feris, et eórum mórsibus léniter suffocáti, beatíssimo fine quievérunt.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes.

Lectio vj.

PArátur post hæc novum torménti genus, ferro lapidibúsque compáctum, ad omnímodam córporis dilaniatiónem, sed hoc étiam divína virtúte destrúcto, jubet tyránnus in médio stádii parári cistérnam aqua plenam et omni carnívoro pisce refértam, in quam, crucis signo se múniens, Euphémia insíliit, sed ferárum húmeris sustentáta, ab aquis illæsa emérsit. Parántur inde præácutæ serræ ad secándum, sed ácies serræ obtúsæ sunt, et ignis sartáginum exstínctus est. Dénique quátuor leónibus et tribus ursis in theátro expósita, Deum precáta, ut agóni suo finem impóneret, lambéntibus ejus pedes cæteris, uníus ursæ morsu léniter pres-

sa, tot passiónum ornáta monílibus, evolávit ad sponsum. Corpus, a paréntibus honorífice tumulátum, multis póstea miráculis cláruit. Aliquot ejus sacra ossa póstea Placéntiam transláta in ecclésia ejus nómine Deo dicáta asservántur. Cum Aldus placentínus antístes illa recognovísset et in honestióri túmulo locásset, fidélis cultus erga eam miro in modo excrévit. Anno vero millésimo octingentésimo octuagésimo a Joánne Baptísta epíscopo summa cívium lætítia dénuo recógnita, in nobilióri arca sub ejus ara solémni ritu ac pompa repósita fuére. Nonnúlla vero sanctórum mártyrum Victóris ac Sósthenis lípsana quæ una cum sanctæ Euphémiæ óssibus a sæculis asservabántur, rite et ipsa eódem anno recógnita, in véteri arca lapídea reverénter repósita sunt, atque in prístino loco conquiéscunt et colúntur.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno, Lect. de Homilia. Advérte ómnia. *de Communi ij. loco.*

Lectio ix.

Lucia et Geminiánus in eádem persecutióne Diocletiáni, eódem die quo Euphémia sed non eódem loco martyrio coronáti sunt. Ipsa ergo Lúcia vídua romána a fílio Eutrópio, quod Christum multos annos coluísset, accusáta, in ollam pice ac plumbo fervéntem demíttitur : unde incólumis evádens, cum ferro plumbóque oneráta per Urbem ducerétur, Geminiánum, nóbilem virum, constántia fídei et martyrii ad Christum convértit ; quem étiam cum multis áliis ad finem perdúctis, várie tortum, gloriósi martyrii, abscísso cápite, sócium hábuit. Quorum córpora Máxima múlier christiána honorífice sepelívit.

Te Deum laudámus.

In Laud. fit Commem. SS. Luciæ et Geminiani Aña. Istórum. ℣. Lætámini. *Oratio ut supra.*

DIE 22. SEPTEMBRIS.

Ss. Mauritii et Soc.

Mart. Duplex.

Oratio. Annue, *propria ut in Breviario hac die.*

In j. Nocturno Lect. de Scriptura occurr.

Lectio vj.

PER insignis autem Justínæ et Cypriáni córporum pars, anno Dómini millésimo primo, Othóne tértio imperatóre Placentínis donáta, Placéntiam felíciter transmíssa fuit, ubi ab antístite Sigífredo, magna cívium lætítia, solemníque apparátu excépta, in ecclésia sancti Joánnis Evangelístæ aliquándiu asserváta est. Cum vero tunc témporis, ædis Cathedrális per eúmdem epíscopum exornáta fuísset, ibídem éadem sacra pígnora recóndita fuére ad piórum erga sanctos mártyres, et præcípue beátam Justínam urbis patrónam renunciátam, cultum augéndum; ubi étiam nunc in inferióri ecclésia máxima devotióne a Placentínis frequentántur et excolúntur. Quas sacras relíquias Joánnes Baptísta epíscopus, anno millésimo octingentésimo septuagésimo sexto, sub ara príncipe ejúsdem inferióris ecclésiæ universáli gáudio invénit authénticis signis munítas, eásque recognóvit, et exaltávit, atque ibídem religiosíssime repósuit.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno, Homil. Sæpe vos, fratres. *de Communi j. loco.*

AD LAUDES

et per Horas, Añæ.

1. Justína virgo * patrício génere nata, honestísque móribus prædita, erat síncera Christi sponsa, soli Deo serváta.

2. Cum tentarétur * virgo in sua pudicítia ad Deum confúgit, et sponsum suum, patrónum et defensórem assúmpsit.

3. Vírginem Maríam * supplex Justína obsecrábat ut periclitánti vírgini suppétias ferret.

4. Jejúnii phármaco se communívit, ut formæ venustátem obscuráret, et propítium sibi Deum et exorábilem rédderet.

5. Bono ánimo estóte, vicit enim cáritas Dei, fides et pudicítia; virgo superávit, dœmon superátus est.

Capitulum. *Eccli.* 51.

COnfitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam ádjutor et protéctor factus es mi-

hi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus.

JUstínæ ad aram súpplices,
Ut lex avíta póstulat,
Cohors dicáta Númini,
Hymnos precésque sólvimus.
Nam quæ niténti flóruit
Integritátis lílio,
Certámen acre pértulit,
Victrix ut esset clárior.
Frustra reténtat lædere
Pectus pudícum vírginis,
Audax avérni fráudibus
Artis magíster ímpiæ.
Cœléstium aucta víribus
Hostem repéllit fórtior,
Novo triúmpho sédulum
Deo lucrátur ásseclam.
Qui rite, vultum flétibus,
Rigándo, crimen díluit;
Virtúte, frangi néscia,
Christi beávit ágmina.
Lætáre nunc, Placéntia,
Dum, quos coróna néxuit,
Horum sacrátos único
Recóndis artus mármore.
Sit Trinitáti glória,
Per quam triúmphant mártyres,
Nobísque post victóriam
Optáta donet præmia.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Justína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedict. Aña. Visitávit Dóminus ex alto sponsam suam Justínam, in sanctitáte et justítia incedéntem coram ipso, ómnibus diébus vitæ suæ.

In ij. Vesp. omnia ut in primis.

Ad Magnificat, Aña. Justínæ vírginis devótius implorémus opem; ut, ejus méritis et patrocínio, Angelórum custódiam, et ætérnam adipiscámur réquiem, allelúia.

DIE 1. OCTOBRIS.

S. Cypriani *Mart.*

cujus reliquiæ in basilica Cathedrali pie venerantur. Duplex.

Oratio.

OMnípotens et miséricors Deus, qui beátum Cypriánum mártyrem tuum e ténebris superstitiónis et erróris eduxísti, atque præclárum fídei tuæ præcónem et defensórem effecísti, ejus intercessióne concéde; ut peccáta nostra defleére ac tua præcépta digne éxequi valeámus. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De sermóne sancti Gregórii Nazianzéni in laudem ipsíus sancti Cypriáni. *Oratio* 18.

Lectio iv.

Cypriánus fuit ópibus conspícuus, poténtia illústris, génere clarus, síquidem máximum nobilitátis arguméntum est, senatórem esse, primariámque in eo órdine sedem obtinére, flos juventútis, elaborátum natúræ opus, doctrínæ principátus. Quænam autem mihi jam dicéndi rátio tenénda sit, et quo me vertam, plane incértus sum. Véreor enim ne nimis longum sermónem hábeam, si Cypriáni ómnia commemoránda suscépero, et rursus ne máximo eos, qui adsunt, detriménto mulctem, si quid prætermíero. Dicam porro, quæ prióris ipsíus vitæ rátio fúerit, quæ salútis via, quæ vocátio, quæ in meliórem vitæ statum mutátio. Equidem eos ádmodum ignávi atque abjécti ánimi esse exístimo, qui mártyri rerum minus laudabílium commemoratióne contuméliam inférri arbitrántur. Hac enim ratióne nec magnus ipse Paulus laudem mereátur, et Matthæus publicánus in scelestissimórum hóminum número habéndus fúerit, ac noster étiam Cypriánus, ille quidem pristinárum suárum persecutiónum et mutáti zeli mentiónem fáciat, ut vidélicet, ex utriúsque collatióne, Dei beneficéntiam magis concélebret; alter vero in discipulórum enumeratióne publicáni cognoméntum sibi ipsi, perínde atque áliud quoddam nobilitátis insígne et ornaméntum, adjúngat. Quæ ígitur illíus impróbitas fúerit, quamque magna et gravis, expéndite. Dæmonum cultor erat, qui Christi póstea discípulus fuit; et persecútor acerbíssimus, qui póstea magnus veritátis propugnátor éxtitit. Ad ipsum autem jam mali caput se confert orátio, nec vero quisquam, primas vitæ Cypriáni partes íntuens, voluptátibus indúlgeat, verum últimis ad pudicítiam revocétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit il-

lum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

CYpriánus a pia vírgine Justína ad fidem convérsus, magícos libros públice propónit, ingéntem ex illis flammam éxcitat, a dæmónibus secédit,Deo adjúngitur,atque, o miríficam grátiæ vim ! per ímprobum amórem ac spíritum, Deum ínvenit, ac sacri gregis ovis effícitur, atque étiam, quemádmodum a quodam accépi, ædítuus, atque multis quoque précibus ab eo adhibitis, ut, ad priórisarrogántiæ purgatiónem, humilitátem exercéret. Hæc signórum et prodigiórum Deus facit, divína enim sapiéntia magnárum rerum fundaménta multo ante jácere, ac contrária per contrária procuráre novit, ut majórem sui admiratiónem mortálibus éxcitet. Sufficiunt quidem hæc quoque Cypriáni decóra ad omnes perfectíssimæ laudatiónis números expléndos. Nam pecuniárum contémptum, fastus compressiónem, córporis frenatiónem et puritátem, chameúnias et vigílias, doctrínæ cópiam et ubertátem, qua et ómnium mores instrúxit, et dógmatum inscítiam sústulit, et clarórum hóminum vitam exornávit, et Trinitátis divinitátem, quam nonnúlli scindébant nonnúlli rursum contrahébant, ad véterem statum redúxit, piæ vidélicet uniónis et connumeratiónis fínibus sese cóntinens, ut hæc, inquam, ómnia, ne modum orátio excédat, cóntraham, una cum vitæ ipsíus dicéndi finem fáciam.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

FUrébat advérsus nos Décius, omníaque tormentórum génera conquirébat, ac gravíssima quæquæ supplícia partim jam inferébat, partim tentábat, paríque étiam contentióne in utrúmque horum incumbébat, ut et

christiános opprímeret, et prióres omnes persecutóres crudelitáte superáret, imo pótius, ut vel christiános omnes, vel Cypriánum unum vínceret, atque in potestátem redígeret. Nam cum, ut scópulus quidam incursántes fluctus, sic ille ímpetus omnes et assáltus magno strenuóque ánimo propulsásset, tandémque ab eo in exílium actus est. Proínde quamvis córpore abésset, spíritu tamen áderat, in eodémque cum christiánis, qui pugnábant, certámine versabátur; et quibus lingua opitulári non póterat, iísdem per lítteras succurrébat. Quodnam autem hujus rei præmium tulit? quam copiósum atque profúsum? Post eos omnes, quos præmíserat, cápitis obtruncatióne martyrii palmam adipíscitur, multísque torméntis hanc corónidem impónit. Sic Christo offértur, sic ad Christum migrat ille magnus in impietáte, major autem in pietáte Cypriánus. Ille, inquam, magnus tum persecútor, tum victor, non minus ob vitæ mutatiónem, quam ob virtútem admirándus. At tu nos e cœlo benígnus aspícias, sermonésque nostros et vitam gubérnes, sacrúmque hunc gregem pascas aut pascéntem ádjuves, sanctæque Trinitátis, cui nunc adsístis, pleniórem clariorémque splendórem nobis concílias, quam adorámus, quam celebrámus, cui omnis glória, honor et impérium, in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Stola.

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus, *de Communi j. loco.*

Lectio ix. de S. Remigio, Ep. Conf. ut in Brev.

DIE 3. OCTOBRIS.

Octava S. Justinæ

Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in die præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Gregórii Nazianzéni.

Oratio 18 in laudem S. Cypriani Martyris.

Lectio iv.

Virgo quædam, Justína nómine, erat patrício génere nata, honestísque móri-

bus prædita, audíte vírgines ac simul exultáte, imo étiam quæcúmque pudicítiam in matrimónio et pudicítiæ amántes cólitis, nam utrísque commúni ornaménto est ista narrátio; virgo hæc forma erat perquam liberáli et egrégia. Accínnat huic nobíscum David: omnis glória fíliæ regis ab intus, vera Christi sponsa, pulchritúdo recóndita, viva státua, donárium sacrílegas manus non métuens, fanum inacéssum, hortus conclúsus, fons signátus, soli Christo serváta. Magnus Cypriánus, unde, et quo modo, haud scio, hujus vírginis omni ex parte tutæ, ac morum gravitáte præditæ, amóre captus est. Nec tantum captus est, sed ejus quoque pudicítiam tentábat. O singulárem stultítiam, si quidem futúrum sperábat, ut eam diríperet, vel pótius, o ingéntem illíus impudéntiam, qui res hujúsmodi audébat, atque ad audéndum impellébat! At puélla simul atque malum persénsit, atque insídias intelléxit, quid facit, et quid advérsus vitii opíficem mólitur? Desperátis ómnibus áliis remédiis ad Deum cónfugit, atque advérsum detestábilem amórem, sponsum suum patrónum ac defensórem assúmit, qui et Susánnam mortis perículo liberávit, et Theclam servávit, illam a sævis senióribus, hanc a tyranno ipsíus proco, et a patre adhuc crudelióri.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

CHristum, qui et spíritus íncrepat, et eos, qui mergúntur súblevat, et pédibus mare pérgrat, et spiríituum legiónem in profúndum mittit, quique et justum virum e lacu éripit, leónibus in escam objéctum, ac per mánuum extensiónem victóriam de feris consecútum, et fugitívum prophétam e ceto vorátum, in ipsísque viscéribus fidem íntegram servántem, líberat, et assyrios púeros incólumes servat. Hæc, atque his plura commémorat, virginém-

Maríam, supplex Justína óbsecrans, ut periclitánti vírgini suppétias ferret, jejúnii et chaméuniæ phármaco se commúnit, tum quidem et formæ venustátem, tanquam insidiósam, obscuráret, sicque flammæ matériam subtráheret, ac libídini fómitem absúmeret, tum vero, ut per fidem et humilitátem propítium sibi Deum rédderet. Neque enim Deus ulla re períndе atque voluntária córporis afflictióne conciliátur, lacrymísque misericórdiam vicíssim repéndi solet. Non est apud me dúbium, quin réliquam hujus históriæ partem ávide expectétis : trepidátis namque, et ánxii estis, pro vírgine, nec minus pro ipsíus amánte, ne utrísque malum tandem et funéstum finem hic amor habúerit.

℟. Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. —Proptérea.

Lectio vj.

VErum bono ánimo estóte. Fidem enim hic amor concíliat : ac dum procus vírginis núptias ambit, a Christo ipse despondétur, atque extíncta libídinis flamma, veritátis ardor excitátur. Quo pacto id accíderit, quæritis? hic jam in jucundíssima narratiónis parte versor. Virgo súperat, dæmon superátur. Tentátor ad amántem áccedit, seque succubuísse índicat ; ítaque ab eo contémnitur. Quam rem indígne ferens, contemptórem ulcíscitur. Quænam autem hæc últio est? In eum ipsum, a quo ante colebátur, ímmigrat, atque a vírgine Justína, non secus ac béllica quædam máchina a firmo et válido muro, repéllitur, sermóne nimírum et précibus fugátus: cum eo autem, a quo missus fúerat, colluctátur; quid ígitur demens ille amátor Cypriánus? Mali depulsiónem quærit, et ínvenit. Ad Justínæ Deum cónfugit; ad ejus pastórem se confert, atque, ut amóre per accéptam plagam, ita malo spíritu per fidem in Christum purgátur, amorémque commútat, ac mutatiónis perspícuum arguméntum edit. ℟. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum. 25.

Lectio vij.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii papæ.

Hom. 22 *in Ev.*

FAtuæ profécto sunt vírgines, quæ solam laudis transitóriæ retributiónem quærunt. Unde et apte súbditur: Quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum, prudéntes autem accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Per óleum quippe nitor glóriæ designátur: váscula autem, nostra sunt corda, in quibus férimus cuncta, quæ cogitámus. Prudéntes ergo óleum in vasis habent, quia nitórem glóriæ intra consciéntiam rétinent, Paulo attestánte, qui ait: Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ. Fátuæ autem vírgines óleum secum non sumunt, quia glóriam intra consciéntiam non habent, dum hanc ab ore proximórum quærunt.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum: * Et, veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.— Et.

Lectio viij.

NOtándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent; quia plerúmque bona in se ópera, cum eléctis, et réprobi osténdunt, sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per psalmístam quoque de sancta electórum ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Quia dum veníre judex ad extrémum judícium differt, elécti et réprobi in mortis somno rapiúntur. Dormíre étenim mori est. Ante somnum dormitáre vero, est

ante mortem a salúte languéscere : quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

MEdia autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. De advéntu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat, quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines surgunt: quia et elécti et réprobi a somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant: quia sua secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expéctant. Sed lámpades fatuárum vírginum extinguúntur : quia eárum ópera, quæ clara homínibus foris apparúerant, in advéntu júdicis intus obscurántur. Et a Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes, quas amavérunt. Quid est autem, quod tunc a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu júdicis cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt?

Te Deum.

DIE 5. OCTOBRIS.

(*D. a. ex 16. Sept.*)

Ss. Cornelii et Cypriani

Pontif. Mart. semid.

Ut in Breviario die 16. Septembris.

DIE 7. OCTOBRIS.

Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii

Martyrum,

Quorum Ss. Marcelli et Apúleii reliquiæ in templo S. Xysti quiescunt.

Semiduplex.

Oratio.

SAnctórum mártyrum tuórum nos Dómine, Sérgii, Bacchi, Marcélli et Apuléii beáta mérita prosequántur; et tuo semper fáciant amóre fervéntes. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SErgius et Bacchus, nóbiles románi, fortíssimi ambo mílites, cum in summa laude et grátia essent apud Maximiánum, eáque dignitáte, ut primicérii alter, alter secundicérii, múnere fungerétur, accusáti sunt christiánæ religiónis in Augústa Euphratésia. Qua illa re commótus, íllico accérsitos, et in templum Jovis addúctos, sacrificáre diis jubet: cum se id factúros negárent, supérbus imperátor tam líberos mílitum ánimos indígne ferens, discíndi eórum zonas jubet, militári clámyde ac tórquibus áureis éxuit, fúnibus et caténis vinctos, mulíebri véstitu ludíbrii causa, per médiam urbem usque in régiam, ac deínde in tetérrimum cárcerem conjéctos diligénter assérvat.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis : ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida , et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

MIttúntur postrídie ad oriéntis présidem Antíochum excruciándi, ni a Christo descíscant. At vero illi, et sua sponte fortes, et semel jam atque íterum ab Angelo confirmáti, postquam in fide persístunt : ab iráto præside Sérgius in cárcerem inclúditur. Bacchus crudis nervis a quátuor carnifícibus immániter cæsus, inter vérbera mílitem se Christi esse proclamans, exspirávit. Nocte próxima Sérgium invísit, glorióso aspéctu récreat, ac de præparáta étiam ipsi coróna facit certiórem. Visum comprobávit evéntus. Póstero enim die prodúctus Sérgius, et clavátis cothúrnis indútus, cum in eádem, quam háuserat, Christi fide immótus perstáret, cápite truncátus in cœlum ad martyrii palmam étiam ipse evolávit.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora

sua propter Deum ad supplícia. — Ut hæredes.

Lectio vi.

EOdem die anniversária memória celebrátur sanctórum Marcélli et Apuleii, qui cum ántea Simóni mago insígniter essent addícti, postquam beáti Petri mirabília ópera, ac plane divína, Romæ vidérunt, statim Simóne et idolórum cultu relícto, apostolicáque doctrína imbúti christiánam fidem,ac religiónem ita sunt ampléxi, ut in atróci illa Nerónis persecutióne, post Apostolórum necem, Aureliáni consuláris jussu comprehénsi, fórtiter datis cervícibus,gloriósam mártyris palmam túlerint. De quibus illud étiam memóriæ próditum est, eos ejúsdem beáti Petri e cruce depósito córpori in Vaticáno sepultúræ locum delegísse. Sepúlti fuére non longe ab Urbe; sed eórum córporum relíquias Placentíni multis post annis ad se translátas, et in sancti Xysti templo honorífice cónditas, in hodiérnum usque diem pie ac religióse habére, et cólere numquam destitérunt, quæ sacra pígnora anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo a Joánne Baptísta epíscopo rite recógnita, in arca marmórea, in fronte eorúmdem aræ, pie compósita sunt.

℞. Tamquam.

In iij. Nocturno, Hom. Dóminus ac Redémptor. *de Communi j. loco.*

DIE 9. OCTOBRIS.

S. Domnini
Martyris Fidentini Patroni. Dupl.

Oratio.

OMnípotens ætérne Deus,qui beáti Dómnini mártyris tui in fídei confessióne firmitátem glorióso triúmpho decorásti : concéde nobis, quæsumus; ut eo adjuvánte, nos quoque in fídei confessióne stábiles et fervéntes usque ad mortem inveníri mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

INter cæteras persecutiónes, quæ in christiános motæ sunt ab imperatóribus románis, Diocletiáni et

Maximiáni persecútio multórum mártyrum sánguine fuit insígnis, in qua étiam illústre contígit sancti Dómnini martyrium. Igitur cum Maximiánus, pacátis jam Gálliis, ad Germániæ fines devenísset, et multos in suo exércitu mílites christiános esse percíperet, eos omni arte conátus est a Christi fide avértere, quos, cum in Christi fide constántes esse vidéret, plúribus ex illis perémptis, álios étiam perímere aggrediebátur. Erant ex divérsis provínciis christiáni número quasi quingénti, qui cum crudelitátem Maximiáni animadvérterent, commúni consílio inde discédere Romam versus statuérunt. Fuit hujus consílii præcípuus auctor sanctus Dómninus, qui a cubículis erat imperatóris, cujus diádema erat curæ ejúsdem sancti commíssum, quod statútis diébus cápiti imperatóris imponebátur. Suásu ítaque sancti Dómnini, dum mílites fugam parant, ad aures Maximiáni devénit multos in exércitu esse christiános, qui, desérta milítia, fugam paráre et Romam pétere decréverant : quamóbrem ira commótus, áliquot milítibus ad se accérsitis, de quibus erat suspício an Christiáni forent, hortári eos cœpit ut, Christi fide desérta, idolórum cultum amplecteréntur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

At mílites, in Christi fide persisténtes, idolórum cultum ádeo detestáti sunt, ut ipsi imperatóri sævítiem in Christiános palam exprobrárint; quibus tyránnus commótus, eos cápite cædi imperávit. Itaque mílites vitam hanc mortálem cum sempitérna glorióso martyrio commutárunt. Intérfuit horum certámini et morti sanctus Dómninus, qui, una cum multis christiánis milítibus, inde quámprimum abscédere properávit, non tormentórum et mortis metu, sed ut cæteris cómitem se

præbéret, et eos hortarétur ut fortes in Christi fide permanérent. Tanta enim jam erat tyránni et ejus satéllitum crudélitas, ut si quem invenissent, qui áliquid obséquii impénderet christiánis, prótinus comprehénsus, aut idólis immoláre, aut mortem subíre cogerétur. Idcírco cum sanctus Dómninus, ut ántea consuéverat, non posset ámplius in aula imperatóris prodésse christiánis, una cum ipsis milítibus discédere decrévit : quod certe illis cessit ad ánimi salútem, et sancto ad martyrii glóriam et triúmphum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vj.

NOcte quadam mílites una cum sancto Dómnino per loca ínvia iter arrípiunt, ne fácili negótio inveníri possint, et cum jam in Itáliam devenissent, videbántur sibi quasi secúri. Alii itáque Romam versus via Flamínia, álii via Cláudia iter prosequúntur; beátus vero Dómninus via Cláudia cæptum iter proséquitur; sed tyránnus Maximiánus, ubi mílitum fugam agnóvit, valde indignátus est, præcípue vero beáti Dómnini abscéssu, in quem præ cæteris ira accénsus, se despéctui ab eo habéri arbitrátus est. Proptérea, convocátis ad se multis, jubet ut statim sanctum ínsequántur, et ubicúmque invenissent, suum contémptum et deórum injúriam vindicántes, occíderent. Impii satéllites tyránno obtemperántes, nulla interpósita mora, sanctum prosequúntur, qui licet semper parátus fuísset vitam pro Christo sanguinémque profúndere, cum, ut dictum est, Itáliam intrásset, et via Cláudia Placéntiam pervenísset, eam cum pertransísset, prope flúvium Sisteriónem ab ímpiis satellítibus invéntus, statim gládio transverberátus et cápite truncátus, gloriósam palmam martyrii est consecútus.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 12. d*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Tract. 51. in Joannem, sub medium.*

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum : mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam : noli amáre, ne perdas : noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Coróna áurea super caput ejus,* Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viij.

HOC autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat, subintellígitur in hoc mundo, ipse útique perdet : qui autem odit, útique in hoc mundo, in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti : si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Hic est vere Martyr qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna

pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

SED vide ne tibi subrépat, ut teípsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni atque pervérsi hómines, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicídæ flammis se donant, aquis se præfócant, præcipítio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit : imo étiam diábolo præcipítium suggerénti respóndit, Redi retro sátanas : scriptum est, Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, signíficans qua morte clárificatúrus erat Deum: Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas : cum autem senúeris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seípso, sed ab álio debére occídi, qui vestígia séquitur Christi.

Te Deum.

—⁘—

DIE 11. OCTOBRIS.

(*Assign. e 30. Sept.*)

SS. Casti et Desiderii *Mm. Quorum Reliquiæ in basilica S. Antonini conduntur. Semiduplex.*

Oratio. Deus, qui nos ánnua. *de Communi.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

CAstus in Africa multa et grávia afflictiónum génera pro Christi nómine perpéssus, licet, ut beátus Cypriánus scribit, in prima congressióne pro humána fragilitáte ignis ardórem exhórrens, victus eváserit, tamen in secúndo prælio, ígnibus fórtior, gloriósam victóriam reportávit. Cum ígitur Christum constantíssime confiterétur, in ardéntem rogum injéctus, ambústo córpore ad martyrii palmam in cœlum evolávit undécimo kaléndas Júnii sacra vero ejus ossa Placéntiæ in templo sancti Antoníni honoríﬁce cóndita quiéscunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur

illæsi in aquis válidis : *Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v.

DEsidérius epíscopus Lingoniénsis, in Wandálica persecutióne martyrii corónam obtínuit. Cum enim Wándali Lingoniénsem urbem diu obséssam expugnássent, sanctus epíscopus in mœnibus próclamans, ab hoste véniam cívibus suis implorábat : inde in templum ad Deum pro pópulo deprecándum revérsus, mox a Wándalis, qui captam in urbem irruéntes magnum cívium númerum Christum confiténtium trucidárunt, comprehénsus est, et coram Crosco rege constitútus, a quo cum pópuli sui salútem supplex depósceret, seque pro ómnibus in Christi grátiam libentíssime moritúrum profiterétur, mori jussus est.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes.

Lectio vj.

ITaque voti compos factus beátus Desidérius, præcíso cápite, in cœlum ábiit ad præmia décimo kaléndas Június, Honório et Theodósio imperántibus. Ejus ossa hoc témpore Placéntiæ in ecclésia sancti Antoníni magna religióne colúntur; ubi tamen ipsíus simul, ac sancti Casti prædícti, solémnis celébritas uno et eódem die, scílicet prídie kaléndas Octóbris, síngulis annis perágitur. Eorúndem autem sacræ exúviæ anno millésimo octingentésimo octuagésimo tértio a Joánne Baptista epíscopo recógnitæ rite fuérunt, et honestióri lóculo inclúsæ.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore, dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 59. in Joann.

MAgnum quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est ecclésiæ prælátio, quæ multa índiget sapiéntia et fortitúdine, qualem Christus propósuit; ut ánimam pro óvibus ponámus, et numquam illas deserámus, ut lupo generóse resistámus : Hæc enim inter pastórem et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus, alter, sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit; furem mactántem, et rapiéntem oves : et mercenárium permitténtem, neque defendéntem commíssas.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia unus.

Lectio viij.

QUod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est : Væ pastóribus Israel : nonne pascébant semetípsos? Nonne greges pascúntur a pastóribus? Sed illi contrárium faciébant, quod máximæ malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum. Idcírco inquit : Neque quod abjéctum erat, reducébant; neque quod períerat, quærébant, neque confráctum alligábant, neque infírmum consolidábant, quóniam se, non gregem, pascébant. Idem et Paulus áliis verbis signíficat; omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

VErum ab utróque se dissidére osténdit Christus : ab illis quidem qui in aliórum perníciem véniunt, cum dicat, se proptérea venísse, ut vitam habérent, et abun-

dántius habérent: ab his autem, qui oves a lupis rapi negligébant, dicéndo se propter eas ánimam pónere, ne oves perírent. Nam cum Judæi ipsum interímere vellent, non proptérea déstitit a doctrína, neque credéntes trádidit; sed pérstitit, et pértulit mortem; ídeo frequénter inquit: Ego sum pastor bonus. Quæ cum nullo niti testimónio videréntur (quod enim póneret ánimam suam, non multo post re demonstrátum est; quod autem vitam habérent, et abundántius habérent, eventúrum erat in futúro sæculo) álterum ab áltero confírmat.

Te Deum laudámus.

DIE 12. OCTOBRIS.

S. Opilii *Diaconi Conf. Placentini.*

Cujus ossa in Basilica S. Antonini pie coluntur.

Duplex majus.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, zelátor domus Patris tui, qui beátum levítam Opílium templi tui cultórem et minístrum exímium effecísti; concéde quæsumus; ut ejus festivitátem celebrántes, honórem cultus tui júgiter diligámus, et a grato tibi servítio nunquam cessémus. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr. (S. R. C. 30 Junii 1896.)

In II. Nocturno.

Lectio iv.

OPílius inter illos præcláros viros fuit qui Placéntiæ sæculo quarto, in virtútibus et sanctitáte quam máxime enituérunt, et primi véluti hujus domínici agri flores apparuérunt. Is, adoléscens adhuc pietáti déditus, bonum Christi odórem circumferébat, et ita divíno erat igne incénsus, ut nihil áliud, nisi cœléstia, ejus ánimus meditarétur. Tanto Victoriánæ ædis, quæ tunc témporis Placéntiæ princeps erat, ac póstea sancti Antoníni vocáta est, desidério tenebátur, atque splendórem domus Dei ita diligébat, ut inde vix umquam discéderet. Jejúniis et obsecratiónibus die noctúque déditus, sæpíssime totam diem absque cibo transigébat, solis cœléstibus pastus delíciis, quibus in Christi córporis sumptióne, in

sacrórum bibliórum lectióne et meditatióne afficiebátur, et quæ, pro víribus reficiéndis a matre ei mittebántur, egénis libénti ánimo elargiebátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

DUM adhuc acólyti offício fungebátur, intérfuit translatióni córporis sancti Antoníni mártyris, quod beátus Sabínus invénerat. Diáconus placentínæ ecclésiæ efféctus, sacris ministériis ac munéribus divínis sancte piéque perfúnctus est. Signis et miráculis Opílius a Dómino quoque illustrátus, ægrótos plúrimos sanávit, dæmones ex hóminum corpóribus ejécit, áliaque multa mirabília patrávit. Cum aliquándo in céllula sua oráret Opílius, sanctus Gelásius, ejus frater natu minor, multitúdinem Angelórum cum eo loquéntem vidit, simúlque vocem audívit : Sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cœlórum. Dénique beátus levíta bonórum óperum plenus plusquam diérum, quiévit in Dómino, quarto idus Octóbris ineúnte sæculo quinto.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

POst óbitum, ejus fácies, uti tráditur, mirum in modum elúxit, atque ex ejus sacro córpore suavíssimus odor manávit. In templo sancti Antoníni, cui tam assídue sanctéque inservíerat, honorífice cónditum fuit, ipsíusque sepúlchrum Placentíni júgiter veneráti sunt. Fabrítius autem Placéntiæ epíscopus, ejúsdem Opílii corpus solemníssime tránstulit in locum honestiórem ejúsdem basílicæ sexto idus Maii anno millésimo quadringentésimo octogésimo, quo die quotánnis ejúsdem translatiónis

memória recólitur. Cum vero Joánnes Baptísta antístes basílicam sancti Antoníni invíseret, anno millésimo octingentésimo octuagésimo tértio, idem corpus rite recognóvit, et sub ara ipsi dicáta repósuit, atque cultum eídem exhíbitum antíquitus, tamquam primo et fidelíssimo custódi córporis sancti Antoníni mártyris urbis patróni, restaurávit, et auxit. Quum autem idem antístes novam ecclésiam in clericórum seminário erexísset, illam beáto levítæ Opílio solémniter dedicávit, ut júvenes clericáli milítiæ adscrípti in exémplum et patrónum eum habérent, et sub ara majóri nonnúllas ejúsdem diáconi relíquias religiosíssime compósuit.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno, Hom. in Evang. Confíteor tibi Pater. *ut in Festo S. Francisci Assis. IV. Oct.*

DIE 16. OCTOBRIS.

(D. ass. ex 9. hujus.)

SS. Dionysii *Episc.* Rustici et Eleutherii *Mm.*

Semiduplex.

Ut in Brev. die 9. huj.

DIE 17. OCTOBRIS.

S. Florentii

Ep. et Conf.

Cujus reliquiæ magno in honore habentur in collegiata ecclesia ejus nomini dicata civitatis Florentiolæ placentinæ diœcesis, ubi est etiam præcipuus loci patronus. Duplex.

Oratio.

Domine Deus noster, qui, beáti Floréntii confessóris tui atque pontíficis gloriósis miráculis et exémplis, ecclésiam tuam illustráre dignátus es : concéde propítius : ut, ipsíus muníti suffrágiis, a morte peccáti júgiter liberémur, et ad cœléstem vitam felíciter perveníre mereámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Floréntius apud Turonénses, ex-eúnte sæculo quinto, in Gállia natus, exímiæ vir sanctitátis fuit. Hic a prima ætáte óptime institútus, postquam in clericórum númerum adscríptus est, in

ábdita quadam céllula piis meditatiónibus egrégie excúlto ánimo, Romam ad apostolórum límina religiónis causa profiíscitur. In eo itínere íncidit forte in latrónes, a quibus post multa probra et contumélias, ubi étiam caput suum peti stricto gládio videt, ille nihil nisi Deo spíritum comméndat suum : cum, ecce tibi, o rem miram! suspénsum in áere latrónis hæret bráchium írrito conátu. Hoc miráculo cum perterrefácti péssimi hómines sanctum virum rogáre cœpíssent, ut Deum ipsis propitiáret, íllico impetráta illis a Dómino misericórdia, percussóres suos ímpune, ac bona cum vénia dimísit. Pagus est in episcopátu placentíno haud ignóbilis, Fidentiólam tunc quidem vocábant. Eo cum póstea pervenísset beátus Floréntius, atque ante ómnia, uti suus mos erat, sacram ædem sancti mártyris Bonifácii precum causa adiísset, ibi puéllam, quæ ad sepultúram deferebátur, a mórtuis excitávit. Hoc tanto miráculo, tum loci Princeps, qui puéllæ pater erat, tum étiam íncolæ, Floréntium invitáre, amóre ac benevoléntia compléсti, eíque ómnia sua deférre non desinébant.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Aliquot post annos, ubi illum in cœléstem pátriam migrásse allátus est núncius, eúmdem beátum Floréntium tutelárem et patrónum pagi perpétuum suméndum omnes censuérunt, atque pagum ipsum in ejus honórem Florentiólam nuncupáre cœpérunt. Itaque, eódem illo in loco, ubi puélla in vitam fúerat, revocáta, templum amplificándum, ipsiúsque sancti nómini dedicándum, curárunt; quod póstea anno millésimo tercentésimo elegantióre étiam ópere et structúra auctum, hódie pie visitur, et frequentátur. Nec uníus pagi angústiis tanti viri cultus se contínuit, sed étiam Romæ, Venétiis, Mediolâni ubi cæco

lumen, mórtuo vitam restítuit; áliis prætérea in locis magno in honóre fuit, et miraculórum glória illústris. In sua Gállia, pópulo ac regi percárus, Arausicánæ ecclésiæ póntifex creátus, multa tum doctrínæ, tum pietátis egrégia dedit arguménta, óptimi pastóris ac paréntis offícia diligentíssime éxsequens. Váriis concíliis intérfuit, et præsértim Epaonénsi quod anno quingentésimo decimoséptimo sanctus Avitus viennénsis epíscopus coégerat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. —Manus.

Lectio vj.

TAndem beátus epíscopus plenus méritis, ac miráculis clarus, sanctíssimo fine quiévit die décimo séptimo Octóbris, anno quingentésimo vigésimo séptimo, et Aráusicæ sepúltus est, ut talem virum décuit. Ex sacris ejus óssibus insignióra áliquot, Dionysii placentíni antístitis ópera, Florentiólam, ad illud, quod dictum est, templum deláta honorificentíssime excépta sunt, ibíque sub ara máxima cóndita; quæ multis persæpe miráculis floruére, et adhuc in summa veneratióne habéntur. Eo autem vel magis cultus erga hæc beáti Floréntii ossa percrébuit, posteáquam corpus ejus, quod Aráusicæ habebátur, ab inconómachis calviniánis combústum est sæculo decimoséxto, et in Rodánum projéctum. Quorum translatiónis anniversária memória, quæ Florentiólæ décimo quarto kaléndas Aprilis ántea recolebátur, nunc ex sacræ rítuum congregatiónis décreto, Domínica secúnda post Pascha perágitur. Anno vero millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo Joánnes Baptísta antístes, cum collegiátam ecclésiam sancti Floréntii visitáret, ejus sacra ossa rite recognóvit, et aram eídem dicátam dénuo consecrávit.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homil. Ut ignorántiam. *de Communi ij. loco.*

DIE 21. OCTOBRIS.
(*D. a. ex 17. huj.*)
S. Hedwigis
Viduæ. Semiduplex.

Ut in Breviario die 17. hujus.

DIE 23. OCTOBRIS.
SS. Redemptoris.
Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 24. OCTOBRIS.
S. Raphaelis *Arch.*
Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DIE 25. OCTOBRIS.
SS. Chrysanthi *et* **Dariæ** *Martyrum*

Aliquæ eorum reliquiæ in basilica S. Sabini coluntur.

Semiduplex.

Oratio.

BEatórum mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi et Dáriæ, quæsumus, adsit nobis orátio, ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

CHrysánthus Alexandrinus una cum patre Polómio viro illústri ex órdine senatório, Romam venit, ubi divíno spíritu ad veri Núminis cognitiónem addúctus, Daríam sponsam, quam ei pater, ut a Christi fide revocarétur, post diríssimam cárcerem desponsáverat, felíciter convértit ad fidem. Mirum est, quanta prius ab ímpio patre et a dæmónibus tentaménta pertúlerit, sed invíctus Christi athlétæ ánimus ádeo se fórtiter gessit, omnésque artes et adversariórum vires elúsit, ut ómnibus esset admiratióni et exémplo.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: *Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ et torréntes inundavérunt.

Lectio v.

QUamóbrem Romæ innumerábilem hóminum multitúdinem, hæc

mulíerum, ille virórum, ad Christum convertérunt. Eos ígitur Celerínus præféctus comprehénsos trádidit Cláudio tribúno, qui jussit a milítibus Chrysánthum vinctum acérrimis cruciátibus torquéri, sed víncula ómnia resolúta sunt, et cómpedes, in quos conjéctus fúerat, confrácti.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine; * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes.

Lectio vj.

DEínde bovis cório inclúsum in ardentíssimo sole constítuunt; tum pédibus ac mánibus caténa constríctis, in obscúram cárcerem detrúdunt; ubi, solútis caténis claríssima lux locum illustrávit. Daría vero in lúpanar detrúsa, a bove qui e cávea fúgerat, ne quis ad eam accéderet, divínitus defénsa est. Dénique in arenária, quæ est via salária, ambo effóssa terra in fóveam conjécti, et lapídibus óbruti, parem martyrii corónam adépti sunt. Quorum córporum áliquæ relíquiæ in sepúlcro sancti Mauri, in basílicam sancti Sabíni Placéntiæ jam a sæculis asservántur, quæ anno millésimo octingentésimo octuagésimo invéntæ, atque a Joánne Baptísta epíscopo recógnitæ, honestióri túmulo decorátæ sunt.

℟. Tanquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 2.

IN illo témpore: Dicébat Jesus Scribis et Pharisæis: Væ vobis, qui ædificátis monuménta Prophetárum, patres autem vestri occidérunt illos. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Comment. in Luc. 11.

NON monuménta Prophetárum ornáre, sed interfectóres Prophetárum imitári scéleris est. Judæi ergo Prophetárum monuménta ædificándo, patrum suórum facta, qui hos occidérunt arguébant, sed patérna facínora æmulándo, dum Christum Apostolósque illíus insequúntur in seípsos senténtiam retorquébant, éadem vi-

délicet ipsi, quæ in paréntibus damnábant, agéntes. Proptérea et Sapiéntia Dei dixit, mittam ad illos Prophétas et Apóstolos et in illis occídent, et persequéntur. Sapiéntiam Dei seípsum dicit, ipse est enim Dei virtus, et Dei sapiéntia, sicut Apóstolus docet.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

UT inquirátur sanguis ómnium Prophetárum, qui effúsus est a constitutióne mundi a generatióne ista. Quærimus, quómodo sanguis ómnium Prophetárum atque justórum, ab una Judæórum generatióne requirátur, cum et multi sanctórum, sive ante incarnatiónem, seu post mortem, resurrectionémque Salvatóris, ab áliis sint natiónibus interémpti, et ipse Dóminus, Judæis licet acclamántibus, a románo tamen præside romanísque sit milítibus crucifíxus? Sed moris est scripturárum duas sæpe generatiónes hóminum, bonórum scílicet malorúmque, computáre: hoc est eórum, qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt : et eórum, quibus dícitur : vos ex patre diábolo estis. Et álibi : serpéntes, generátio viperárum.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.— Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

A Sánguine Abel usque ad sánguinem Zacharíæ, qui périit inter altáre et ædem. Quare a sánguine Abel? Quia primus martyrium passus est : et mirum non est. Sed quare usque ad sánguinem Zacharíæ? Quæréndum est. Cum multi et multi post eum usque ad nativitátem Christi, et ipso mox nato, Innocéntes in Béthlehem púeri sint ab hac generatióne perémpti. Nisi forte,

quia Abel pastor óvium, Zacharías sacérdos fuit, et hic in campo, ille in átrio templi necátus est: utriúsque gradus mártyres; et láici scílicet et altáris offício mancipáti, sub eódem vóluit intimáre vocábulo. Te Deum.

DIE 26. OCTOBRIS.

S. Fulci Scotti

Placentini

Episcopi Confessoris.

Duplex majus.

In Cathedr. dupl. ij. cl. *Oratio.* Exáudi. *de Comm.* *In j. Nocturno Lectiones de scriptura occurrente.* (S. R. C. 30 Junii 1896). *In Cathedr.* Laudémus viros, *de Comm. ij. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FUlcus placentínus, ex nóbili gente Scota oriúndus, singuláre integritátis et innocéntiæ exémplum fuit. In summa rerum ómnium inópia, cum de ardénti litterárum ac pietátis stúdio nihil remítteret, divína ei bónitas non défuit. Exíerat aliquándo ille ad colligéndam stipem, ut solet; mercatóris cujúsdam ancílla impróbior frustum offert panis, sed ea conditióne ut episcopátum sibi obtrúdi ne unquam patiátur. Rétrahit manum bonus adoléscens, iníquum ratus, étiam in fame, eam accípere conditiónem, qua ad sequéndum Deum, quem intus jam sénserat, líberum iter non páteret. Deláta res ad herum est, qui accérsito statim Fulco, quotidiánum in ædibus suis cibum, ac perpétuum, sed prius ácriter objurgáta coram eo fæmina, humániter liberalitérque pollicétur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

POst máximos in lítteris ac pietáte progréssus, Placéntiæ apud ecclésiam sanctæ Euphémiæ inter lateranénses canónicos cooptátus Parísios míttitur ad stúdium theológiæ: evádit is, quem ejus scripta testántur. Ubi in pátriam revértitur, summa in eo enítuit et ánimi demíssio, et vitæ sánctitas. Itaque, mórtuo præpósito, in ipsíus locum

sufficitur nondum trigínta annos natus: admirántur hóminis prudéntiam non modo sui, sed étiam placentínus antístes Grimérius. Quo étiam factum, ut in plúrimis gravissimísque ecclésiæ suæ rebus ópera et consílio Fulci libénter uterétur. Expértus fidem et integritátem, primo eum cathedrális templi canónicum, deínde vero archipresbyterum, faciéndum curat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vj.

ANno salútis nostræ millésimo ducentésimo décimo móriturGrimérius: elígitur pastor Fulcus a clero univérso: præest annos sex, singulári cum prudéntia, tum étiam sanctitáte. Inde ad papiénsem ecclésiam Honórii tértii voluntáte translátus, dum quinos denos quotídie mensæ suæ páuperes ádhibet, dum tótidem álios in litterárum stúdiis alit, dum viduárum, orphanórum, vírginum, míserum ómnium curam nunquam depónit, commúnis ómnium parens una voce prædicátur. Sed quóniam vigíliis, précibus, córporis afflictatiónibus, crebris ad pópulum conciónibus totus inténtus, nihil sibi parcit, dúmmodo áliis prosit, trédecim annis in hac assídua pastorális offícii ac virtútum exercitatióne consúmptis, tandem ad præmia cœléstis vitæ evocátur. Ejus sánctitas, et non dúbiis póstea signis fuit declaráta, et multo pópuli univérsi sermóne celebráta. Corpus ejus in crypta papiénsis cathedrális cónditum, anno millésimo oetingentésimo octogésimo secúndo ab Augustíno Ribóldio epíscopo recógnitum in nova arca sub ara máxima compósitum est. Anno dein millésimo nongentésimo primo ab eódem ticinénsi antístite, insígnis sancti Fulci relíquia Joánni Baptístæ placentíno epíscopo dono data est, quæ nunc in cathedráli devotíssime asservátur et cólitur.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno Homilia Ut ignorántiam, *de Communi ij. loco.*

DIE 30. OCTOBRIS.

S. Gerardi a Porta

Placentini.

Episc. Conf. Duplex.

Oratio.

TRíbue nobis, quæsumus Dómine, singulárem beáti Gerárdi confessóris tui atque pontíficis humilitátem et caritátem imitári: ut, qui illíus præclára mérita celebrámus in terris ejus quoque consórtio pérfrui mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GErárdus placentínus e nóbili família, A Porta nuncupáta, illústri loco natus, a prima pueritia, hausta cum lítteris pietáte, divíno consílio relíctis suis, ac peragráta bona Itáliæ parte, tandem Poténtiæ apud Lucános consédit. Ibi caritáte ardens, ut párvulos ad Christum addúceret, apérto ludo litterário, téneram ætátem erudíre gratis cœpit miríflca patiéntia et integritáte. Admiráti hóminis caritátem Potentíni, subláto e vivis epíscopo, unum omnes dignum censuérunt, quem in demórtui locum subrogárent : id quod est factum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

HOminum de illo judícia comprobávit miráculis étiam Deus, in quibus illud non extrémæ notæ, quod cum in lustránda, ut solet, diœcési, vinum forte defecísset, signo crucis aqua in vinum repénte convérsa; mirabíliter suos recreávit. Ecclésia octo annos felicíssime administráta ad extrénum vigíliis, labóribus, ac sénio confétus, quiévit in Dómino, et in eádem urbe cum moeróre ómnium sepúltus est. Hunc pósteaCallístus póntifex ejus nóminis secúndus, ob egrégiam viri sanctitátem áliis miráculis testátam, sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59. de S. Eusebio. 2.

Lectio vj.

BEáti patris Gerárdi mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus; qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit et plenam cœléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit : qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam pervéniret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus? ℟. Iste est.

In iij. Nocturno, Homil. Ut ignorántiam, *de Communi.*

DIE 31. OCTOBRIS.

(assign. ex heri.)

S. Germani

Episc. et Conf.

Cujus ossa nonnulla in templo S. Xysti pie asservantur.

Semiduplex. (m. t. v.)

Oratio. Da quæsumus, *de comm.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

GErmánus epíscopus capuánus, in qua pietátis et rerum agendárum opinióne haberétur, declarárunt duæ pro Christi ecclésia gravíssimæ legatiónes: prima, cum ab Anastásio papa Constantinópolim proféctus, imperatórem Anastásium ad fídei cathólicæ integritátem revocávit; áltera, quando ab Hormísda missus, orientálem ecclésiam románæ, post longam dissensiónem, cathólica communióne conjúnxit. Ad hujus sancti viri preces Paschásius diáconus a poenis absolútus est, quibus, post illíus mortem, in thermis angulánis purgabátur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniqui-

tátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

EJus porro admirábilem sanctitátem declarávit pompa qua fuit in cœlum recéptus. Qua enim nocte mórtuus est, cum, quiescéntibus áliis, vir Dei Benedíctus vígilans ad fenéstram oráret, et inter noctis ténebras splendor se se effúnderet, meridiána luce clárior, mundúsque fere totus sub uno solis rádio colléctus viderétur, atténtius figens óculos, aspéxit beáti Germáni ánimam in cœlum ab Angelis in ígnea sphæra deférri.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

CUM autem Cápuam núntius adíre jussus esset, qui de Germáno epíscopo inquíreret, compértum est, eádem illa hora defúnctum fuísse, qua sanctus Benedíctus ipsíus ánimam in cœlum deférri cònspéxerat, tértio kaléndas Novémbris. Ossa áliquot insignióra hujus sancti epíscopi magno habéntur honóre Placéntiæ in ecclésia sancti Xysti. Quæ anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo a Joánne Baptísta epíscopo rite recógnita, et cum beáto Macário in fronte aræ illis dicátæ, compósita sunt.

℟. Iste est.

In iij. Nocturno Homil. Léctio sancti Evangélii, *de Comm. j. loco.*

DOMINICA II. OCT.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DOMINICA III. OCT.

Puritatis B. M. V.

Duplex majus

Ut inter Festa pro aliquibus locis.

DOMINICA INFRA OCT.

Omnium Sanctor. Comm. Sanctorum

Quorum corpora vel reliquiæ in ecclesiis placentinæ diœcecis asservantur.

Duplex majus.

Ut inter Festa pro aliquibus locis, Dominica 4. Octobris.

DIE 10. NOVEMBRIS.

S. Andreæ Avellini

Confessoris.

Placentiæ patroni minus principalis.

Duplex majus.

Omnia ut in Brev. hac die. Lectiones I. Nocturni Justus, *de Comm. j. loco.*

DIE 13. NOVEMBRIS.

Inventio S. Antonini

Martyris.

Duplex ij. classis.

AD VESPERAS.

Añæ de Laudibus, Psalmi de Dominica et loco ultimi Ps. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. *Ephes.* 6. 10.

FRatres, confortámini in Dómino et in poténtia virtútis ejus, et indúite vos armatúram Dei ut póssitis stare advérsus insídias diáboli.

Hymnus.

NOn timent mortis rábiem, nec ævi,
Quidquid et terris vel edácis exstat,
Mártyrum Christi, rubicúnda multo
Sánguine, membra.
Ecce tercéntum licet ossa lustris
Et cubent udo tumuláta saxo,
Dénuo Antoníni hílares revísunt
Lúminis oras.
O dies felix celebránda plausu!
Rite qua nobis patris ac patróni
Inclyti rursus cíneres, Joánne
Præsule, clarent!
Nunc piis lectæ mánibus quiéscunt
Cóndita ex auro rutilánte in urna,
Et vitris clara et pretiosióri
Arte fábrili.
O spei nostræ moniménta, avéte!
Urna ter nobis níteas beáta!
Tu decus semper columénque adésto
Rebus in arctis.
Tu Placentínis dabis usque pacem;
Ingruant nimbi, fera bella, pestes,
Oppidis ac urbi eris in salútem
Iris et arca.
Sit salus summæ Triádi perénnis,
Sæpe quæ tanti précibus vocáta
Mártyris, nobis tríbuat supérna
Scándere ad astra.
Amen.

℣. Justus germinábit sic-

ut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dñum.

In utrísque Vesp. ad Magnificat Aña. Dei mónitu surgens beátus Sabínus Christi mártyris Antoníni ossa invènit, et hymnos pie decántans, in æde cum gáudio sepelívit.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui in inventióne beáti Antoníni mártyris tui nos pretióso pígnore locupletásti: concéde propítius, ut ejúsdem certámine erudíti et patrocínio gubernáti, fortes in bello efficiámur in terris, ut cum ipso coronári mereámur in cœlis. Per Dñum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beáti Antoníni mártyris. *Psal.* Veníte, exultémus.

Hymn. ut supra in Vesp.

Añæ, Psalmi et ℣. de Comm. unius Mart.

In I. Nocturno.

De libro primo Machabæórum. 2. 31.

Lectio j.

Et renuntiátum est viris regis, et exercítui, qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessíssent viri quidam, qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occúlta in desérto, et abiíssent post illos multi. Et statim perrexérunt ad eos, et constituérunt advérsus eos prælium in die sabbatórum, et dixérunt ed eos : resístitis et nunc adhuc? exíte, et fácite secúndum verbum regis Antíochi, et vivétis. Et dixérunt : non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem sabbatórum. Et concitavérunt advérsus eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occúlta, dicéntes : Moriámur omnes in simplicitáte nostra: et testes erunt super nos cœlum, et terra, quod injúste pérditis nos.

℟. Mílites Thebæi dixérunt Maximiáno : nos simulácra tua despícimus; * Nos unum Deum cólimus, qui fecit cœlum et terram. ℣. Simulácra géntium argéntum et aurum, símiles illis fiant, qui fáciunt ea, et omnes qui confídunt in eis. — Nos unum Deum.

Lectio ij.

Et appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, et dixit fíliis suis:

Nunc confortáta est supérbia, et castigátio, et tempus eversiónis, et ira indignatiónis. Nunc ergo, o fílii! æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, et mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; et accipiétis glóriam magnam et nomen ætérnum. Abraham, nonne in tentatióne invéntus est fidélis, et reputátum est ei ad justítiam? Joseph, in témpore angústiæ suæ, custodívit mandátum, et factus est dóminus Ægypti. Phínees pater noster zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. Jesus, dum implévit verbum, factus est dux in Israel. Caleb, dum testificátur in ecclésia, accépit hæreditátem. David in sua misericórdia consecútus est sedem regni in sæcula. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Ananías et Azarías et Mísael credéntes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicáte liberátus est de ore leónum.

℟. Maximiánus ira pércitus misit exércitum in Thebæos, * Et eos trucidári imperávit. ℣. Posuérunt carnes sanctórum tuórum béstiis terræ, effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem. — Et eos.

Lectio iij.

Et ita cogitáte per generatiónem, et generatiónem; quia omnes, qui sperant in eum, non infirmántur. Et a verbis viri peccatóris ne timuéritis: quia glória ejus stercus et vermis est: Hódie extóllitur, et cras non inveniétur: quia convérsus est in terram suam, et cogitátio ejus périit. Vos ergo fílii, confortámini, et viríliter ágite in lege: quia in ipsa gloriósi éritis. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consílii est: ipsum audíte semper, et ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus, fortis víribus a juventúte sua, sit vobis princeps milítiæ, et ipse aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis: et vindicáte vindíctam pópuli vestri. Retribúite retributiónem géntibus, et inténdite in præcéptum legis. Et benedíxit eos, et ap-

pósitus est ad patres suos.

℟. Quos mílites servávit Deus a cæde incólumes, * Illos ad multórum salútem diréxit. ℣. Intelligéntes confugérunt ad univérsam in circúitu regiónem, et ibi evangelizántes erant. — Illos. Glória Patri. Illos.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SAcrum sancti Antoníni mártyris corpus Placéntiæ cum obscúro olim atque incógnito loco diu latuísset, beáto Sabíno ejúsdem urbis epíscopo divíno indício revelátum est: invéntum vero cum civitátis incredíbili gáudio et gratulatióne, idem Sabínus solémni pompa, máxima pópuli frequéntia, in cónditam a beáto Victóre antecessóre suo basílicam tránstulit, ubi multis atque insígnibus miráculis refúlsit. Illo autem ipso témpore, hoc in primis accídit memorábile, quod gutta sánguinis, períndе atque recens effúsi, ex eódem córpore proflúxit, quam quidem gloriósi martyrii índicem esse ac testem nemo dubitábat.

℟. Invíctus Christi miles Antonínus in hanc véniens civitátem. * Ibi Christum Crucifíxum prædicávit. ℣. Multus númerus credéntium convérsus est, ad Dóminum, et factum est gáudium magnum in hac civitáte. — Ibi Christum.

Lectio v.

INsígne étiam illud, quod cum unus tantum ipse adésset beátus præsul Sabínus, ex improvíso álii sex antístites, incértum qui, aut unde, adfuérunt, pontifício ipsi quoque ornátu omnes, qui venerábiles beáti viri relíquias, una cum beáto Sabíno, ídibus Novémbris, transtulére. Quo pietátis offício persolúto, cum ex ómnium óculis repénte se eripuíssent, neque usquam apparérent ámplius, erant, qui ita interpretaréntur, fortíssimi athlétæ exéquias Angelórum præséntia ac ministério fuísse cohonestátas.

℟. Qui incréduli fuérunt suscitavérunt, et adiracúndiam concitavérunt ánimas géntium advérsus Antonínum, * Et perduxérunt eum in forum ad tribúnum. ℣. Clamábant

dicéntes: hic homo contúrbat civitátem nostram. — Et perduxérunt.

Lectio vi.

Eodem étiam témpore illud evénit mirábile, ut cum sancti Antoníni corpus in beáti Victóris epíscopi sepúlchrum inferrétur, ipsíus Victóris ossa, spectántibus, atque obstupescéntibus, quiáderant, univérsis, in urnæ suæ partem inferiórem se se recíperent, ac digniórem locum beáti Antoníni óssibus relínquerent. Ita, quod vivus olim futúrum díxerat beátus Victor, id tunc res ipsa comprobávit: díxerat autem, sub vitæ éxitum, sibi astántibus, post mortem suam fore ut eódem illo in túmulo, quem sibi parásset, álius longe dígnior ac præstántior conderétur. Atque, hac de causa, ex eo témpore éadem illa ædes, quæ sancti Victóris fúerat, sancti Antoníni mártyris nómine cœpta est nuncupári. Quæ autem ossa anno millésimo octingentésimo septuagésimo nono a Joánne Baptísta epíscopo recógnita fuére, atque in nova arca deauráta, anno sequénti cóndita, magna pompa per urbem pie deláta et exaltáta, sub eádem ara dénuo compósita sunt.

℟. Stetit ante tribúnum Antonínus, * Et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi. ℣. Cum vidísset tribúnus eum a fide avértere non posse, gládio necári jussit. — Et conféssus. Glória Patri. Et conféssus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fugíte in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Athanásii Epíscopi.

Ex Apologia de fuga sua.

In lege præcéptum erat ut constituebréntur civitátes refugiórum; ut, qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit: Cum vos, inquiens, persecúti fúerint

in civitáte ista, fugíte in áliam. Paulóque post súbjicit : cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem prophétam, consisténtem in loco sancto, qui legit intélligat, tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad mantes: et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua: et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam.

℟. Sanguis tunc effúsus manet; * Testis nobis ejus passiónis. ℣. Adhuc rubet, ac post sæcula vívidus repértus est. — Testis nobis.

Lectio viij.

HÆC cum scirent sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in sanctis : et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam, quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum, propter nos homo factum, non indígnum putávit, cum quærerétur, quemádmodum et nos, abscóndere se; et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre: cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus.

℟. Dedit Dóminus mártyri invícto gládium áureum dicens : * Accipe sanctum gládium, munus a Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei. ℣. Hic est fratrum amátor et pópuli hujus; hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa societáte. — Accipe. Glória Patri. Accipe.

Lectio ix.

AT vero sancti hómines, cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent, (ab ipso enim et ántea et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres ut legítime certárent, fugiébant, et ab illis quæsiti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre, et vivi-

ficáre, pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis et péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus, cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illí placuísset.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ.

1. Antonínus miles * índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias diáboli.

2. Stetit succínctus* lumbos suos in veritáte, et indútus loricam justítiæ.

3. Assúmpsit scutum * fídei, gáleam salútis, gládium spíritus, et calceátos hábuit pedes in præparatiónem Evangélii pacis.

4. Certávit bonum certámen, et extínxit ómnia tela iniquíssimi tyránni.

5. Trádidit invíctus * corpus suum propter Deum ad supplícia, et méruit habére corónam perpétuam.

Capitulum. *Eph.* 6. 10.

FRatres, confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus, et indúite vos armatúram Dei, ut póssitis stare advérsus insídias diáboli.

Hymnus.

O Fortis inter mílites,
Terræ cadúcam glóriam
Viríliter qui réspuens,
Alto triúmphas æthere.

Hanc, quam rigásti sánguine,
Quam reddidísti dívitem,
Nunc tam beáto pígnore,
Urbem benígnus áspice.

Nos sanguis iste præmonet,
Quæ sis datúrus múnera;
Sic nuper hic de córpore
Manans spopóndit grátias.

Undas salúbres ímbrium
Nobis dedísti, et ímpetus
Longe fugátos hóstium
Per te repénte sénsimus.

Audi preces, quas fúndimus
In hoc vagántes æquóre,
Syrtes tot inter déviis
Præbe salútis sémitam.

Ut æmulántes cárpere
Tecum labóris láuream,
Queámus olim pérfrui
Tecum quiétis præmio.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. O Antoníne beatíssime, quos tui córporis præsídio deféndis, nos comménda indesinénter Deo, allelúia.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui hunc pópulum beáti Antoníni mártyris tui glorióso patrocínio circúmdas et prótegis: concéde propítius; ut tanto præsídio muníti certántes in terris, cum ipso quoque coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Fratres, confortámini, *ut supra.*

℟. *br.* Glória et honóre * Coronásti eum Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM

Capitulum. *Ephes.* 6.

NON est nobis colluctátio advérsus carnem, et sánguinem : sed advérsus príncipes, et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ in cœléstibus.

℟. *br.* Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. *Ephes.* 6.

INdúti loricam justítiæ, et calceáti pedes in preparatióne Evangélii pacis, in ómnibus suméntes scutum fídei, gáleam salútis assúmite, et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

℟. *br.* Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória Patri. Magna.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II. VESPERIS.

Añæ de Laud. Ps. de Dom. et loco ult. Ps. Crédidi. *Cap. Hymn. de j. Vesp.*

℣. Certámen forte dedit illi ut vínceret. ℟. Et accípere méruit corónam glóriæ.

Ad Magnificat, Aña. Dei mónitu, *etc. ut in I. Vesperis.*

DIE 16. NOVEMBRIS.

S. Stanislai Kostkæ

Conf. Duplex.

Ut inter festa pro aliquibus locis.

DOM. III. NOVEMBRIS.

Patrocinium B. M. V.

Duplex majus.

Ut in Festis ejusdem B. M. V.

DIE 27. NOVEMBRIS.

(*assign. e* 13 *huj.*)

S. Homoboni *Conf.*

Cremonensis Patroni.

Duplex. (*m. t. v.*)

Oratio.

DEus, qui beátum Homóbonum confessórem tuum, pietátis et misericórdiæ donis insígnem, ad promíssa misericórdibus præmia felíciter perduxísti: tríbue quæsumus; ut quem páuperum patrem in terris habúimus, tutelárem propítium habeámus in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

HOmóbonus cremonénsis, ex honésta Tucengórum família, Deum ab ipsa infántia timére et cólere cœpit, ejúsque vita, per omnes ætátum gradus sanctíssime tradúcta, apérte probávit, non jam hóminis, sed integritátis fuísse Homóboni nomen, quo, ipsum e sacro baptísmatis fonte sublátum, cæléšti quodam mentis præságio appelláre voluérunt. Adoléscens patris mercatúram sequútus, fidélis et verax, néminem umquam sciens decépit. Comis simul et gravis morúmque integérrimus, ómnibus et mirándus et accéptus evásit. Deínde, paréntum jussu, quibus in ómnibus fuit obsequentíssimus, vírginem duxit uxórem, cum qua castíssime semper vixit. Mórtuo vero patre, jamque sui juris effésctus, thesaurizáre sibi constítuit thesáuros in

cœlo, omníque omíssa sollicitúdine cogéndi divítias in terris, humána societáte relícta, et quasi a córpore avocátus, jejúniis, vigíliis, oratiónibus semper inténtus, Deo rerúmque divinárum cogitatióni totus inhærébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis et a seductóribus tutávit illum. * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

SUmma item flagrans caritáte in próximum, trístibus levámen, errántibus mónita, ignáris sine arrogántia doctrínam, inimícis véniam, fidum deliberánti consílium, mórtuis oratiónem, ómnibus sua seque ipsum libentíssime détulit. Egénis autem rem suam, quam mercatúra áuxerat, ádeo lárgiter erogábat, ut ab ómnibus pater páuperum mérito appellarétur. Quam profúsam viri liberalitátem ægre ferens uxor, tum précibus, tum objurgatiónibus gravibúsque convíciis, eum ab hoc sancto propósito avocáre conabátur. Cujus ille moléstam garrulitátem æquo ánimo pérferens, divínæ sapiéntiæ mónitis et evangélicis senténtiis refellébat. Quin Deus ipse Homóboni liberalitátem sibi valde plácitam declarávit prodígiis, cum panes in ejus canístro repénte aucti, tum aquæ pro fossóribus prædii sui in vinum convérsæ, pro eo, quod paupéribus ántea distribúerat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi.

HIS aliísque miráculis, vitæque sanctitáte insígnis, venerári Homóbonus ádeo cœpit ab ómnibus, ejúsque fama longe latéque vulgári, ut ejus sanctíssimis verbis et móribus, plures in fide et religióne confirmaréntur, errantésque resipíscerent. Précibus ínsuper matutínis atque noctúrnis assíduus intérerat in templo sancti Ægídii, apud quod ab átavis domum possi-

débat, templíque fores noctu sponte sua eídem sæpius patuísse compéruit, ut testabátur ejúsdem præses Hubértus sacérdos. Complēto autem offício, in oratióne ante crucem Dómini et imáginem beatíssimæ Vírginis prostrátus, expectábat donec Missæ sacrifícium celebrarétur. Id de more præstábat incólumis ídibus Novémbris anni millésimi centésimi nonagésimi séptimi :·cumque sacérdos hymnum Angelórum cœpísset, ante crucem, mánibus in modum crucis in terra exténsis, procúbuit, ibíque cum gáudio ad Deum, nullo corréptus morbo, migrávit. Qui vero accésserant, eum a somno excitári credébant, quod ad Evangélium audiéndum non súrgeret, ipsum e vita excessísse cognovérunt.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. — Quia te. Glória. Quia te.

In iij. Nocturno, Homilia Pusíllum gregem, *de Comm. ij. loco.*

DIE 28. NOVEMBRIS.
(assign. e 21.)

S. Columbani

Abbat. Bobiensis Patroni. Duplex. (m. t. v.)

Oratio. Intercéssio, *de Comm. Abbatum.*

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Columbánus, natióne Hibérnus, jam inde ab infántia futúram claritátem præsignávit. In humánis divinísque lítteris appríme versátus, inter cétera ingénii sui et doctrínæ monuménta, expositiónem in Psalmos adhuc adoléscens édidit. Carnis, mundi et dæmonis triumphátor, per calcátam matrem, strato sibi ad religiónem itínere, monastérium Benchor, per id témporis celebérrimum, ingréssus est : in qua sapiéntiæ sanctióris schola usque ádeo profécit, ut paucis post annis, ex discípulo magíster factus virtútis, et ad munus prædicándæ evangélicæ veritátis a Deo vocátus,

assúmptis secum ex eódem cænóbio duódecim mónachis, in Británniam indéque in Gálliam trajécerit, circa annum quingentésimum octogésimum quintum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

AB Austrasiórum rege perhumáne excéptus, ad Vósagum montem húmiles casas sibi sociísque constrúxit: quibus, in summa vitæ austeritáte et rerum ómnium inópia degéntibus, sæpe Deus commeátum mirabíliter provídit. Sed cum illa solitúdo ab iis qui ad Columbánum sanitátis obtinéndæ grátia confluébant, frequentári cœpísset; festis ipse solemnióribus secédens in interióris desérti spelúncam, quam huic dignióri hóspiti ursus concésserat, sylvéstrium árborum fructu, et fontis, quem e petra, velut alter Moyses, edúxerat, unda recreátus, procul ab hóminum consórtio rerúmque terrenárum curis, mentem divínis contemplatiónibus exercébat. Cum vero illíus sanctitátis fama, ex his látebris erúmpens, plures ad ejus magistérium efflagitándum úndique allíceret, Luxoviénse cœnóbium cóndidit, in quo tercéntos mónachos, laudis perénnis sacrifícium Deo immolántes, suis exémplis ac præcéptis informávit; quos, ut in obediéntia exercéret, ægros aliquándo e léctulo súrgere ac fruméntum flagelláre jussit: obediéntibus, labóris sui fructum, sanitátem consecútis. Suis ipse précibus nunc créscere in hórreis, nunc in mánibus annónam fecit. Interim cum sanctitáte, doctrína et miráculis toti Gálliæ prælucéret, Theodóricus, Burgúndiæ Rex, cujus ipse impúros amóres arguébat, virum Dei várie vexátum proscrípsit. Quare Luxóvio extrúsus, regis império Bisúntium ductus est, ubi captivórum víncula, captívus ipse, solo tactu confrégit; moxque eádem, qua

álios donáverat, libertáte ad suos revérsus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

TUM vero sic Theodorícus, instigánte Brunichílda regína, exársit, ut ad eum e cœnóbio exturbándum míserit satéllites, quos præsens Columbánus, offúsa divínitus eórum óculis animísque calígine, velut alter Elisæus, elúsit. Sed regis furóri cedéndum ratus, post prænuntiátum prophético spíritu ipsi et posteritáti ejus intéritum, dum in Hibérniam trajíceret, exórta mirabíliter tempestáte, ad Gálliæ oram repúlsus, ad Theodobértum Austrásiæ regem se cóntulit : a quo benígne recéptus, in Helvétiam primum cum sancto Gallo aliísque sóciis venit, deínde ad lacum Brigantínum consédit, dirutísque idolórum templis, superstitiónem ubíque debellávit. Inde a gentílibus ejéctus, in Itáliam ad Agylúlphum Longobardórum regem proféctus est, extructóque in CóttiisAlpibus Bobiénsi monastério, ariános, coram et scriptis, acérrime confutávit. Tandem gravíssimis diutúrni exsílii labóribus pro glória Dei perfúnctus, in cœléstem pátriam migrávit, undécimo kaléndas Decémbris, anno Christi sexcentécimo décimo quinto.

℟. Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Grandis fidúcia, *de Communi Abbatum.*

DIE 29. NOVEMBRIS.
(d. a. e. 13 huj.)

S. Didaci

Conf. Semiduplex.

Ut in Breviario die 13 *hujus.*

Commemoratio de sanctis Patronis nostris.

Ubique ab omnibus facienda tam in civitate, quam in diœcesi, inter suffragia communia Sanctorum in Vesp. et Laud. præter in locis ubi pecularis patronus habetur.

In Vesperis, Aña. Inclyti mártyres Christi Antonínus et Justína, exstinguéntes ímpetum ignis, et in occisióne gládii moriéntes immortális glóriæ coróna sunt decoráti.

℣. Dominabúntur sancti pópulis. ℟. Et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Oratio.

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, ut pópulus tuus, qui sub tantis sanctórum mártyrum tuórum Antoníni et Justínæ patrocíniis est constitútus, et a suis offensiónibus liberétur, et ab ómnibus protegátur advérsis.

In Laudibus, Aña. Sanguis sanctórum mártyrum Antoníni et Justínæ pro Christo effúsus est in terra : ídeo adépti sunt múnera sempitérna.

℣. *et Oratio ut in Vesp.*

APPROBATIO.

De mandato Illmi et Rmi Joannis Baptistæ Scalabrini Placentini Episcopi vidi et perlegi hanc editionem Officiorum Ecclesiæ Placentinæ typis DESCLÉE, LEFEBVRE & SOC. Tornaci excusam, et probatis exemplaribus consonam esse recognovi.

Romæ, die 25 Junii 1902.

C. PETRUS PIACENZA Proton. Ap.

Archipr. Cathedr. Placentin.

Imprimatur.

Tornaci, die 22 Julii 1902.

Vict. DUREZ, Vic. Gen.

INDEX.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

NOVEMBER.

DIE XVII. FEBRUARII.

B. Francisci Clet, Mart.

DUPLEX MAJUS.

Omnia de Comm. unius Mart. præter seq.

Oratio.

DEus, qui beátum Francíscum post diutúrnos pro salúte animárum labóres, martyrii glória decorásti : concéde propítius; ut ejus intercessióne et exémplo tibi fidéliter serviéntes, ætérna præmia consequámur. Per Dóminum.

Commem. præced. Dum esset.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

FRancíscus, Gratianópoli piis honestísque paréntibus natus, vitae innocéntia ac pietáte in Deum jam a púero enítuit. Vigínti annos natus Congregatióni Missiónis Lugdúni nomen dedit; in qua póstea sacerdótio auctus et Annécium ad sacram Theológiam tradéndam missus, tanta in eo múnere doctrínæ atque eruditiónis laude præstitit, ut Bibliothécæ vivéntis nómine appellarétur. Inde post annos quíndecim, Lutétiæ addíctus tirónibus, in domo príncipe sancti Lázari formándis, in luctuosíssima íncidit témpora cum per Gálliam ac máxime Parísiis turbátum est. Perduéllibus domum vastántibus, dispersísque per vim sodálibus, mire elúxit Francísci prudéntia et constántia. Qui quum ob pessimórum impérium afflictámque religiósam rem vix apud suos posset sacerdotália múnera obíre, éxteras expeditiónes cogitáre cœpit, et a suis moderatóribus impensíssime pétiit ut ad Sinas mitterétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

COntra hóminum voluntátem voti compos factus, trigínta ferme annos in traducéndis éthnicis ad cathólica sacra constantíssime adlaborávit, primum in Kiang-

siénsi regióne, mox in Hupénsi et Honanénsi provínciis. Missiónis Supérior factus, caritáte Vincéntium patrem æmulátus est. Nullis parcens labóribus, totus erat in inviséndis et confirmándis fidélibus, verbo Dei prædicándo, púeris christiáno dógmate erudiéndis, itínera semper pedes obíbat. Ethnicórum infántium vicem miserátus, máxime studébat ut sacro baptísmate in vitæ discrímine tingeréntur. Astáre ægrótis, dissidéntes compónere, superstitiósa abolére, páuperum angústiis subveníre, illi semper delíciæ. Inter hæc autem nihil de perfectiónis stúdio intermittébat; paupérrimo amíctu índui, jejúniis, brevi somno, cilíciis, flagris corpus attérere illi erat assíduum. Martyrii porro desidério ádeo æstuábat, ut illud a Deo quotidiána et fervénti prece conténderet.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vj.

Desidérium Servi sui exaudívit Dóminus. Orta namque persecutióne, quam ipse prophético spíritu futúram prædíxerat, primum ob fidélium utilitátem in móntibus et cavérnis delítuit. At prodénte christiáno hómine a persecutóribus captus, judícibus sístitur; et cápite, quod fidem Christi profiterétur, damnátus, in cárcerem trúditur. Ubi per plures menses, aspérrima quæque forti ánimo tolerávit; suíque ímmemor tantum de proximórum salúte erat sollícitus. Demum ad supplícii locum addúctus, postquam spíritum suum in manus Dómini commendásset, suspéndio necátus est, ætátis anno septuagésimo secúndo, et ad mártyrum láuream evolávit. Eum Leo décimus tértius Póntifex máximus, sexto Kaléndas Júnii, anno sacri jubilæi millésimo noningentésimo, una cum áliis septuagínta sex Martyribus in Beatórum númerum rétulit. ℟. Stola.

In iij. Nocturno. Homilia in Evang. Si quis vult. de Comm. unius Mart. ij. loco.

In ij. Vesp. Comm. seq. et S. Simeonis, Ep. Mart.

IMPRIMATUR. — Tornaci die 17 Januarii 1901.
Vict. DUREZ, Vic. Gen.

FERIA VI. POST DOM. SEXAGES.

Reparationis Injuriarum Sacratissimo Cordi Jesu in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento illatarum.

DUPLEX MAJUS.

AD VESPERAS.

Añœ. 1. De torrénte in via bibet: proptérea exaltábit caput.

Ps. 109. Dixit Dóminus.

2. Miserátor Dóminus, redemptiónem misit pópulo suo.

Ps. 110. Confitébor tibi, Dómine.

3. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.

Ps. 129. De profúndis. (*Fer. IV. ad Vesp.*)

4. Super misericórdia tua, Dómine, confitébor tibi in toto corde meo.

Ps. 137. Confitébor tibi, Dómine... quóniam audísti. (*Fer. VI. ad Vesp.*)

5. Suávis Dóminus univérsis, et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Ps. 144. Exaltábo te, Deus meus Rex. (*Sabb. ad Vesp.*

Capitul. *Cant.* iii. 2.

EGREDIMINI, et vidéte, Fíliæ Sion, Regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

QUICUMQUE certum quæritis
Rebus levámen áspe-
ris:
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes.
Jesu, qui ut agnus ínnocens
Sese immolándum trádidit,
Ad Cor reclúsum vúlnere,
Ad mite Cor accédite.
Audítis, ut suavíssimis
Invitet omnes vócibus?

Veníte, quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.
Quid Corde Jesu mítius?
Jesum cruci qui affíxerant
Excúsat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor ímpios.
O Cor, volúptas Cœlitum,
Cor fida spes mortálium,
En hisce tracti vócibus
Ad te venímus súpplices.
Tu nostra terge vúlnera
Ex te fluénte sánguine:
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes ínvocant. Amen.

℣. Miserátor et miséricors Dñus. ℟. Longánimis et multum miséricors.

Ad Magnif. *Aña.* Misericórdia Dómini a progénie in progénies timéntibus eum.

Oratio ut infra in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invitat. Cor Jesu, caritátis víctimam, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymn. Quicúmque. *ut supra in Vesperis.*

In I. Nocturno.

Aña. Jesus, cum dilexísset suos qui erant in mundo, in finem diléxit eos.

Ps. 21. Deus, Deus meus réspice. (*In feriali off. ad Prim.*)

Aña. Ego sum panis vitæ de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso manducáverit non moriátur.

Ps. 27. Ad te, Dómine, clamábo. (*Fer. II. ad Matutinum.*)

Aña. Nisi manducavéritis carnem fílii hóminis et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis.

Ps. 29. Exaltábo te Dómine. (*Fer. II. ad Matutinum.*)

℣. Miséricors et miserátor Dñus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio i. *Cap.* i.

BENEDICTUS Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus. Proptérea non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratiónibus meis : ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis, in agnitióne ejus : illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in sanctis.

℟. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo : * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum. ℣. Det nobis Dóminus illuminátos óculos cordis nostri, in agnitióne ejus. — In quo.

Lectio ii. *Cap.* ii.

DEUS autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo (cujus grátia estis salváti), et conresuscitávit, et consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu, ut osténderet in sæculis superveniéntibus abun

dántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium pariétem macériæ solvens, inimicítias in carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore, Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis, et pacem iis, qui prope: quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno spíritu ad Patrem.

℟. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, osténdit abundántes divítias grátiæ suæ : * In bonitáte super nos in Christo Jesu. ℣. Ipse enim est pax nostra, per quem habémus accéssum ad Patrem. — In bonitáte.

Lectio iii. *Cap.* iii.

HUJUS rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in caritáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo, et sublímitas, et profúndum : scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis : Ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

℟. Det nobis Dóminus virtúte corroborári, per spíritum ejus, in interiórem hóminem : * Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. ℣. Ut in caritáte radicáti, et fundáti comprehendámus supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi. — Christum habitáre. Glória Patri. Christum habitáre.

In II. Noćturno.

Aña. Quid est, quod diléctus meus in domo mea fecit scélera multa.

Ps. 33. Benedícam Dóminum. (*Fer. II. ad Matutin.*)

Aña. Quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne reus erit Córporis et Sánguinis Dómini.

Ps. 44. Erućtávit cor meum. (*Fer. III. ad Matutin.*)

Aña. Qui mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit.

Ps. 71. Deus judícium tuum regi da. (*Fer. V. ad Matutin.*)

℣. Protéćtor noster, áspice, Deus.

℟. Réspice in faciem Christi tui.

De sermóne sanćti Bernárdi Abbátis.

Lećtio iv.

Serm. 3. de Passione Domini.

FODERUNT non solum manus, sed et pedes, latus quoque, et sanćtíssimi Cordis íntima furóris láncea perforavérunt, quod jámdudum amóris láncea fúerat vulnerátum. Vulnerásti, inquit in Cánticis amóris sponsus, Cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti Cor meum. Vúlnerat Cor tuum, Dómine Jesu, sponsa tua, amíca tua, soror tua. Quid necessárium fuit illud ab inimícis ultra vulnerári? Quid ágitis, o inimíci? Si vulnerátum est, imo quia vulnerátum est Cor dulcis Jesu, quid secúndum

vulnus appónitis? An ignorátis quod uno vúlnere tactum cor emorítur, et fit insensíbile mórtuum Cor Dómini Jesu quia vulnerátum? Possédit vulnus amóris, possédit mors amóris Dómini Cor sponsi Jesu. Quómodo mors áltera introíbit?

℟. Turbátus est Jesus spíritu, et protestátus est, et dixit : Amen, amen, dico vobis quia unus ex vobis tradet me. * Ecce manus tradéntis me mecum est in mensa. ℣. Cum intinxísset panem dedit Judæ Simónis Iscariótæ, et post buccéllam introívit in eum Sátanas. — Ecce manus.

Lectio v.

QUALEM te intúeor, dulcis Jesus! O dulcíssime atque amantíssime Jesu, quis te tam amáræ et tam odiósæ morti addíxit? Vúlnerum antiquórum nostrórum única Salvátor, quis te usque ad hæc non solum diríssima, sed étiam turpíssima vúlnera patiénda pertráxit? O vitis dulcíssima, bone Jesu, hunccíne fructum reddit tibi vínea tua, quam de Egypto transtulísti? Exspectáveras patiénter usque ad hunc diem nuptiárum tuárum, ut fáceret uvas; fecit autem spinas. Spinis enim coronávit te, et spinis peccatórum suórum circúmdedit te. Ecce in quantam amaritúdinem convérsa est vitis, non jam tua, sed aliéna. Negávit enim te dicens et clamans : non habémus regem, nisi Cæsarem. Ejéctum ergo te extra víneam civitátis et consórtii tui sacrílegi agrícolæ occidérunt, non súbito, sed longo crucis torménto conféctum, et multis vulnéribus flagellórum, et clavórum páriter cruciátum.

℟. Impossíbile est eos, qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœléste, et prolápsi sunt, rursus

renovári ad pœniténtiam. * Rursum crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei est osténtui habéntes. ℣. Provocavérunt Deum, et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt. — Rursum crucifigéntes.

Lectio vi.

O QUANTOS habes, Dómine Jesu, percussóres! Pércutit te Pater tuus, qui próprio Fílio suo, id est tibi, non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit te. Pércutis temetípsum : tradis enim in mortem ánimam tuam, quam nemo potest tóllere a te sine te. Pércutit te discípulus ímpius traditióne et ósculo falso. Pércutit te Judæus coláphis et álapis. Percútiunt te Géntiles flagéllis et clavis. Ecce quantum percússus et humiliátus es! O quanti percussóres et quanti traditóres tui! Trádidit te Pater tuus cœléstis, quia, sicut dictum est, pro nobis ómnibus trádidit te. Sic enim quidam servórum tuórum gratulándo dicit de te : Qui diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. O vere admirábile commércium! Trádidit se Rex pro servo, Deus pro hómine, creátor pro creatúra, ínnocens pro nocénte. Tradidísti ergo te in manus traditóris illíus falsi discípuli : trádidit ille te Judæis, et tradidérunt te illi péssimi traditóres Gentílibus ad illudéndum, et conspuéndum, et flagellándum, et crucifigéndum. Dóleo super te, Dómine mi rex, magíster et pater, imo et frater, Dómine mi, Jesu Christe, amábilis valde. Veníte, quæso, et condoléte ei omnes qui gaudére desiderátis in Dómino.

℟. Atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus. * Vocávi amícos meos, et ipsi decepérunt me. ℣. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et

qui consolarétur, et non invéni. — Vocávi. Glória Patri. Vocávi.

In III. Nocturno.

Aña. Exspéctat Dóminus ut misereátur vestri, et ídeo exaltábitur parcens vobis.

Ps. 85. Inclina, Dómine... quóniam inops. (*Fer. VI. ad Matutin.*)

Aña. Suávis et mitis es, Dómine, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Ps. 84. Benedixísti, Dómine, terram tuam. (*Fer. VI. ad Matutin.*)

Aña. Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : beátus vir qui sperat in eo.

Ps. 83. Quam dilécta tabernácula tua. (*Fer. VI. ad Matutin.*)

℣. Mihi autem adhærere Deo bonum est. ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* xxii.

IN illo témpore : Respóndens Jesus, dixit íterum in parábolis Princípibus sacerdótum et Pharisæis, dicens : Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 30.

NUPTIAS fílii regis ejúsque convívium norunt omnes fidéles, et apparátus mensæ domínicæ ómnium est voluntáti propósitus. Intérest autem quómodo quis accédat, quum accédere non vetátur. Scriptúræ quippe sanctæ docent nos domínica duo esse convívia : unum quo véniunt boni et mali, álterum quo non accédunt mali. Ergo convívium Dómini, unde, modo cum Evangélium legerétur, audívimus, habet útique bonos et malos. Omnes qui ab hoc convívio excusavérunt, mali sunt. Sed non omnes qui intravérunt, boni sunt. Allóquor

ergo vos qui in hoc convívio boni discúmbitis, quicúmque atténditis quod dictum est : qui mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit. Primo scire debétis, secúndum quemdam modum omnes mali sumus: secúndum autem quemdam modum non omnes boni sumus. Póssumus enim nos Apóstolis comparáre? quibus ipse Dóminus ait : Si ergo vos, quum sitis mali nostis bona data dare fíliis vestris. Si considerémus Scriptúras, unus ibi erat malus inter duódecim Apóstolos, propter quem Dóminus ait quodam loco : Et vos mundi estis, sed non omnes.

℟. Dixit Jesus : Væ hómini illi per quem Fílius hóminis tradétur. * Bonum erat ei si natus non fuísset homo ille. ℣. Diléxit maledictiónem et venit ei ;et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo. -- Bonum erat.

Lectio viii.

OMNES qui accéditis ad mensam domínicam, quæ hic est, nolo esse cum multis separándis, sed cum paucis conservándis. Unde hoc potéritis? Accípite vestem nuptiálem. Procul dúbio illa vestis est quam non habent nisi boni, in convívio relinquéndi, servándi ad convívium quo nullus malus accédit, per Dómini grátiam perducéndi : ipsi habent vestem nuptiálem. Quærámus ergo, fratres mei, inter fidéles, qui sunt qui habent áliquid quod mali non habent, et ipsa erit vestis nuptiális. Si sacraménta dixérimus, vidétis quemádmodum sint malis bonísque commúnia. Baptísmus est? Sine baptísmo quidem nemo ad Deum pervénit. Non ergo possum intellígere baptísmum esse vestem nuptiálem, id est ipsum sacraméntum : quam vestem

vídeo in bonis, vídeo in malis. Forte altáre est, vel quod accípitur de altáre? Vidémus quia multi mandúcant, et judícium sibi mandúcant et bibunt. Quæ est ergo vestis nuptiális? Hæc est vestis nuptiális : Finis autem præcépti est, Apóstolus dicit, cáritas de corde puro, et consciéntia bona et fide non ficta.

℟. Intrávit Rex ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli, et ait illi : Amíce, * Quómodo huc intrásti, non habens vestem nuptiálem? ℣. Tunc dixit Rex minístris : ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres. — Quómodo. Glória Patri. Quómodo.

Lectio ix.

INTERROGATE vos; si habétis vestem nuptiálem, secúri estis in convívio domínico. Duæ sunt in hómine uno, cáritas et cupíditas. Cáritas nascátur in te, si nondum nata est : et si nata est, alátur, nutriátur, crescat. Illa vero cupíditas, etsi in hac vita exstíngui pénitus non potest; quia si dixérimus quod peccátum non habémus, nos ipsos sedúcimus et véritas in nobis non est: in quantum autem est in nobis cupíditas, in tantum sine peccáto non sumus. Cáritas crescat, cupíditas decréscat; ut aliquándo illa perficiátur, hoc est cáritas, cupíditas consumátur. Indúite vos vestem nuptiálem; vos álloquor qui necdum habétis. Jam intus estis, jam ad convívium accéditis, et vestem in honórem sponsi nondum habétis : vestra adhuc quæritis, non quæ Jesu Christi. Vestis enim nuptiális in honóre accípitur conjugatiónis, id est, sponsi et sponsæ. Nostis sponsum : Christus est. Nostis sponsam : Ecclésia est. Deférte nubénti,

deférte ducénti. Si istis bene detuléritis qui nubent, vos fílii éritis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ.

1. Díscite a me * quia mitis sum, et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris.

Psalmi de Dominica.

2. Suávis est Dóminus, * et in ætérnum misericórdia ejus.

3. Sitívit in te * ánima mea; quia mélior est misericórdia tua super vitas.

4. Sancti et húmiles corde benedícite Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

5. Beneplácitum est * Dómino in pópulo suo: et exaltábit mansuétos in salútem.

Capitulum. *Cant.* iii.

EGREDIMINI et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

SUMMI Paréntis Fílio,
Patri futúri sæculi,
Pacis beátæ Príncipi,
Promámus ore cánticum.

Qui vulnerátus péctore
Amóris ictum pértulit,
Amóris urens ígnibus
Ipsum qui amántem díligunt.

Jesu dolóris víctima,
Quis te Innocéntem cómpulit,
Dura ut apértum láncea
Latus páteret vúlneri?

O fons amóris ínclyte!
O vena aquárum límpida!
O flamma adúrens crímina!
O Cordis ardens cáritas!

In Corde, Jesu, júgiter
Recónde nos, ut úberi
Dono fruámur grátiæ,
Cœlíque tandem præmiis.

Semper Parénti, et Fílio
Sit laus, honor, sit glória

Sancto simul Paráclito In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit. ℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

Ad Benedict. Aña. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

Oratio.

CLEMENTES ac doléntes super cunctis abominatiónibus quæ fiunt in domo tua, propítius réspice, Deus omnípotens; et pro contuméliis quibus in sacraménto sui amóris impétitur Dóminus Jesus, ipsum fac pro nobis esse apud te propitiatiónem. Qui tecum vivit et regnat.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Cor Jesu, pro nobis perforátum.

AD TERTIAM.

Capit. ut supra in Laudibus.

℟. *br.* Miséricors * Et miserátor Dóminus. Miséricors. ℣. Escam dedit timéntibus se. Et miserátor. Glória Patri. Miséricors.

℣. Protéctor noster áspice, Deus. ℟. Et réspice in fáciem Christi tui.

AD SEXTAM.

Capitul. *Cant.* viii. 6.

PONE me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum; quia fortis est ut mors diléctio.

℟. *br.* Protéctor noster * Aspice, Deus. Protéctor. ℣. Et réspice in fáciem Christi tui. Aspice. Glória Patri. Protéctor.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum est. ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam.

AD NONAM.

Capitul. *Ps.* 68.

IMPROPERIUM exspectávit cor meum, et misériam : et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit :

et qui consolarétur et non invéni.

℟. *br.* Mihi autem adhærére Deo bonum est. Mihi. ℣. Pónere in Dómino Deo spem meam. Bonum est. Glória Patri. Mihi.

℣. Misericórdia Dei a progénie in progénies. ℟. Timéntibus eum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter sequentia.

℣. Misericórdia Dei a progénie in progénies. ℟. Timéntibus eum.

Ad Magnif. Aña. Suscépit nos Dóminus in sinum et Cor suum, recordátus misericórdiæ suæ.

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.
Tornaci, die 5 Augusti 1901.
VICT. DUREZ, Vic. Gen.

IHS

✠ Operam non perdit qui Deo laborat (Pie X aux Editeurs)

Typis Societatis S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.

